341811

12714.
Sc. 8. 1bis p. 725

#

Bartholin
(Thomas)

341811

341811

THOMÆ BARTHOLINI

CASP. FILII

DE

LVCE ANIMALIVM

LIBRI III.

Admirandis hiſtoriis rationibuſque novis referti.

EX BIBLIOTH PUB COLLEG LUGDUN

BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE LYON 1896



BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE DE LYON

LVGD. BATAV.

Ex Officina Franciſci Hackii.

Anno CIↃ IↃ C XLVII.

Illuſtriſſimo & Excellentiſſimo Domino

D. CHRISTOPHORO VRNE,

TOPARCHAE IN AASMARCK, EQVITI AVRATO, REGNI DANIAE SENATORI ET CANCELLARIO, REGIAE MAI. IN ARCE DRAGSHOLMENSI PRAESIDI SVMMO, LITERATORVM MAECENATI,

S. P. D.

Thomas Bartholinus.

INter præcipua mortalitatis noſtræ ſolatia ignis habitus omni ævo, lumenque. Non tantum quod neceſſario cuncta perfundant fervore & grata prurientium titillatione; ſed quia Diis propria, ad illorum ſacra illuſtre contulerint momentum. Vtroque enim in ſacrificiis litabat non una natio, & prout Numini gratiores hoſtiæ, ita clarioribus facibus vel ſplendebant vel conſumebantur. Hinc adeo Divinitatis apud ſuperſtitioſas mentes ingeſta ſuſpicio, ut illa colerent religioſius quæ ad humanæ vitæ neceſſitatem Deorumque miniſteria plus

 con-

conferebant. In qua religione Chaldæos invenimus Perſaſque, alioſque orbium cœleſtium fautores, ignem & lucentia ſidera contentioſius adorantes. Ab his ad ſacra Paganorum, mox Chriſtianorum advocatæ candelæ, remanentibus quoque in Synagoga lucernis, quanquam hoſtias Divûmque ignem temporum aboleverit ſucceſſio, ſervanturque adhuc apud plurimos Divinitatis quædam reliquiæ, qui facibus accenſis vel illuſtriori loco natos efferunt, vel Deum in aris colunt. Ego majorum inſtituta vel eo nomine non auſim damnare, quod Lucem ab incunabulis amarim ſemper, qua frui oportuit, donec per ſequutura ingruentium noctium ſilentia non ſatis amicæ ſucceſſerint tenebræ. Enimvero propiori ad immortales gradu devolvuntur, qui, qua cœleſtia perfunduntur, ignitam faciem ſibi inducunt, & ſicut Dii ſplendore, ſi quo poſſint, ſeſe involvunt. Nec credo alia magnos terrarum Divos ratione ſalutandos, quam perpetuo illo igne lumineque, quo, ut in Veſtæ foco, cineres quos miſera pelle circumferimus, tepide incaleſcunt. Nam ſuperos æmulantur Heroës, qui id in terris ſunt quod in cœlis illi. Vnde non his minus quam illis ſuper-

ſtitioſa

ſtitioſa Veterum pietas ſacrificabat, ſiquidem Doctiſſimus Apollonii Scholiaſtes teſtetur, peregrinantibus in more fuiſſe poſitum Diis Indigetibus & Heroibus in aliena terra ſacrificare, idque Alexandrum Trojæ factitaſſe. An ignem in aris ſuccenderit, admoveritque faces, non dubitaverim. Ego certe illius exemplum vel ſequar preſſius, vel fidentius ſuperabo. Patriam quippe jam dicor repetiiſſe poſt longiores errores, peregrinum mihi ſolum nec ſatis adhuc perſpectum. Sed tibi, Heros ſtrenuiſſime, non patriæ peregrino, ſed mihi non quidem affectu, ſed præſentia, in peregrino ſolo litandum, ut patria mihi renaſcatur peregrina, nec amplius peregrinitatis jure cenſear quod cum P. Scipione palliatus in Sicilia fuerim. In cujus ſpem, non alienum à Græciæ Diis ignem, ſed proprium accendo tuo jam Nomini conſecrandum, quem ex luce mortalibus cunctis connata ſponte mea videor ſuſcitaſſe primus & induſtria. Et quo gratius Tibi litarem, eum ex ſuperum quoque provocavi regione, ea ſacrificii ſolennitate, eo omine, quo ſingulari Numinis providentia olim hoſtiæ cœlitus miſſis flammis immolabantur. Quum enim cœleſtibus optime

conveniat Lux, dignius profecto nec Tibi nec honori tuo inveniſſem argumentum, in quo velut gemmæ in coronis & in orbe non ſatis claro ſtella, ſplendeſcas. Illuxiſti non ita pridem Arctoo orbi velut à Sole miſſus Luciferus, & in frigoribus perpetuis calidiſſime ſplendidiſſimi Regis egiſti partes, ubi patrii cœli inclementiam ſentiere quidem omnes, ſed miti caloris tui clementia ſapientiæque non tralaticiis facibus ſocium frigus facile fuit ſuperaſſe. Nox fuit quum lumina ſua complicaret Titan fugiens: ſed tenebras benevola radiorum tuorum explicatione ſubduxiſti ſtrenue, miſeriſque reddidiſti quem ſors malorum te neſciente diem ſubtraxerat. Non minus patriæ viciniori jam gratulor & propioribus radiis coruſcæ, quod magno calidi animi ſolatio nobis acceſſeris, favoriſque tui & prudentiæ omnis propius partiaris vices. Noverat Rex Auguſtiſſimus quantum ſub lumine tuo proficeret Dania, frigidior jam & ſplendoris indiga, quum ejus arcana fidiſſimo ſeu cuſtodi, ſeu Interpreti concrederet. De quo certatim audias cunctorum plauſus, & proprio nomine ſibi felicia apprecatur univerſus literatorum ordo, ad quem favoris non obſcuros radios nova in-

dies

dies acceſſione diffundis, nec gaudii notas premunt boni quique, qui in te inveniunt quantum & admirari poſſint & velint. Me vero quantum publica meritorum tuorum fama animiq; candidi fiducia excitarit, lux mea teſtabitur, quæ ſub ſidere tuo conſtantiſſimo ſeſe recondit, ne ab errabundis aliis obſcurioribuſque fallacis cœli phænomenis vel ſupprimatur tandem, vel obſcuretur. Vale præcipuum Regni Literatorumque columen diutiſſime, ut luminis æterni plenus, ſerius inter cognata ſidera referaris, meque, ut alios, quod voveo, illuſtres.

LECTORI SPLENDIDO.

ITa eſt profectò, ſæpe in tenebris latitamus ignobili animi obſcuratione, quum luminis uſuram indulgeant ſuperi. Credimus ſcilicet propriam cœlorum eſſe lucem, nec ad terras, niſi ut perſtringat, diffundi. Vnde lucis abſentiæ imputatur, quod cæcutiamus, quum non ea luminis undelibet diffuſi ſit culpa, ſed oculi interioribus obducti tenebris. Non putamus ſplendidam cœleſtium orbium ad nos pertinere faciem, ibi, ſi Dîs placet, adeo compactam, ut nefando aſtuti Promethei opus ſit furto, quo deducatur. Iovis ira creditur ſubductus ignis, nec, niſi eo invito, poſſe revocari. Terret Caucaſus ne facem exſtinctam inter mortales quis ſuſcitet, maluntque jecoris ſui ſervare partem, quam cum majorum offenſa deducendæ lucis eſſe auctores. Audaciores ego, ut vides, animos indui, plane majori animo. Nec Caucaſum metuo, nec ob ſuffuratum cœlis lumen vincula, quia præ Palladis amore, quod illi imputabatur, leviora forent cuncta. Summa ſane mortalium factum injuria Lucem orbibus alligare, & propriam illis aſſignare, quam participato ejuſdem Legis beneficio nobis Numinis communicavit indulgentia. Nam & hic cœcio nobis Numinis communicavit indulgentia. Nam & hic cœlum verſamus, & lumina interiori corporum compage recondimus, quanquam ignoremus. Magnum etenim cum ſideribus exercemus commercium ut ſola fere magnitudine, loco ſolo, diſcrepemus. Plus illa luminis poſſident, quia majori ambitu extenduntur: Nos parcius, quia minores. Splendent illa, quia radios longule portendunt. Nos obſcuri videmur, quia ob luminis parſimoniam, quo indigemus, ad interiora revocamus. Illa intra ſe haud ſplendent, nec ſibi, quia nulla actionis neceſſitate ad interna viſcera, quibus carent, lux cogitur. Totum quippe, cujus gratia ſplendent, orbi mittitur. Nos verſa vice nullis lucem debentes, ad intimos corporum receſſus, ut vitæ præſit, amandamus. Eam videremus apertius ſi vel patulum nobis eſſet pectus, vel in tenebris loculos cordis excutere lege Chriſtiana in integro permitteret crudelitas. Fuere quidem Proſectores qui ſpirantes adhuc aperuerint, & quotidie in carnificina ſine ullo luminis veſtigio extrahuntur viſcera: Verum vel illi in tenebris non ſecant, vel lux, ſi qua adſit, antequam in conſpectum prodeat, ab externo ſeu lucido aëre ſeu nubilo extinguitur, quandoquidem nec liberiorem inſuetamque fert ventilationem, nec

turba-

turbatam ſecantium moleſtiam. Sæpiſſime autem, ſi figatur lux & arctetur denſius incluſa, ad ſpectatores externos diffuſam, ſexcentis hiſtoriis per ſingulas animantium partes hoc Opere demonſtravi, ne hic quidquam ſideribus concedamus, quæ ideo ſplendore ſuo radiant, quod videantur. Quid vero gratiæ mihi debeatur, humanæ majeſtatis æſtimatoribus relinquo dijudicandum. Ferre non potui æquo animo communis mortalitatis cauſa, diutius nobis denegari quo cœleſtia eminent. Summi enim numinis factum benignitate, ut fuſcis principiorum partibus lucidæ miſcerentur, & ad tenebras male damnatæ grata diſtinguerentur varietate. Idque connato naturæ privilegio, quod ſubinde ſupprimit, quemadmodum & calorem internum externo algore mentitur. Quas vices & cœleſtia amant, quæ non nubila tantum condunt maculaſque, ſed ex tenebrarum commercio triſti non raro noctis colore imbuuntur. Superat tamen in illis ſplendor, quem, minorem licet, quiſquis perfricta fronte nobis denegaverit, næ ille de toto genere viventium male mereatur, perpetuis tenebris digniſſimus. Profecto nimis vile ſibi precium ſtatuit, qui animantibus brutis, quæ perfectioris naturæ conditione ſuperamus, vel tantillum de lumine ceſſerit. Manifeſtum mactatarum Monſpelii carnium fulgorem me in has primum conjeciſſe fateor cogitationes, ut in humani ſplendoris veritatem diligentius inquirerem. Factum id quinque ab hinc annis quum abdicato invidioſo Patavinæ Univerſitatis Pro-Rectoratus munere, Venetiis ad otium ſecretum me ſubtraxiſſem; idque, qui meus eſt mos, ſine pompoſa cura, pro calami prompti celeritate, quem neminem mihi brevi illa mora intervulſiſſe teſtabitur ſine fuco Conſobrinus non uno mihi laudandus nomine, Thomas Fuiren, quo cum, ut ſolemus, jucundiſſime, feſta Natalitia, otio beato, tranſigebam. Statueram autem ſtatim, ita approbantibus amicis Eruditis, prælo ſubmittere quod calamo conceperam velociori, in eamque rem operam ſuam certatim obtulerat Gueriglius Venetiis, & Patavii Frambottus, quorum ille operis mox aggrediendi frontale ſeu veſtibulum ad Nundinas Francofurtenſes publico catalogo tranſmiſerat: Sed quum tardior, more iſtorum hominum, eſſet uterque, impatiens moræ ego, quia unicus ille extabat Codex quo ſignaveram primus, nec ſatis abſentiæ fiderem, mecum inter ſarcinas alias per Helvetiam & Galliam (ubi,

niſi avocatus fuiſſem ſpe citius, pro Bibliopolio ſuo fere impetraſſet Varennes) in Belgium detuli loco tutiori inter manus Cl. V. Ioh. VValæi, Amici magni, cui plura debeo quam debere poſſim, collocandum. Ejus jam ſuaſu publicis typis prodit in lucem poſtquam patriæ revidendæ cura me verſaret. Quo nomine lucem hanc illi mecum debebit Lector, quam totiens, ex quo hoc me volvere penſum orbi innotuit, per literas, per amica colloquia, amice à me efflagitarunt Docti complures, quos ſi ulterius ſpe inani ineſcaſſem nimium & in tantos Viros peccaviſſem & in meam fidem, quæ neceſſario fuit liberanda, ne forſan, quod attentarunt nonnulli, me diutius tacente, argumentum alii ſuffurarentur. Novum enim plane eſt, & hactenus apud Eruditos ignotum, ideo magis laudandum quod nec alienas calces nimium premat, nec ſequuturis, qui pruriunt, ſcribendi præripiat occaſionem. Animantium autẽ partes tantum in me ſuſcepi, tanquam nobiliores, quæ tenebras, magno illorum merito, ſupergrediuntur, quanquam quid univerſæ Naturæ inferiori inſit luminis haud ſim neſcius, aliorum induſtriæ relinquendi. Nomine Animalis complector quicquid animam ſtricta vocis ſignificatione habet, cum quo, teſte Seneca, Animans convenit. Commune enim utrique homini brutiſque, quanquam ſine ſocia poſitum copula ad poſterius referatur frequentius. Vnde pro Equis & jumentis in pleriſque Imperatorum Conſtitutionibus adhibetur, præſertim Tit. de Curſu publico C. Theod. A quo uſu nec abhorrent ſequioris ævi auctores, Capitolinus in Maximinis, Ammianus Marcellinus l. XXI. Symmachus l. II. Ep. XXVII. Ex hac autem claſſe excluſimus plantarum familiam, in qua nec anima latet, nec vita, ſi proprie loquamur. Sed intra Hominumque Brutorumque ſeriem nos continebimus quam eadem cum cœlis gloriam ſplendeſcere noſtri inſtituti ratio pertexet, ſi tu, Lector amice, ingenii tui luce faces mihi ſubminiſtraveris, cœlumque credideris quod corpore mortali premimus. Vale & Luce fruere quam benigna manu ſuperi largiuntur, ſin tenebras ames, ad fatum propera.

INDEX

BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE LYON 1896

INDEX CAPITVM.

Libri Primi, de luce Hominum.

CAP. I. Lux vera homini à perfectione ejus aſſignatur. pag. 1
II. Ex lapidibus lucem nobis ineſſe demonſtratur. 5
III. A Mineralibus & Vegetabilibus ſplendidis lux hominis firmatur. 13
IV. Ab interna Craſi ſive Temperie idem cõprobatur. 22
V. Ab operationibus lux homini tribuitur. 28
VI. Ab Affectionibus ſeu paſſionibus ægrorum in homine lucem inferimus. 34
VII. Eadem Lux à Nativo ejus deſiderio conficitur. 44
VIII. A Cauſarum prõptitudine Lux Humana aſtruitur. 50
IX. Homines luxiſſe exemplis oſtenditur. 53
X. De Pilis hominum lucentibus. 57
XI. De Capite hominum lucente. 61
XII. De Facie Moyſis lucente. 65
XIII. De Oſculi, Dentium & Linguæ ſplendore. 71
XIV. De Oculorum luce. 81
XV. Lux Oculorum ratione & auctoritate oſtenditur. 91
XVI. Objectiones Luci Oculorum adverſantes diluuntur. 97
XVII. De Luce Thoracis ſeu Medii Ventris. 108
XVIII. De Infimi Ventris ſeu Abdominis Luce. 115
XIX. De artuum Luce manifeſta. 121
XX. De Pulchritudine Corporis pro humanæ lucis argumento. 127
XXI. De luce SPIRITVVM corporibus humanis INSITORVM. 137
XXII. De luce ſpirituum influentium. 142
XXIII. De Animæ Humanæ luce. 152
XXIV. Contra lucem Humanam quædam afferuntur & ſolvuntur. 161

Libri Secundi, de luce Brutorum.

CAP. I. Brutis Animantibus lucem ineſſe. 167
II. De Leonis Luce. 170
III. De Luce Equorum. 173

IV. De

IV. De Luce Taurorum. 175
V. De Luporum Luce. 176
VI. De Luce Agnorum. 179
VII. De Canis Luce & Vulpis. 185
VIII. De Felis Luce & Hyenæ. 187
IX. De Muribus Lucentibus. 190
X. De Serpentium Luce. 191
XI. De Inſectis Repentibus cum Luce. 204
XII. De Inſectis Volatilibus cum Luce. 208
XIII. De aliis Inſectis lucentibus incerti generis. 215
XIV. De Avibus Lucentibus. 217
XV. De Piſcibus Lucentibus. 225

Libri Tertii, de cauſis Lucis Animantium.

CAP. I. De cauſa Materiali Lucis Animantium ſeu ſubjecto ejus primario. 238
II. De ſubjecto ſecundario Lucis noſtræ. 244
III. De ſubjecto lucis externæ. 257
IV. De Lucis Animantium Eſſentia. 262
V. De Differentiis Lucis in Animatis. 273
VI. De Quantitate Lucis in Animatis. 287
VII. De cauſſa Efficiente Lucis Animatorum. 293
PROBLEMA I. An Lucis Animalis Author immediatus ſit Deus? 295
II. An à Cœlo Aſtriſque Lux Animalis dependeat? 300
III. An à putredine ſplendor Animalis generetur? 311
IV. An à Perſpicuo Lux Animantium? 319
V. An cœlum cœruleum? 327
VI. An ab attritu corporum ſcintillæ Animales? 334
VII. Num humores noſtri ſint efficiens cauſa? 339
VIII. An ab igne lux noſtra? 343
IX. An ab aqua ſplendeant animalia? 349
X. Num à candore lux Animalis? 361
CAP. VIII. De proximo efficiente Lucis. 365
IX. De Lucis Animalis cauſa finali. 370
X. De ſecundo fine illuminatione. 380
XI. Quid ad Senſus conferat Lux Animalis? 386

THO-

THOMÆ BARTHOLINI
Caſparis Filii

BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE LYON 1896

LIBER PRIMVS DE LVCE HOMINVM.

CAPVT I.

Lux vera homini à perfectione ejus aſsignatur.

QVa mente Divinioris eruditionis fons *Plato* l. 9. de Republ. *hominem admirabile monſtrum*, & in Hippia ex ſententia Heracliti *ſimiam* eſſe, ſi ad Deum referatur, *Deique ludo factum*, pronunciaverit, non ſatis meo judicio hactenus aſſequuti ſunt Interpretes, qui ex verbis oraculum metiuntur. quanquam enim *miſera humanæ conditionis fata* inde elicuiſſe videatur *Marſilius Ficinus* commentatorum primipilus; tamen nihil minus luſu ſuo expendit Plato quam lubricæ fortunæ luſum. Nam, quod mireris, ad perfectionem mortalis hæc interpretamur, qua Deum proximo gradu ſequitur ad univerſi habitum compoſitus, omniumque effictam velut imaginem geſtat. Ideoque monſtri commoda nomenclatura inſignitur, non tantum, ut ipſe

ſe explicavit *Plato*, quod conſtet certa animalium cunctorum mixtura; ſed quia ex terrenis quiſquiliis cœleſtium ſplendorem velut in ſe contraxit. Quo fine *rerum omnium finis* à *Stagyrita* 1. Polit. 5. nuncupatur, completa univerſi ſtructura tanquam ultimum exemplar à Deo formatus. Iam vero ſicut ad univerſi complementum primas luci deferimus partes, ita & hominum perfectionem neceſſaria innati luminis temperatura complet, qua Deum, cujus propria lux fertur, viciniori copula accedit. Præclariſſimam autem operum Dei eſſe lucem perexigui laboris erit demonſtrare. Ob eam quippe naturæ ſuæ excellentiam Deo ipſi ſimilitudine quadam applicatur, qui lucem dicitur habitare, ſed inacceſſam, ut à creatis ſeparetur. Hac quoque lucentis ſpecie conſpiciendum ſe familiari Moyſi præbuit non ſemel, & eadem ſplendoris majeſtate æternus filius ſubinde eluxit, quem proprio nomine lucem mundi vocat *S. Ioannes* cap. 1. Cujus accurata lance expendit rationem *Iſidorus Iunior* l.8.c.2. de filio Dei: *& Lumen & Lux: proprie tamen his nominibus filius appellatur: proprie quod manifeſtat. Lumen quia illuminat. Lux quia ad veritatem contemplandam cordis oculos reſerat. Sol quia illuminator eſt. Oriens quia Luminis fons & illuſtrator eſt rerum, & quod oriri nos faciat ad vitam æternam.* Hanc Eliæ Moſique ſociatus in monte Thaboris eduxit, quam per poſteriora Dei à Moyſe olim viſa præfiguratam contra Marcionem tradit *Tertull.* Nec Sacri tantum Interpretes ex luce Divinitatem æſtimarunt. Paganorum Theologi ſummum Numen pari pacto lucis nomine expreſſerunt, derivato

forſan ad eos à Syria uſu & Ægypto Hebræorum colonia. Cujus interiorem rationem exponit *Author* Librorum de Theologia Ægyptia, Ariſtoteles creditus lib. 2. cap. 4. *Primariæ lucis appellatione primum Opificem exprimimus neceſſitate quadam coacti, quia ejus eſſentiam, qualis ipſa in ſe eſt, explicare non poſſumus, neque attingere.* Tranſiit deinde hæc lucis uſura ad alios, quorum præſtantia venerationi erat. *Hippocrates* enim de Diæta, homines moribus concinnis eminentes vocavit ſplendidos. Quo digitum intendit *Statius* in Symmachum:

Exultare Patres videas, pulcherrima mundi
Lumina. ——

Vnde Clariſſimi orti & Illuſtres obvii Romanorum Senatus tituli, & ſiderum nomina mortalibus indita. In quam rem digna notatu eſt *Inſcriptio* vetus in hortis Medicis:

C. IVLIO
LVCIFERI. FILIO
POSPHORO
ARCHITECT. AVG.
CLAVDIA. STRATONICE
VXOR. VIRO
OPTIMO.

Quemadmodum magnis viris *Lampadionis* nomen impoſitum, ut de C. Octavio Lampadione, refert *Auctor* de Gramm. de Docto Viro *A. Gellius* lib. 18. cap. 5. & de Comico inſigni *Pollux* l. 4. Cleopatra ſane Alexandro filio, filiæque Cleopatræ, teſte *Dione* lib. 1. Solis & Lunæ nomen indiderat. Quam originem plurimorum, in fabulis antiquorum Deorum exiſtimo fuiſſe. Ab eodem ſolis ſidere in ſacra hiſtoria Samſonis orta ap-

pellatio, quod claritate famæ cœlos æmulaturus eſſet. Nam שִׁמְשׁוֹן ſimſon originem à שֶׁמֶשׁ ducit, quod Solem notat. Qui Herculi forſan naſcendi dedit occaſionem, quem Solis numen arbitrabantur. Preſſius ad mentem ſacram De Gregorio Magno aliiſque Epiſcopis *Baſilius* Epiſt. ad Neocæſarienſes: *Gregorium dico ſummum illum, & qui poſt ipſum à vobis Epiſcopatus faſtigium ſuſceperunt, alius poſt alium, tanquam quædam ſtellæ, ejuſdem institerunt veſtigiis.* Stellæ dictæ ob exemplum, quo modo lux Apoſtolorum de bonis operibus adhibebatur. (Quod imitatur *Auſonius* Edyll.5. ad Nepotem:

——lumenque tuæ præluceo vitæ.)

Quam lucis utriuſque Trinitatem hæreticorum umbra ſubductum iri metuit *Baſilius* laudatus Epiſt. ad Eccleſias Italicas & Gallicas: *Super quos enim illuxit Chriſti omnium nobiliſſimus cognitionis ſplendor, ad hos quoque venire impietatis umbra cogitat.* Perfectiſſimam quamque rem eadem lucis nomenclatura dignabantur, ut ex ſignatis variorum authorum locis patet. Inde non raro occurrit ſplendor eloquii, ſplendor patrocinii, ſplendor ſermonis, ſplendor vitæ ac literarum apud *Symmachum* in Epiſtolis. Et Sacratiſſimus Imperator Conſtitutiones Codicis ſui plenum jubar appellat *l. 1. Cod. §.3.* ejuſque viam dilucidam & apertam. Adeoque crevit lucis dignitas, ut lucem in ſomniis videre felicia negotia portendat. Ita enim *Nicephorus* in Iambis Oneirocriticis:

Φωστῆρας ἰδεῖν πραγμάτων δηλοῖ φάος.

Luminaria videre in negotiis oſtendit lucem.

Recte

Recte igitur *Scaliger* Exerc. 71. n.1. dubitat an rerum cœleſtium ulla ſit excellentior ipſa luce, ut ipſi etiam ſit religio arbitrari, lucem interire poſſe. Cui conſonat *Aegyptius* : *Dicamus principem eſſentiam quæ lux eſt infinita, nulla ex parte interire: ideoque ab illa perpetuo illuſtrari orbem eum qui cœleſti ſuperior eſt, & ab hoc cœleſtem.* Quæ æternitatem mundi quanquam ſapiant, noſtrum tamen promovent inſtitutum, & hominis majeſtatem, quam negata illi luce, ne obulo licitarem.

Cap. II.

Ex Lapidibus lucem nobis ineſſe demonſtratur.

FErre nunquam potui eorum audaciam, qui id homini denegant, quod liberali manu ignobilioribus conceſſit Natura. Hoc quippe ordine in procreatione verſata eſt, ut ab imis ad ſumma progrederetur, atque in ſumma hominis perfectione cumulaverit, quod inferioribus generibus per partes diviſit. Homo igitur cunctorum naturas ſuo fere ambitu complexus cur luce vera carere debuerit & illuſtri radiorum ſplendore fateor me non intelligere, quum inter Inanimata non pauca ſint ſplendida facie coruſca. Id in variis Metallorum Lapidumque generibus ad oculum videas.

Ex lapidibus alii pretioſa & exquiſita elementorum mixtura temperati, alii rudiori mole digeſti. Prioris ordinis ſunt infiniti, qui tam connato quam alieno lumine micant. Inſitum à mixtionis exordio lumen oſtentant Ophitis, Chryſolampis, Carbunculus, Phlegontis, aliaque. In Ophitis *Martial.* l.6. Ep. 42. de Ethruſci Thermis:

Illic Taygeti virent metalla,
Et certant vario decore ſaxa
Quæ Phryx, & Libys altius cecidit,
Et flamma tenui calent Ophitæ.

De Chryſolampis *Iſidorus* lib. 16. cap. 14. *Chryſolampis ex auro & igne vocata gemma: aurea eſt enim die, & nocte ignea.* Carbunculum autem adeo decantatum ita depingit Plin. l.37.c.7. *Carbunculi à ſimilitudine ignium dicti ſunt, inter quos fœminæ languidius reſulgent, quam maſculi, qui lucidius magis quam cæteri flagrant in ſole.* Poſt eum in eandem rem diſſerit *Iſidorus* cap. 13. *Omnium ardentium gemmarum principatum Carbunculus habet: Carbunculus autem dictus, quod ſit ignitus ut carbo, cujus fulgor nec nocte vincitur, lucet enim in tenebris adeo ut flammas ad oculos vibret: genera ejus duodecim; ſed præſtantiores, qui videntur fulgere, & velut ignem effundere.* Ejuſdem fere generis nobis *Petronius* in Satyrico depingit:

Quo margarita cara tribacca Indica?
An ut matrona onerata faleris pelagiis
Tollat pedes indomita in ſtrato extraneo?
Smaragdum ad quam rem viridem, pretioſum vitrum?
Quo Carchedonios optas ignes lapideos
Niſi ut ſcintillet? probitas eſt carbunculus,
Aequum eſt induere nuptam ventrem textilem?

Aliorum meminit *Plinius* lib. 37. c. 11. de gemmis ſoperagens: *Lapis Ciſſites in candido collucet Ederæ foliis, quæ totam tenent. Aſtrapiæ in candido, aut Cyaneo diſcurrunt è medio fulminis radii.* In Phlegontide intus ardere quædam videtur flamma, quæ non exeat.

cat. In Anthracitide ſcintillæ diſcurrere aliquando videntur. Quod enim de igne dicitur pro luce interpretamur, quæ igni ineſt, & lucidum reddit, ut in tempore exponetur. Vnde ad rem apprime *Martialis* l. 14. Epigr. 109.

Gemmatum Scythicis ut luceat ignibus aurum,
Aſpice quot digitos exuit iſte calix.

Ob eas aurei coloris notulas lapis Lazuli λάμπυρος dicitur *Nicolao Mirepſo* l.1. de Antid. c. 111. quemadmodum pro λεμφύρυ & ζεφύρυ repoſuit *Leon. Fuſchius*, vertitque *radiantem*. Ad hanc lucentium gemmarum ſeriem etiam Ceraunian adſciſcimus ignei coloris & aſpectus. Nam eam ab igneo potius fulminis colore appellari Ceraunian, quam à loco fulminato, ſummus Vir *Fortunius Licetus* in Litheoſphoro ſuo credit, eo quod non ita frequenter littus Luſitanicum infeſtetur fulminibus, in quo uberior Ceraunianum proventus, parcior vero in famoſis Acrocerauniis montibus continuo fere fulmine infeſtatis. Crederem nihilominus ego, ſi conjecturæ hic locus, nomen initio à fulmine inditum, à quo natam gemmam perſuaſit credulitas, poſtea vero commodam hanc nomenclaturam à fulminis ſimilitudine ſervatam fuiſſe. Ex laudata luce pluſculum trahunt gemmæ Pontificum Maximorum, tam Leonis X. quam Clementis VII. quarum illa Lunæ colorem lumenque æmulabatur, albeſcens & ſplendens Luna creſcente, obſcurata contra ſeneſcente Luna: hæc vero macula inſigni notata lubrica & mobili, ſoliſque pediſſequa ab Ortu ad Occaſum aſſidue commeabat, ut in Erudita de Unguento Armario Diſſertatione

Petrus Servius fidem fecit. Mutuatitio externi luminis fulgore diaphanæ gemmæ radiant, quæ varia incidentis luminis alteratione radios vibrant clariſſimos, quod in Adamante, Rubino, Granate, Oculo Catti, Hyacintho, Calcedonio, Sapphiro, Smaragdo, Chryſolitho, aliiſque indies contemplamur. De Onyche paria canit Martialis lib. 12. Epigr. 50.

Et tua centenis ſtat porticus alta columnis,
Calcatuſque tuo ſub pede lucet Onyx.

Solinus Polyhiſtor. cap. 52. chryſopaſos ex auro & porraceo mixtam lucem trahere prodidit. Et de Hyacinthi zontibus ſuperaddit: *Indici Reges hoc genus gemmas in longiſſimos cylindros amant fingere, eoſque perforatos elephantorum ſetis ſuſpendunt, ac moeniliа habent, aut ex utroque capite inſerunt aureos umbilicos, ut marcentem faciem ad nitelam incendant pinguiorem, quo per induſtriam metallo hinc inde addito, fulgentiorem trahant lucem.*

Viliores lapides quod attinet, ex terreſtriori materia concretos; ii quanquam manifeſto lumine non micent ob denſiorem ſubſtantiæ molem, occultam tamen lucem in ſe recondunt, & in potentia, ut vulgus loquitur: ſi enim craſſiores quibus occultatur partibus, attenuatæ removeantur, flamma exſurgit & ſcintillæ latentes emergunt. In quorum numerum Pyritis venit & ſilex, ex quibus ignis levi attritu ſeu ſui ipſius, ſeu chalybis excutitur. *Plinius* naturæ conſultiſſimus lib. 26. c. 19. *Molarem*, inquit, *quidam pyritem vocant, quoniam ſit plurimus ignis illi.* Idem mox: *Pyritarum etiamnum aliqui genus unum faciunt, plurimum*

mum habens ignis, quos vivos appellamus, & ponderoſiſſimi ſunt. Alibi manifeſtam lucem contribuit l.37. c. 11. *Pyritis nigra quidem, ſed attritu digitos adurit.* Hanc flammam à motu attritionis ſuſcitari aliis placet nulla interioris lucis neceſſitate. Verum quid dicent Philoſophorum filii, apud quos vulgatum circumfertur axioma, ex accidente nunquam oriri ſubſtantiam? Alii flammam caloremque ejus comitem non ex lapidibus emergere, ſed ab aëre externo per attenuationem corporum duriorum inflammato prodire firmiter ſtatuunt. Sed falluntur & hi, quia ex data ratione ſequeretur ex quolibet corpore attenuante aërem attritum poſſe inflammari. Vt taceam fruſtra ad aërem referri quod ab aëre alienum eſt. Mihi verius videtur non tam produci ex lapidibus ſcintillas, quam evocari latentes crebra lapidum alliſione. Quod acuto contactu facilius aſſequimur lapidibus, ferroque attenuatis ut ignem ex ſe mittere cogantur quem in ſinu condebant. Quo calamum P. *Corn. Severus* intendit in Æthna de Molari ſeu Pyrite:

Quem ſi forte manu teneas, ac robore cernas,
Nec ſervare putes ignem, nec ſpargere poſſe,
Sed ſimul ac ferro quæras, reſpondet, & ictu
Scintillat calor.

Sunt qui à ſulphure aëris attritu flammam concipiente deducant. Quibus quidem non repugnarim, modo ſulphuris flammam, nec à calore nec motu ſolo ortam, ſed inhærentis lucis proprietatem admittant. Sulphur vero plurimum in his poſſe non dubitamus, qui ex incendio Æthnæ memoria noſtra furente flumen ex voraginibus mon-

tis proceſſiſſe ſulphureum nempe & nitroſum ſcitis ramus, omniaque vicina ad Catanam urbem ad radices montis ejus ſitam uſque depopulaſſe, moxque in lapideam duritiem concretum fuiſſe, cujus fruſtulum mecum inde detuli, neſcius adhuc an occultas ſcintillas amplius ſervet. Omnibus autem ſeu claris ſeu obſcuris mutuatitium lumen deberi quo excitetur interius, teſtem voco Opticorum Principem *Alhazen*, lib. 1. Opt. c. 3. Invenimus, quod colores corporum denſorum coloratorum coloribus ſcintillantibus, ſicut lazuleis vinoſis, & cœleſtibus, quando ipſa fuerint in locis obſcuris, & luce debiliori, apparent turbidi, & *quum fuerint in luce forti, apparent colores eorum ſcintillantes, & clari, & quanto magis augmentabitur lux ſuper ipſa, tanto magis augmentabitur ſcintillantis coloris claritas.* Quo retulerim quoſcunque externa levitate lumen fingentes, ut Phengitem, quo Domitianum parietes porticum diſtinxiſſe, author eſt *Suetonius* cap. 14. è cujus ſplendore per imagines quidquid à tergo fieret, providebat. Notum quoque apud *Ioh. Bauhinum* l. 4. de Baln. lapid. ſciſſilis hic locum meretur, cui inſculpti fulgentes radii flavi nitore ſolares provocant, alterque fiſſilis, cui adhærens nitella lucida, orichalcum colore referens. Alium lapidem noctu lucentem in ſylva patria deprehendit olim Vir Eruditus *Nicolaus Owerberg*, civis noſter, qui etiam admota candela, ſed brevi tempore, ardebat. In horum catalogo quoque ſit lychnis, quem in capite Iunonem geſtare in ſacra civitate jocatur *Lucianus*, ſine dubio ab aliquo ſplendentis luminis privilegio. Quanquam ex *Varrone*

rone narret *Plinius* l.36. c.5. cœptum hunc lapidem lychnitis appellari, quoniam ad lucernam in cuniculis cæderetur. Alibi tamen lib. 37. cap.7. ad externum lucernarum reflexum ſplendorem & præcipuam earundem gratiam nomen retulit. Quod vel inde divines, quia Carbunculum eſſe *Marcellus Empiricus* c. 8. ſcribit. Naſci in Inſula Paro prodidit idem *Plinius* l. 36. c. 5. & *Marcianus Heracleotes*, de ſitu Orbis verſ. 426. de Pharo & Corcyra:

Ἔχει δὲ λίμνην δ' οὐ μακρ' ἡ χώρα τινὰ
Μεγάλην παρ' αὐτοῖς τὴν λυχνῖτιν λεγομένην.

Quæ ſimilibus Iambis *Fed. Morellus* verterat;

Hæc continet regio paludem ampliſsimam,
Lapillus apud hos eſt, Lychniten quem vocant.

Sed ob coactas metri leges ſententiam involvit, quæ ad Pharon ſeu Corcyra æque dubia. Poſterius igitur relativum ad Pharon remotius hoc ordine referendum;

Habet lacum hæc regio quendam
Magnum, apud illos vocatam Lychnitin.

Vt lacus ad vicinam Corcyram, lychnitis per αὐτῶν ad Pharon ſpectet. Vbi non abs re aut ordine alienum putabo, flammati lapidis meminiſſe, qui non ita pridem 29. Novembr. cIↄIↄcxxxvii. in Gallia Provinciali invia publica prope Peoniam civitatem qua Sabaudiam à Provincia diſcriminat, de cœlo nullis nubibus aut ventis aſpero forma ignis ſed inæquali, ingenti craſſitie, pondere vero quinquaginta quatuor librarum, ſummo incolarum & ſpectantium ſtupore delapſus fertur. Cujus caſum tantus comitabatur ſtrepitus ut vel trecentarum baliſtarum majorum murmur longius ſupera-

perarit; donec in vicino Vaſſonis monte ſubſideret. Illum in viſæ rei fidem adhuc inter rariora alia Technicothecæ ſuæ Aquis Sextiis ſervat *Borillius* & curioſis Naturæ ſectatoribus oſtendit, ex quo tamen flamma viſa ad oculum jam evanuit in caſidioribus aëris regionibus accenſam. Non abſimilem alium in Muſæo Prætoris *Lierchæi* Lugduni ad confluentem Rhodani & Araris contemplati ſumus.

Denique lucem lapidibus quibuſdam ineſſe ſignatura lucis ſtellarumque oſtendit. Hoc enim ordine progreditur Natura: Ignobiliora ſine luce produxit, aliis lucis tantum impreſſit imaginem, demum lumen ipſum perfectiſſimis attribuit, ut diverſa ſorte omnium genera circumſcriberet, & cunctos grata varietate diſtingueret. Eam ſignaturam in lapide ſtellari minutiſſimis ſiderum radiis ornato videas apertius; ſtellulis modo pluribus, modo parcioribus, majoribus modo, modo minoribus, perfectis imperfectiſque, prout diverſa influentium ſiderum conditio finxiſſe videbatur. Qui non ſolum ſiderum exactiſſima figura cœlos æmulantur & lucem, ſed & orbicum motum aceti virtute conficit cœlo affinem. Cognatam ſtellarum impreſſionem lapis Crucis gerit ex Aſteriæ genere, ut ex ſententia *Spigelii* ad *Federicum Cerutum* perſcripſit *L. Pignorius*, qui ex monte D. Petri de Rubia in Galitia vel Aſturia Hiſpaniæ Provincia eruitur, quanquam novam rem eſſe veteribuſque ignotam in Epiſtola ad eundem Cerutum *Lud. Septalius* exiſtimaverit: Ex quibus ſi recte calculum ponamus magnum pro humana

mana luce exſurget argumentum, quod clarioribus in nobis indiciis firmatur.

Cap. III.

A Mineralibus & Vegetabilibus ſplendidis lux hominibus firmatur.

A Lapidibus propiori ad homines gradu devolvimur, intercedentibus Mineralibus & Vegetabilibus, quæ ſi quidem in lucis cujuſdam participationem venerint, certius ad animantia noſtra præbebunt indicium; partim quod corporum noſtrorum ingrediantur texturam, partim quod in inferiori ſpecie emineat nihil, quod in ſuperiori debito artificio non expreſſerit ordinis ſervantiſſima Natura. Metallorum ſane ſplendores Poëtarum carminibus jactantur. Ita *Claudianus* lib. 1. in Rufinum, Magæram in divinitatis ſuæ teſtimonium mutantem pauperiores Penates inducit:

—— & niveæ, mirum, cœpere columnæ
Ditari, ſubitoque trabes lucere metallo.

Luxus enim Romanis labente ſæculo familiaris nobilioribus metallis ædes illuſtrare, de quibus Antiquarii videantur, quin ad aurum delapſa libido. *Virgilius* 6. Æn.

—— lucent genialibus altis
Aurea fulcra toris. ——

Et de Roma canit Coridon *Calphurnianus* Ecl. 7.

—— illita porticus auro
Certatim radiant. ——

Vnde Aureus ſol apud eundem Ecl. 4.

—— qualemque ferat ſol aureus ortum.

Qui infra *purpureus* dicitur ob ſplendoris rubicundi præſtan-

præſtantiam quo & aurum vincit & purpuram. Ex hoc lucente metallo arborem in campis Elyſiis fingit *Claudianus* lib. 2. de Raptu Proſerpinæ:

Eſt etiam lucis arbor prædives opacis
Fulgentes viridi ramos curvata metallo.

Fortaſſe ad Vitæ arborem orientem intendit, quam ex Paradiſo acceperat, & in paganum ſenſum vertit. Fidem enim Chriſtianam noviſſe licet à nomine Chriſtiani fuerit alienus, *B. Auguſtinus* l. 5. de Civit. Dei c.36. credit, ut vero ſimile non ſit ejus eſſe poëmata quæ in laudem Chriſti, ejuſdem miracula & Reſurrectionem hoc circumferuntur nomine, niſi ea vel ob Theodoſii metum ſimulaverit, vel ætatis incremento fidei novæ hæc ſigna dederit. Vtriuſque autem metalli fulgore aurum argentumve ſignavit, ut pretioſiora. Ex auro enim arbores firmavit fabuloſa antiquitas. Quippe in hortis Heſperidum frondenti metallo & aureis fructibus arbores effloruiſſe tradidit. De quibus *Silius Italicus.* l.4.

Quid domus Heſperidum aut luci juvere Dearum
Fulvos aurifera ſervantes arbore fructus.

Et *Boëthius* metr.8.

Poma cernenti rapuit draconi
Aureo læva gravior metallo.

Sed ab *Antonio Cerrio* Satyr. Schol. 28. Cent. 2. veritati ſuæ aurea poma vindicantur, qui putat aurea illa eſſe mala quæ hodie Aurantia dicuntur, arbore, & flore argentum, fructu aurum referente, licet aliam in explicando viam calcaverit *Varro* lib. 2. de R.R. c.1. Fictum autem erat ſpectaculum quod Coridon Romæ viderat apud *Calphurnium* Ecl. 7.

Aurea

Aurea eum croceo creverunt arbuta libro.

Pro *libro* membranæ meæ Mſ. habent *nimbro*, ex quo *nimbo* omnino formandum. Verum pretioſos auri argentique fulgores non adducam fuſius, de quibus ob notiſſimam externæ ſpeciei claritatem & accuratiorem elementorum mixtionem quin ad lucis naturam propiusaccedant, ambigit nullus. Facit autem exquiſitum illud principiorum elementi luciſque temperamentum ut nulla fulgurantis flamma maximo etiam attritu eliciatur, quum ea ſine integra totius reſolutione vix proferri poſſit. Pari pacto ferrum chalybſve intus lucem alit, quam externa facie non oſtentat, alterius adjumento provocandam. Si quæras, qua eliciatur ratione, per attritionem ſolidorum corporum, conſenſu uno reſpondebunt omnes: ſed qua id efficiat vi attritio non æque manifeſtum. Motu quidem calorem in inferioribus ſidera per ſe non calida proferre *Ariſtoteles* l. 2. de cœlo dixerat: ſed ſi de ſolo ſimplicique motu ſine calidi corporis influxu interpretemur, ægre defendi poterit. Nam & maria moventur & fluvii perpetuo labuntur curſu ſine ullo caloris effectu. Inferiora igitur calidi cujuſdam effluvii ope calefient, quod ſive atomos voces igneos, ſive radios, parum hujus loci intererit. Motum tamen aliorum corporum calorem excitare docet non fallax experientia, ita ut vel motu attenuetur vicinus aër, vel calidæ oleoſæque corporum partes ad flammam igneamque qualitatem diſponantur. At calorem hæc probant ſatis imbelli ratione. Nam unde iſti diſpoſitioni calidæ lumen ſuperveniat, non demonſtrant.

Adju-

Adjuvari hanc illuminationem cœleſti influxu Doctis quibuſdam placuit, longius petita ratione. Noſtri fundamenti auxilio facilis erit nodi ſolutio. Etenim attenuantur motu & aër vicinus & oleoſæ partes. Attenuationem ſequitur calor ex ſolutione partialis temperamenti, eademque occaſione de carceribus emergens lumen in mixta temperie ſepultum, calorem ut ſubjectum aptum inſedens, proprio fulgore exſurgit. A totius autem temperie occultari indicium hoc habemus, quod chalybs pro varia mixtione modo celerius ignem emittat, modo tardius, & prout copioſus ignis mixtionem ingreſſa, ita ſolo attactu ſtatim ſubinde exilit, quod in chalybe Romano exquiſitiſſimæ ſubſtantiæ vidimus. Exinde ejus Problematis patet enodatio, quare ignobiliora metalla, ut ſtannum, plumbum, nullo plane attritu ad ſcintillas diſponantur. Nempe fruſtra attritionem tentamus, niſi internum lumen præſit motu illo reciproco evocandum. Ferrum varia miſcela plus minuſve ad ſplendorem diſponi in officinis experiuntur politores, ſimilemque fuiſſe laminam illam gladii à Cherubin ad plagam Orientalem horto Eden præpoſitam ad Geneſeos cap. 2. arbitrantur *Rabbinorum* nonnulli. Vox enim Hebræa להב flammam ſignificat, & laminam politam, quæ, ut ſplendore ſuo ab ingreſſu arcerentur mortales, flammam videbatur ejaculari. Alii tamen laminam hanc non flammam, ſed verſatilem exponunt, & ipſi Hebræi pro ancipiti accipiunt. Alexandro Magno gladium in ſomniis oblatum ſimilem fulguri micanti in die pluviæ prodidit *Ioſephus Gorionus* lib. 2. hiſt. cap. 5. Ab

hoc

hoc ferri, licet externo, lævore Gallos armatos lucere pronunciavit *Virgilius* lib. 8. Æn.

Aurea cæſaries ollis, atque aurea veſtis,
Virgatis lucent ſagulis: tunc lactea colla
Auro innectuntur. ——

Quod antea lib. 5. expreſſerat:

Incedunt pueri, pariterque ante ora parentum
Frenatis lucent in equis. ——

Nec minus claritatis ex luce ſeu propria, ſeu aliena poſſident Mineralia. De ſtibio *Plinius* l. 33. c. 6. *Horridior eſt mas, ſcabriorque, & minus ponderoſus, minuſque radians, & arenoſior. Fæmina contra nitet, friabilis, fiſſuriſque non globis dehiſcens.* Clarius hanc claritatem adumbrat *Dioſcorides* lib. 5. cap. 59. στίμμι δὲ κράτιστόν ἐστι τὸ στιλπνότατον καὶ λαμπυρίζον: *Stibium optimum, quod ſplendidiſſimum eſt, modoque nitedularum emicat.* Ob quem ſtibii ſplendorem cuivis obvium affinitatis ratione an pro oculis commendari debeat in ſe ſplendorem habentibus, antea conjectaram trepidulus, nunc vero authoritate *Plinii* confirmor, qui l. 37. c. 3. de chryſelectro ſimilia refert, ſi cum melle Attico conteratur, oculorum oſcuritatibus mederi, cujus in præcedentibus lucem ex Calliſtrato decantaverat. *Galenus* harum ignarus lib. 9. de ſimpl. Med. facult. ob deſiccationem & aſtrictionem oculis accommodat, cui & *Dioſcoridis* hic locus convenit. Sulphuri quoque ſua lux, ſuus ſplendor. *Dioſc.* l. 5. c. 83. vel 124. juxta diviſionem *Ruellii:* Sulphur optimum exiſtimatur vivum, quod ἄπυρον vocant, καὶ λαμπυρίζον τῇ χρόᾳ, διαφανές τε καὶ ἄλιθον. In chalcitide *idem* c. 115. oblongas venas agnoſcit & ſplendentes, adeoque

inter collyria primas partes defert. Alumen liquidum quoque πυρώδης, ſeu *quendam coloris igniculum*, ut verterat *Ruellius*, expirare cenſet *Dioſcorides* l. 5. c.123. Sulphur ſane non externo tantum fulgore micat, ſed interioris flammæ quamplurimum poſſidet, cujus beneficio, reſoluta compage, citiſſime per calorem accenditur, & proprio lumine abſumitur. Vnde igni apud Chymicos vere comparatur, colorumque omnium author perhibetur ob inſitæ lucis præſentiam, qua ad recipiendos colores lucis diſponuntur corpora. Quodque obſervatione dignum, ex eo tinctura extracta igneum ſemper fulgorem ruboremque præfert. Cui non abſimile eſt minerale illud quod Patrum noſtrorum memoria in agro Bononienſi Anno 1602. primo à *Vincentio Caſciorolo* Chymico erui cœptum, lucem ab ambiente aëre illuminato imbibitam, mox in obſcuro loco ſplendore carbonum ignitorum mire profert, eandemque concipiendi lucis facultatem per plures annos retinens iterata calcinatione iterum imprægnatur, cujus modum deſcripſit P. *Poterius* lib. 2. Pharm. Spag c. ult. F. *Licetus* Lithcoſphori Opere & *A. Kircherus* in l. de Magnete, ſimilemq; materiam in Septentrionalibus montibus reperiri magnus noſter *Olaus VVormius* ſuſpicatur.

Iamque ad Vegetabilium vocor lucem, quam promiſi, in humani ſplendoris documentum. Illam *Lactantius* de feſto Reſurrectionis agnovit:

Mollia purpureum pingunt violaria campum
Prata virent herbis, & micat herba comis.
Paulatim ſubeunt ſtillantia lumina florum,
Floribus arrident gramina cincta ſuis.

Obſer-

Obſervatur enim in non paucis floſculis non tantum cœlitus affuſus ſplendor, ſed inſitus quoque lucidiori ſuccorum principio. Exhibent eum manifeſte Batrachia, Calthæ paluſtres, Narciſſi, Nympheæ, &, ut cum *Claudiano* loquar,

——florum lilia reges.

Φλύμος Græce quod Lucernariam reddidit *Marcellus Empiricus* c. 20. ex correctione *Cornarii*, quum in Mſ. quod jam apud *Cl. Voßios* eſt, ante ita corrupte legeretur: *ex herba Liniaria quam Græci ſolon vocant.* Splendent Leviſtici, Smyrnii, Laſerpitii, alpeſtris Veronica, parique claritudine Chamædryos folia micant. A *Theophraſto* l. 6. hiſt. Plant. & *Plinio* inter æſtivos flores numeratur λυχνὶς, quæ, ſi nomen reſpicias, lucernulam indicat: ſi ipſam Plantam, vario colorum aſpectu elegantiam non fallaci lucis ſuſpicione temperat. *Dioſcoridi* l. 4. c.104. Verbaſci quædam eſt ſpecies λυχνίτις, ob folia ita dicta, quæ pinguia & ad lucernarum lumina apta. Eandem ob cauſam ab eodem *Theophraſto* lib.6.hiſt.cap.6. Eranthemum φλὸξ dictum, à floris flammeo igneoque colore. Quid de Helioſcopio & Heliotropio referam, quod ſolem expreſſo in orbem circuitu æmulatur, illud comis, hoc foliis, teſte *Dioſcoride* l.4. c.165. & 193. Cujuſque radix hoc nomine ab Arabe quoque data, ut mihi *A. Kircherus* retulit, quanquam ob diverſam locorum naturam virtutem eam apud nos depoſuerit, ut ne ſuccedere quidem expertus ſit Cl. V. *Olaus VVorm*. De radice Liguſtici idem mihi confirmabat Patavii *Ioh. Bapt. Spontonus*, Profeſſor magnæ eruditionis & ingenii, ſi quidem eandem ubique ſervet

 actio-

actionem, nec naturam Heliotropii inſtar, cum locis commutet. Eſt alia vegetantis naturæ ſpecies evidentes nocturnis horis flammas oſtentans, quam Baaras vocant, ab Hebræo בער Baar factam, quod ardere ſignificat. Eam his coloribus depingit *Flavius Ioſephus* lib. 7. Antiq. Iud. c. 23. *Vallis qua civitas à parte Septentrionali cingitur, quidam locus Baaraz appellatur, ubi radix eodem nomine gignitur quæ flammæ quidem aſſimilis eſt colore, circa veſperam vero veluti jubare fulgurans, accedentibus eamque evellere cupientibus facilis non eſt*: ſed tamdiu refugit, nec manet prius quam ſi quis urinam muliebrem aut menſtruum ſanguinem ſuper eam fuderit. Quænam hæc fuerit planta, haud ſine cauſa ambigunt. *Melchior Guilandinus* in Papyro Pœoniam Galeni arbitratur, vel Moly Homericum. De Pœonia ſuſpicari liceret ex *Apulejo* l. de Virtutibus herb. c.65. quam refert (ſi *Aldinam* ſequamur editionem) inveniri ſæpe à paſtoribus in extrema facula, habereque mali granati magnitudinem quæ noctu quaſi lucerna lucet. *Pariſinus* Codex Anni 1528. in extrema regula bacculas habere dicit, ſed melius ex Mſ. *Gabrielis Humelbergii* in extremis bacculas habere amygdalinis ſimiles legendum. Quod vero addit *Aldinus* codex, granum hoc lucidum eſſe *cocto* ſimile, non ſatis intelligimus. Paraſina editio *cocci* clariuſque Mſſ. *Humelbergeri* & *Ioh. Rhodii* Viri Eruditiſſimi, *cocco* ſubſtituunt, unde ego, ut authori mens conſtet, *cælo* legendum facili librariorum mutatione arbitror, quod ſuo lumine videbatur æmulari, quanquam *coccum* non refugiam,

giam, quia & in eo aliquis coloris ſplendor. Verum enimvero quamvis id de Pœonia *Apulejus* pronunciaverit, noſtro tamen ævo ſplendere deſiit, nec præter nomen & floris elegantiam quidquam habet, quo ſe in tantæ lucis commercium aſſerat. A *Dioſcoride* quidem Aglaophotidis nomine inſignitur ſplendido, ſed de lumine altum ubique ſilentium. Moly Homericum vel inde non eſſe probat *Matthiolus* lib. 2. Epiſt. ad Fallopium, quia radix Moly nigra eſt *Homero*, quæ Baaraz flammeo colore niteſcat. Cæterum Baaraz ſuſpicione magiæ non caret, quia apud *Flavium* laudatum Maniacos & obſeſſos perſanavit, & ad futuros uſus per canem famelicum evellebatur. Superſtitionem ſi demas Nyctegreto non abſimilem plantam crederem, quam *Plinius* lucentem ita l. 21. c. 11. perſequitur: *Nyctegretum inter pauca miratus eſt Democritus, coloris ignei, foliis ſpinæ, nec à terra ſe attollentem, præcipuam in Gedroſia narrat. Erui poſt æquinoctium vernum radicitus, ſiccarique ad Lunam 30. diebus, ita lucere noctibus, Magos Parthorumque Reges uti hac herba ad vota ſuſcipienda.* Vocatur ab aliis Nyctilepa, quia è longinquo noctibus fulget. Ne vero hæc fidem ſuperare opineris, arboris ex *Ludovico Romano* ſimilem contemplare faciem, quæ in Inſula Zeila creſcit, robuſto trunco, proceritate mediocri, minuto ac criſpo folio, colore corticis cinereo, noctu fulgores igneos vibrans, ut obſcuriſſimam etiam noctem rutilo ſplendore vincat. Taceo putrida ligna noti luminis per putredinem arboris, in qua ſopitum fuerat, promptius emergentis. Nec Cannam Indicam ad hanc paginam revoco, ex qua ſcintillas excitari

jam vulgo innotuit, nec arbores ejuſdem, quas ſcribunt Thucydides & Lucretius venti flatibus ex colliſu mutuo ignem concipere: quod de Tabaxis quoque tradunt, unde etiam ἀντόδιον creditum *Abenſinæ* & *Serapionis*. ſufficiet corallium δενδρόειδης addidiſſe ex cinericio albeſcens, & in ramos plurimos ordinata ſerie diſperſum, quod eleganter adeo ſignatas lucis cœleſtis notas varia ſtellularum effigie repræſentat, ut proximam ad ſplendorem diſpoſitionem ab influxu cœlorum videatur accepiſſe. Vnde commoda etymologia à *Ferrante Imperato* lib.27. hiſt. Nat. c.2. Corallii ſtellati appellatione venit, exiguum nonnunquam, nonnunquam vero ordinatis in amplum circulum ramis latius expanſum. Sunt præter hæc, & alia quæ ſive occulto conſenſu, ſive forma, ſive inani nominis nomenclatura ad cœleſtium ſplendorem accedunt, una Lunarium notione à *Geſnero* in libello ejus argumenti deſcripta, quæ quidem, ut aliena, lubens authoribus ſuis relinquo.

CAP. IV.

Ab Interna Craſi ſive Temperie idem comprobatur.

TOtum corpus ex compage primorum elementorum extructum communis eſt omnium præmunitio. Quot vero ſint, quæ opus abſolvant, ſententiis ambigitur, pleriſque intra numerum quaternarium ſubſiſtentibus. Ego cœleſte corpus annumerandum omnino cenſeo. *Plato* enim in Timæo parum inter lucem cœleſtem & igneam diſcriminis poſiturus, ipſum cœlum factum ait ex terra & igni, terra, ut re obſcura, igni ut lucida.

Vnde paſſim pro luce ignis cœpit vocabulum, tanquam illius πρῶτον ſit δεκτικὸν, vel ipſa forſan lux. Rationem tamen addit aliam ipſe *Plato*, quod non videretur niſi conſtaret ex iis. Quod *Scaligeri* cenſuram effugere non potuit Exerc. 61. n. 1. quia omne lucidum condenſatum ſui ſpeciem emittat, ac lucem terminet ad faciendam viſionem. Aqua vero cum videatur, ex terra & Igni conficeretur à *Platone*. Sed parcius, mi homo, pro puerilibus hæc traducas. *Platonem* ſi intellexiſſet, aliter indicaſſet: Rem enim pro *Platone* conficiam. Quidquid viſu percipitur, per ſpeciem percipitur organo appropriatam, quæ color eſt. Color ex opaco & lucido conſtat, aſſerente etiam Peripato, quorum illud terræ, hoc igni reſpondet, cui quidem cum luce eadem apud *Platonem* nomenclatura. Per opaci & umbræ fixionem è longinquis videri cœlum doceant Philoſophi, qui non veras ſed fictas in cœlo agnoſcunt tenebras. Quomodo vera *Scaligeri* inſtantia; quippe & in Aqua terram & ignem ſeu lucidum & opacum, ut viſu pateat concedimus. Ad viſum ſolam lucis condenſationem ſufficere negavit alias *idem* ſubtilis Exerc. 298. n. 16. ſignatis verbis: *Lux haudquaquam videtur niſi ſit in mixtione elementorum: neque propter illam terminationem in ſuperficie corporis ſolidi, color eſt, ſed ſit color ex mixtione elementorum: aut potius colorem ipſum facit, quaſi formale quiddam.* Vbi in Platonis ſententiam invitus labitur ex mixtione elementorum lucem cœlorum viſibilem emergere. Ex quibus & illud deduco, mixtionem principiorum noſtrorum cum luce fieri poſſe, ut bene ſit; debere, ut videatur.

tur. Vlterius, unitam illam elementorum temperiem ab interitu ſervare aliud non poteſt, quam cœleſtis ſubſtantia luce ſeu actuali, ut vocant, ſeu potentiali inſtructa. Enimvero conſervatio ab aliquo fieri debet, quod ab interitu omni eſt exemptum, quum nihil ultra vires agat, nec corruptibile inducat perpetuitatem. Elementorum autem ſingula corrumpuntur. Vnde niſi ab incorruptibili combinarentur corruptioni obnoxia, cum momento temperamenti noſtri firmitas terminaretur. Huic ſententiæ video acceſſiſſe *Iſmaëlem Bulialdum* l. de Nat. lucis, qua materiæ & formæ vinculum aſtruit, qua intercedente conſenſus oriatur & vita, diſcedente vero mors, ut exemplo Coccyni & Noctilucarum probat. At lux ſola, ſeu corpus cœleſte (quod pro lucido interpretor) corruptionis expers interituri elementi labem corrigit. Animæ hoc officium deferes, ſed advertas, quæſo, in Inſectis ſuccedere quibus ſimplex ex luce anima, ſed de hominis temperamento nobis eſſe ſermonem ſine anima conſiderato. Elementa continua pugnandi viciſſitudine altercantur & diſceſſum meditantur. Lux è contra manifeſtam contrarii pugnam cœleſtium qualitatum beneficio fere ignorat. Temperamenti igitur hoc fingemus vinculum animatis ſimul ac anima caſſis. Quo ſpectant quæ de intelligibili mundo ſupra ex Authore Ægyptio protulimus, lucem nempe infinitam nulla ex parte interire, adeoque ab illa perpetuo illuſtrari orbem. Ex quo etiam ſecundum hunc mundum, qui in infimum principatum obtinet, ſempiternum futurum auguratur, tanquam ramum ab

illo primario enatum, & ejus arctiſſimo vinculo conſtrictum. Sin ſuo robore temperamentorum compagem dicamus conſiſtere ignei caloris vi conſtrictam; ad eandem cœleſtium lucem recurram, ignei elementi perpetuam fere comitem, quam in mixto animato vel præſentem vel futuram affirmamus. In quam rem egregie diſſerit *Author* de Coloribus: *Quis ergo ignis color, eſt lumen. Non tamen etiam lumen ignis ſolius eſt color. Sed uſu venit hunc colorem non ſoli igni ineſſe; lumen tamen eſſe ipſius colorem.* Clarius paragraphis prioribus: *Quod autem lumen ſit color ignis perſpicuum ex eo eſt, quoniam nullum alium quam hunc invenitur habere colorem, tum quia hic ſolum eſt per ſe viſibilis, alia vero per hunc.* *Themiſtius* in l. 2. de Anima conſentit lumen in igne habere naturam luminis & coloris; luminis quidem, quia videtur in tenebris, coloris vero quia in lumine. Hinc philoſophantur quidam lucis primigeniæ exordio rerum conſtitutæ, ſubjectum Ignem Elementarem fuiſſe, quæ diebus à quarto ſequentibus in orbes ſuos redacta ſtellarum Soliſque arbitrio duraturas dierum viciſſitudines interſtinxit. Et quia lucem materiam cœleſtium puriorem aſſerimus, ignem vero elementarem impuriorem, à ſuperum conſortio excluſum, hinc puriorem lucis primitiuæ partem corporibus cœleſtibus credimus ceſſiſſe, impuriorem vero ad ignem elementum fuiſſe condemnatam. Nec enim ab hac communi naturarum vinculo abhorrent. Quin nominibus inter ſe communicant. Nam cœleſtia corpora ignea antiqui appellabant, ſeu lucentia, Solemque igneum. Sic *Auſonius* Edyll. IX.

Dicitur, & medio quum ſol ſtetit igneus orbe.

Et Anaxagoras candens ferrum dixit penituſque ignitum, teſte *Laërtio*. Tradit etiam in ſucceſſione Philoſophorum *Sotion* Anaxagoram à Cleone impietatis eſſe accuſatum, quod ſolem candentem dixerit laminam, ac prorſus ignitum. Forſan non tam igneum putavit quam lucentem, vel utramque qualitatem in pari gradu collocavit. Prometheus furto ſuo ignis luciſque affinitatem nobis detexit, dum utrumque cœlis ſuperet. De Iove *Ennius* Pater: *Aſpice hoc ſublime candens, quem vocant omnes Iovem.* Vnde quod inter prodigia *Livius, Dionyſius Halicarnaſſæus, Iulius Obſequens*, aliique referunt cœlum terramque ſubinde ardere viſam, ad ſolam lucem commodo reflecterem ſenſu, niſi præter lucem caloris urentis apparuerint veſtigia, quanquam & hoc ſolius lucis eſſe poſſit, ut in ſpeculis uſtoriis licet obſervare. In ſacris Annalibus lucentia quæque per ignem exprimuntur, ut rubus ardens, & Eliæ quadrigæ teſtantur. Idem quoque apud Hebræos vocabuli uſus. Quippe אור Vr ignem notat, אור. Or vero lucem, à qua forſan Latinorum aurum, quum inter ſe AV & O frequenter ad morem Gallorum permutentur in foro Romano. Ob quam nominum vicinitatem in ſacra *Geneſeos* Enarratione ignis forſan neglexit creationem Divinus Scriptor, uno verbo utrumque expreſſurus. Diverſitatem jam quis opponat nobis elementorum in mixto conſtitutorum & extra ſubſiſtentium, ut plurimum enim lucidum ignem quidquid ſplendoris à nativitate poſſidet, ut alienum cum mixtione deponere. Cui mutuatitiam opellam

opellam commodabit ſubtilis *Scaliger*, extremo Exercitationis 325. *Quæ lux in mixto eſt, quanquam eſt coloris actus, qui color in miſto eſt, tamen propter mixtionem facta eſt potentialis.* Nempe quæ ad lucem apertam facili negotio redit, ſi evocetur. De Aëre & Aqua in præſens pauca expectabis, quæ tamen ut prima perſpicua non exiguam lucis occaſionem præbent. Nam de iſtis nos in Cauſis lib. III. fuſius ſumus dicturi. Ab igne ſane exili intervallo differt ſubtilior aëris ſubſtantia, per ſe lucis capax, & pro igne quibuſdam habita, ut *Timplero* & *Caſp. Bartholino* æternæ memoriæ parente. Hac licentia viſionem Dei per poſteriora Moyſi factam per corpus humanum valde glorioſum explicat *Abulenſis*, quod è concreto aëre ſic efformaverat, ut ſummo eſſet ſplendore longe lateque fulgurans. Hanc vero lucis ubertatem in parte antica primario, in poſtica temperatius & ad oculorum ſenſum apparuiſſe. Verum hæc per vim tracta, neſcio quo loco haberi mereantur. Melius meo judicio *B. Auguſtinus* poſteriora Moyſi viſa, myſteria Chriſti credit poſt accenſionem ab Iſraëlitis credita. Quo accedit & *Tertullianus* l. 4. adv. Marcionem c. 22. per poſteriora humanitatem verbi deſignans & completam in Transfiguratione promiſſionem. Nec diſcrepat *D. Ambroſius* ſuper Pſalm. 43. non vidiſſe Moyſen anteriora Dei, hoc eſt, totam Divinitatis ejus plenitudinem, quæ in Chriſto corporaliter habitabat, ſed poſteriora tantum ſeu ſplendorem ejus, ut homo eſt. Sed de his Theologi. Hæc quidem elementorum concurſu exſurgunt temperamenta, ad mentem veterum. A quibus diſſen-

diſſentiunt Spagyrici, per tria principia cunctos præcipitantes. Quorum ſulphuri colorum obtrudunt originem & lucis ex flamma ſulphureorum ſuſcitatæ. Nos nihilominus negamus ſulphur flammam concipere niſi interius lucis principium adſit, poſt evocationem in pingui materia effervefcens. Vnde ſive hanc ſectam ſequamur ſive priorem, corporis noſtri temperamentum ex lucis mixtura ſic ſatis manifeſtis indiciis deduximus.

CAP. V.

Ab Operationibus, Lux Homini attribuitur.

SVnt quædam in nobis Operationes, quæ ſicut ab ordine elementorum peti haud quaquam poſſunt, altioris originis ſcilicet, ita altius erunt repetendæ. Quinto hæ debentur principio cœleſti, quod diſperſam lucem ſuo nomine complectitur & ambitu, in orbes fulgentes compactam & denſatam. Dum enim ſubſtantiam cœleſtem pronunciamus ex ſe & in ſe primum ſolumque lucidum, lucidique auctorem agnoſci volumus. Inter operationes autem ab elementis ſecretas veneна numerant, variamque rerum inter ſe differentiam, quæ Sympathiæ & Antipathiæ nomine Græcis venit. Vbi ſine mora occaſionem arripio, quumque præter lucem aliud in univerſi complexu non ſit, ſi elementa refutes, ab hac omnem occultæ operationis vim dependere libenter ſtatuerem. In venenis clara res ignivomorum ſerpentum ductu, qui flammato morſu habituque corpora inficiunt diverſa luce calentia, quorum exempla commodo lib. 2. loco enarrabo. In momento data per

perictum via, fulminis more luciſque in totum corpus diffundunt peſtiferum virus, luxque lucem allicit obſcuro conſenſu. Fortior ſol magnam humanæ lucis partem Æthiopibus exhaurit, & fulmina ingenti vi ſubſtantiæ ſimilitudinem extrahunt. Magneticam lucis virtutem Naphtha monſtrat, aliaque bituminis genera, quæ flammas arripiunt longius remotas inſita flammæ ſuæ efficacia, quamadmodum lucernæ ab alio flammas mutuantur. Nec alia fortaſſe Herculei lapidis ad polum, lucidarum ſtellarum feracem, inclinationis ratio, quam aliqua lucis communio. Ad hujus conjecturæ ſtabilimentum facit radix illa Malanenſis, cujus quum multæ ſint radices, in varios quoque diſperguntur ramulos viribus diſſidentes, ita ut qui orientem ſpectant Antidotum præbeant adverſus venena, quod ex Sinarum Hiſtoria accepi. Subinde lux luci inimica. Scribit namque de ignea radice diſſecta *Bickerus* in proph. Sat. 2. ſi è diametro candelæ ardenti exponatur, vacillantem primo eam facere, poſt extingui, idque repetitis vicibus ſemper ſucceſſiſſe. Pari ſæveritate inter ſe litigant odio connato lupus cum agno, quorum notum ex libro noſtro ſequenti erit lumen, & inter venenata Scorpius & Crocodilus in mutuam cædem conſpirant, ut inimicorum apud Ægyptios ſint Hieroglyphicum, ſi credimus *Horo Apollini.* Sed in Sympathiis aliud medium fingunt eruditi, pars calorem congenitum, animam alii, alii denique cœleſtis luminis influxum. Calorem innatum qui cœleſtis ſubſtantiæ partem reſiduam cum *Fernelio* credunt, parum nobis adverſantur. Qui vero medium

medium quid inter utrumque elementum cum *Ariſtotele* defendunt proportione tantum reſpondens cœleſti luce, cujus ſectæ fuerunt *Io. Dominicus Sala*, & *Dan. Sennertus*, in unum extremorum dilabuntur. Vel enim elementare dicent nuda ad cœlum proportione; vel inter utrumque elementum, terrenum, & cœleſte, collocabunt medium, de utriuſque natura particeps. Nuda ad cœlum collatio elementi manente genere, ignobilitatem non mutat, nec nobiliorum operationum cauſa magis videbitur quam ſine reſpectu ullò ſimplicia terrenorum corpora. Sin ex utroque extremo aliud exſurgat medium cœleſtis elementariſque qualitatis conſors, lucis quoque erit compos primarii ad nobiliores actiones opificis. Ab anima occultos rerum ſenſus non dependere, corpora demonſtrant inanima, in quorum cenſu ſit lapis Herculeus, plantæ aridæ, & quædam metallorum genera, in quibus vel expiravit quaſi recluſa è viſceribus anima, vel nunquam animæ viſæ ſunt vires. Influentia denique cœleſtis remotior eſt & communior, quam ut proximæ cauſæ inducere queat rationem, id ſolum habens quod indifferens ſit & diſponat cuncta. Reliquæ animantis functiones pari facilitate lucem nobis afferunt. Motus nempe & ad varias partes modo recto, modo circulari flexu converſio. Nam elementorum ſimplex fertur motus & rectus apud Philoſophorum filios, pro naturarum diverſitate, modo ſuperiora petens, modo inferiora. At in orbem dilabitur nunquam, quia cœlorum hic proprius motus à ſuperiori materia defluens, ſeu luce, quæ pari diximus ambulare paſſu.

paſſu. Lux autem perpetua motus viciſſitudine univerſum circumſcribit ſimilemque motus ſui gyrum ſuperis inferiſque imprimit, quem quidem effingimus dum mentem corpuſque per ſe tardum æmulo circulo circumducimus. De celeritate motus noſtri dicam nihil, quam in anima conſtituimus voluntatis arbitrio concurrente. Interim lucis fulguriſque velocitatem cogitatione volventes, ſi non lucem, luci certe ſimillimum quid in nobis admiramur. Iuvatur etiam ab luce humorum in corporibus mortalium circuitus, perpetuo in orbem recurſu cœlorum affinis. Quæ ſicut ſiderum molem, ita circulum continuo ex utroque vaſorum via meatu, ſibi non abſimilem, perficit. Audax quidem aſſertio, ſed quam magni *Coi* authoritate tueor. Eum *libro de Inſomniis* non longe ab hoc dogmate abfuiſſe pro certo perſuadeor, quia ex Solis, Lunæ, & Aſtrorum ſomnio, humorum noſtrorum conditionem divinavit. Si Solem, Lunam, Cœlum ac ſtellas pura atque agilia ſolito more videamus, ſingula bona eſſe, ſanitatemque ſignificare. Aſtrorum quippe exteriorem eſſe in corpore circuitum, Solis vero medium, Lunæ ad cavitates. Concluditque eandem diſſertationem diſerto textu: *Quæcunque aſtra ex crcumferentia excidere videntur, ſuntque pura & ſplendida, & ultra ac prorſum ferri videntur, ſanitatem ſignificat: quicquid enim in corpore parum ex circuitu excernitur ſecundum naturam, à veſpera in auroram, id ipſum recte habet.* Claram profecto circularis periodi à cœlo derivationem, ratione aliqua ex *Theophraſti* lib. Metaph. cap. 2. videor poſſe confirmare. De motu

enim

enim cœli in orbem differens, inclinare eum ad hæc inferiora ſcribit, & ad ſimilem imprimendum motum quaſi natura ferri, ut concepta verba docent: *At hoc ſorte quiſpiam interrogabit, quam ob cauſam ſolum quæ circulo moventur deſiderio afficiantur, eorum vero quæ circa medium nullum: quanquam & ipſa mobilia ſunt.* Auctoribus circularis motus ſanguinis nihil horum in mentem veniſſe de cauſa ordinati curſus alioquin ſollicitis, valde miror. Quemadmodum vero maris æſtus Lunæ curſum imitatur, ita ſanguinis motus ad mare ſe componit. Vnde maris regreſſui *Th. Zvingerus* in Phyſiologia aſſimilat, Spirituum humorumque circulationem. *Hippocratis* ejuſdem ſententiæ eſt præceptum, aſpiciendam Lunam, quando plena eſt lumine, quia tum creſcit ſanguis, ut mare. De aëris, cujus in humoribus noſtris ventilandis uſus, circulatione ad univerſi motum *Ariſtoteles* 1. Meteor. 1. c. 4. & Copernicanæ hypotheos defenſores plura commentantur, nobis inſervitura, qui ſanguinem à luce in orbem rapi ſtatuimus. Quid etenim mirum ſi lucis inſitæ tractum ſequantur humores, qui non Lunæ tantum, ſed ſolarium horarum periodos in arteriis appenſo ex filo anulo ad vitrum aſſequuntur? Quid vero dicent ſcrupuloſi, ſi circuitus febrium ordinatos à die in diem, à tertio in tertium, à quarto in quartum, à quinto, octavo, &c. in priores reditu, ex ſimili lucis motu ordiamur? Aliæ certe quas communis ſchola affert conjecturas, parum promovent veritatem. Non enim à Natura humorum ex ſolius elementi ſublunaris mixtione regularis ullus in orbem reditus,

ditus, quum ad rectum moveantur elementa, niſi ab occulta, ut *Arabes* putant, dependeat qualitate, quam nos in luce fundamus. Neque ab humorum quantitate vel inopia certis diebus regreditur pituita, bilis aut melancholia, ut nobis perſuadent Practici, quia augeri quidem diverſa humorum maſſa poterit; at vero ad motum dierum ordinatum, eo non determinantur. Si quidem inæqualis eſt ut coacervatio, ita commotio, niſi à ſuperiori ad conſuetum motum retrahatur. Quod vix facultati aſcripſeris expultrici, quæ ſæpius iterando expulſionem debilitatur, nec ubique paria in recurſu tempora valet obſervare. Vt lucis, humoribus immerſæ hanc operam non fallaci augurio ſuſpicemur. Sed urget nos quoque difficultas non ſpernenda, quomodo ad diei motum pituitam diſponat lux, bilem vero & melancholiam ad plures? Verbo me expediam, ut aliis inquirendi detur poteſtas. Nempe ſegnior in luce retinenda eſt pituita, facileque parum immutata lucem & profert & ſequitur. Difficiliores contra bilis & melancholia ob arctiorem humoris ſui ex ſicco copulam, quæ ſicut ægrius reſoluta contentam in ſe lucem emittit, ita prolatæ ductum ſegnius ſequitur. Cujus autem artificio eliciatur lux, obſcurius viderat *Fernelius* & tanquam per nebulam, quando motum humorum periodicum in febribus, ab eorundem putredine acceerſivit. Hanc enim mixtum reſolvendo proferre lucem, in loco ediſſeram. Hinc pro faciliori humorum putredine facilius moventur, pituita ad putredinem pronior, difficiliores cæteri. Valere, ut diximus, plurimum in moven-

dis propriis corporum liquoribus laudatam lucem vel inde colligas, quod nota de eo externi luminis virtus, quæ ſive à cœlo, ſive plantis influat ad certam morborum periodum perducitur. De plantarum lumine prodidit *Pythagoras* citante *Plinio* l.24.c.17. Si qui morbi humano corpori accide-rint florente Aproxi, quamvis ſanatos, admonitionem eorum ſentire, quotiens florere eam contigerit: & frumentum & cicutam & Violam ſimilem habere conditionem. At paucis interjectis antea dixerat, Aproxeos radicem è longinquo contingere ignes, quod luminis inſiti præſtat beneficio. Lunaris ſane luminis facilitatem in pituita movenda ad quotidianum febrium recurſum perſpexit *Conciliator Aponenſis* Diſſer. 88. Part. 1. utpote ad ſideris naturam propiore, ſegnitiem vero in bile & melancholia remotioribus. Ante Conciliatorem *Hippocrates* multa de aſtrorum, præcipue Lunæ, ad morborum tempora & dignoſcenda & prævidenda tradidit, quæ preſſiori penna ſequitur *Galenus* in libello ſuo Aſtrologico, Dioclem Cariſtium vetereſque medicos hoc nomine laudans, quod ex diverſitate luminis & curſus Lunæ præcognitiones, quæ in morbis obſervantur, conficere ſint ſoliti.

Cap. VI.

Ab Affectionibus ſeu Paſſionibus ægrorum, in homine lucem inferimus.

QVædam præter conſuetum naturæ inſtitutum in corporibus noſtris emergunt, quæ manifeſtiſſimum occultæ lucis ſignum præbeant. Morborum

borum cauſas ipſoſque Morbos vocant Medici, ægritudines alii, alii paſſiones, quæ non raro cum ſplendore apparenti effulgent. Nativus humorum color, quanquam tantum lucis mixturam non oſtendat ſemper, ineſſe tamen ſibi, alteratus leviter docet. Obſcurior quippe cæteris ſuccus melancholicus, à calore ad ſplendorem deducitur. Teſtis *Galenus* Comm. 4. Aph. 23. ubi colores ejus conſiderans inter atram bilem & nigrum excrementum hoc ponit diſcrimen, quod hujus dejectio ſanguini denigrato ſit ſimilis, ſed differre quod fuſum ſit hoc, non concretum. Atram vero bilem differre, quod & ipſa ſit ſine concretione fuſa, & ſplendentem nigrorem habeat. Neque id mirum videbitur illi, qui ſimilia de nigerrimo aſphalto apud *Dioſcoridem* l. 1. c. 100. *Oribaſium* l. 7. ad Euſtach. c. 12. legit. Vnde atram bilem *Horatius* 2. Satyr. 3. ſplendidam bilem appellat, eodem plane ſenſu, quo dolia fumo obſoleto incruſtata & pene atra, ſplendida vocavit *Martialis* feſtiviſſimus l. 8. ad Flaccum Ep. 45.

Defluat, & lento ſplendeſcat turbida limo
Amphora, centeno Conſule facta minor.

Sanguinem ad lucis igniſque ſplendorem ſubinde deflectere, docet ira & febris. In ira ebullit circa præcordia cruor, inceditur que. Ita *Perſius* Sat. 3.

Nunc face ſuppoſita ferveſcit ſanguis, & ira
Scintillant oculi. ——

Et de Rufino *Claudianus* l. 1.

——*commoti pectoris ignem*
Nutrit. ——

Ante omnes *Virg.* 8. Æn. de Alceidis furiis:

Dentibus infrendens, ter totum fervidus ira.

In febre ſeu ſanguinem, ſeu ſpiritum accendi dicamus lucem aperta confeſſione approbamus. Ab igne enim πυρετὸς dicitur, & *Hippocrati* abſolute πῦρ, aliiſque πυρεξία, habitus igneus, eo quod, ut *Galenus* loquitur, nativus calor mutetur in igneum, à quo parum abeſt flamma. Vnde *Hippocrates* alibi de febrili loquutus corpore, τὸ σῶμα φέρβεται, ſignata conſtructione dixit, & *Aurelianus* l.1. Acut. c.16. altiora (15. corporum) febribus inuri monet. Quo antiquitas fabuloſa alluſit de Æſculapio à Iove fulmine icto, quia non paucos arte ſua ab orco revocarat. Fulmen hoc de febri interpretatur ingenioſus *I. Bocaccius* in Deor. imag. Febri ſimile erat mirandum morbi genus, quod circa Nimervam miſeris mortalibus innotuiſſe *Alb. Kranzius* l.5. hiſt. propoſuit. Tacti namque homines igne inviſibili ardebant, ut alii pedes, alii manus ea occaſione præciderint. In America quoque tantus ſubinde in hominibus calor crevit, ſi credimus *Relationibus*, ut ægri videantur comburi potius quam abſumi, imo coqui, ut *Aurelianus* loquitur. Quod in femina etiam Hibernica obſervavit Cl. V. *Arnoldus Botius*, amicus noſter, ut in publico de Novis Hiberniæ morbis ſcripto brevi ipſe narrabit. Hujus autem feminæ adeo toto corpore exarſit calor, ut admota procul manus valde incaleſceret. Capitis vero ardores à vapore igneo ſignum peſtilentiæ ponit *Thucidides*, & in Thebana lue *Seneca* in Oedip. flammeum vaporem notat, quum

Oculique rigent, & ſacer ignis
Paſcitur artus.

Id

Id quod in peſte Athenienſi *Lucretio* quoque animadverſum l. 6. longius etiam ad oculorum lumina progreſſo mali contagio, ut apud *Lucanum* l. 6. Pharſ.

—— diſtentaque lumina rumpit
Igneaque in vultus & ſacro ſervida morbo
Feſtis abit. ——

In quam rem videantur quæ in Idea Medicinæ Veterum part. 3. cap. 2. magno judicio cumulavit Cl. V. *Iohannes Beverwicius.* Subinde à ſolo ſpiritu ardet corpus & inflammatur, quod tradit *Hippocrates* primo Libri de Natura Pueri: *Quæ calent omnia, ſpiritum continent.* Item: *Quæcunque incaleſcunt, ſpiritum emittunt.* Spiritibus autem propriam eſſe lucem ſingulari Capite fiet evidens. Ipſa bilis, non quidem naturalis, ſed paululum deflectens, lucis aliqualem ideam repræſentat, unde ſplendidam à Poëta dictam, aliqui ſuſpicantur, quod vitreæ tamen convenit magis pellucidæ. Quanquam revera ſplendentem urinam faciat & igneam, quæ ideo ab *Actuario* forſan l. 1. de Iud. Vrin. c. 14. *aurea* dicitur ex intenſione quadam præter naturam caloris, cujus ſoboles bilis ſplendidior.

Partium externarum morbi lucentes quidam, ut puſtulæ, quas lepidiſſima *Martialis* Muſa lib. 11. Epigr. 29. baſiationem non impedire queritur:

Non ulcus acre, puſtulæve lucentes
Nec triſte mentum ſordidique lichenes
Nec labra pingui delibuta ceroto.

Sive per puſtulas lucentes, illas intellexerit, quæ à cryſtalli ſplendore cryſtallinæ appellantur, ſive Epinyctidas, quæ ut Cicindelæ, noctu tantum appa-

rent, ſive roſcolas vivido colore elucentes. Quæ conjecturæ meæ aſſenſum meruerunt Viri Iudicioſiſſimi *Marci Aurelii Severini* Neapolitani Profeſſoris Regii, in quo eruditio ſumma cum pari humanitate certant. Nec tantum impetrarunt conſenſum, ſed ab ejuſdem ingenii fertilitate augmentum cepere à ſplendente bile deductum, quam in humano corpore ad exteriora veluti per fermentum ſublatam puſtulas ſcimus excitare, ejuſdem ſucci bilioſi ſero diſtentas & impletas. Eas depinxerat Divinus Apelles *Fernelius* lib. 7. Path. cap. 9. hoc penicillo: *Huc pertinet phlyctenæ & phlyctides Græcis nuncupatæ, quæ repente emergunt ſub flavi humoris copia diſtentæ, bullarum modo Lucidæ atque his ſimiles, quæ ab aqua fervida vel ab igne ambuſtis erumpunt, non manifeſto tamen dolore graves.* His ruptis humor excidit, cruſtulæque obdureſcunt, dum ſaneſcant. Has conſtat non niſi à ferventiſſima bile gigni, quæ ignem viribus ſuis adæquet: ut non idcirco præter rationem illas vulgus ignem ſylveſtrem appellarint. Puſtulas has duplici nomine Lucentes optime aſſequitur laudatus modo *Severinus*, partim ob ambientem tunicam tranſparentem, partim ob contenti humoris claritatem quæ veſicæ totius διαφάνειαν promovet communi ſplendore, ſeorſum autem conſideratas ab humore incluſo veſiculas, Lucidarum nomine apud *Martialem* & *Fernelium* veniſſe, humoremque ex diſrupta veſicula effuſum pari lucidæ aquæ appellatione inter vulgum jactari. Ab eodem humore pellucido ſubinde ampullas bullaſve excitatas in cryſtallorum notionem degenerare, quos & ſplendo-

ſplendore & natura phlyctaënas expreſſiſſe auctor eſt *Philippus Ingraſſias* lib. de tum. tr. 1. cap. 1. his verbis: *Præter duas ambas ſpecies (variolorum nempe & morbillorum) & alias adhuc duas advenire paſſim conſpeximus: quarum alteram noſtri vulgo roſſaniam ſive roſſaliam vocant: Alteram vero cryſtallos, quoniam ſcilicet in hac quædam per univerſum corpus diſperſæ puſtulæ efflореſcunt lupini magnitudine plus minuſve albæ, & ad inſtar cryſtalli reſplendent, quibus deinde apertis aquoſitas quædam effluere viſa eſt.* Mox paucis interjectis poſterius tangit apertius: *Verum cryſtallos non aliud, quam phlyctenas, bullaſve* (Avicenna *veſicas nuncupat) eſſe opinor, de quibus poſtea ſermo fiet.* Quidquid horum ſit, *Martialis* puſtulas lucentes, per phlyctenas Græcorum, vel cryſtallos vulgi, tantum Virum fama & Artis doctrina paucis ſecundum, mecum explicaſſe inprimis lætor.

Quibus affectionibus ſplendidis ob defectum caloris luciſque nigrores opponi poſſunt, ubique fere ominoſi apud *Hippocratem* tam in partibus corporis quam excretis. In his quidem, ſi nigra bilis vel ſanguis niger excernatur brevi moriuntur. *Sect. 4. Aph. 23.* Si vomitus niger, idem prædicitur lib. *de Coac. prænot.* eodemque ſtant periculo nigriores rejectæ fæces *lib. 1. Prædict. & Sect. 4. Aph. 21.* ut & nubecula nigra in urina *libr. Progn.* In illis vero ex *Aph. 17. & 20. Sect 5.* Frigidum ulceribus mordax, cutem obdurat, dolorem ſine ſuppuratione facit, nigrorem (μελασμοὺς) inducit, rigores febriles. Idque ex earundem partium refrigeratione, ut explicat in Commento *Galenus*,

quam calor & lux utplurimum refugit. Non enim à calore adurente per ſe, ſicut interpretatur *Io. Marinellus*, niſi quatenus lucem caloremque vocavit, nec à frigore per ſe, niſi quia lucis caloriſque ſubjectum corrupit. Vnde *Ariſtoteles* Probl. 1. Sect. 8. Cur rigentes lividi ſint, cauſam hanc conjectat, quod ſanguis ob frigus congelatus ex abſentia calidi nigreſcat; albam enim ignis. Quapropter & ſenioribus liveſcit caro, quia caliditatis deficientis & lucis fere extinctæ in illis parciores reliquiæ, mortuis vero plane nigreſcit luce omni cum vitæ conſortio educta. Hinc per noctem mors apta ſimilitudine exprimitur, & tenebras, quæ in particulari membrorum corporis morte nigrities à *Celſo* lib. 2. cap. 7. lib. 5. cap. 20. vocantur magis ad *Aphoriſmi Hippocratici* mentem, quemadmodum eruditiſſima de Acia Diſſertatione cap. 7. explicavit Polyhiſtor noſter *Ioannes Rhodius*. In inſomniis carnes nigreſcere non bonum pueris auguratur *Aſtrampſychus* in Iamb. Oneirocriticis. Deſtituti quoque luce per morborum morbiſque violentiam, affligi velut in tenebris dicuntur. In quam rem unicam crucifixi querelam annoto ex Carmine *Cœlii Taſii Cypriani*:

> *Compreſſos ſpeculare oculos & luce carentes,*
> *Afflictaſque genas.* ——

Et per lucis calidique nativi diminutionem inductus livor apud *Hippocratem* inter mortifera ſigna recenſetur in *Libris Prognoſeon*, ſi vel palpebra liveat vel naſus, vel labrum, vel digiti unguesve vel pedes, imo & excrementa talia damnantur tam ſputum lividum vel nigrum, quam fæces, & in univer-

univerſum in febre acuta livores mortis ſunt nuntii *Lib. de Coac. prænot.* Lucentes internorum morbi, ad oculos præſertim, primo lucidos, & Solem in homine fingentes, referendi veniunt. Inter quos eminent ſcintillationes illæ & ſplendores qui quorundam oculis intervallo certo obverſantur, μαρμαρυγὰς Græcis dicti, & λαμπηδόνες πυκναὶ καὶ ἀστραπαὶ, πυρώδεις. Quos ne morbos dubites, audiatur *Galenus* lib. 7. de Decret. Plat. & Hipp. cap. 4. enarrans quendam ſe noviſſe qui poſt ſomnum patefactis repente latebris, magnam ante oculos lucem videre ſit ſolitus, videndique ſenſu tum privatum. Huc referendum *Adamantii Sophiſtæ* Phyſiognomici de oculis ſplendentibus judicium mali ab eo augurii loco habitum lib. 1. cap. 12. Ἐὰν μαρμαρύσσωσιν ὀφθαλμοὶ, κἂν φῶς ἐν αὐτοῖς ᾖ, οὐκ ἀγαθοί· μαρμαρυγὴ γὰρ, εἰ ἐν γλαυκοῖς ὀφθαλμοῖς καὶ αἱματώδεσιν εἴη, θερμουργίαν καὶ παντολμίαν δηλοῖ, ὡς ἐγγὺς μανίας ἥκειν· εἰ δὲ ἐν χαροποῖς εἴη, δειλίαν· μέλανες δὲ ὀφθαλμοὶ μαρμαρύσσοντες, κάκιστοι, καὶ δειλοὶ, καὶ κακομήχανοι σφόδρα. Quorum hic ſenſus ex Verſione *Iani Cornarii*: Si oculi ſplendicarint, etiamſi lumen fuerit in ipſis, non boni ſunt. Splendor enim ſi in cæſiis ac cruentis oculis fuerit, calidum facinus, & omnimodam audaciam indicat, ut prope ad inſaniam accedant, ſi vero in ravis fuerit, timiditatem. At nigri oculi ſplendicantes, peſſimi, & timidi, & valde malefici. In quo tamen judicio id obſervo male ab *Adamantio* inter ſigna quæ per naturæ ordinem inſunt, recenſeri morboſas ægrotantium affectiones, ex quibus ad illa, nulla judicii firmitas. De Comitiſſa refert *Marcellus Donatus* Lib. 2. de Hiſt. Med. mirab.

cap.8. quæ cum fere cœca evaſiſſet, ut præter tenebroſas nebulas nihil cerneret, & jam tres annos hoc malo laboraſſet, repente Ianuario menſe occidente ſole, ab ancillis percontari cepit an ſolares radii Thalamum illuminarent, ſe enim undique intueri ſplendores, qui fere paucum quod illi reliquum erat, videndi munus adimerent, nocte etiam clauſis feneſtris, nec candelis accenſis, ſe ſub ſole verſari affirmabat, & aſtantium umbras in ſole videre. Eodem auctore, mulier quædam Lauræ nomine, dum vena ipſi aperiebatur, quendam in media parte capitis interna crepitum, ac ſi veſica diſrumperetur, perſentiit, ex quo in levem lipothymiam incidit, qua levata maximo animi mœrore correpta eſt, ac poſt aliquot dies globulum igneum ſibi videre viſa eſt, qui poſtea in maximam flammam excrevit; ac deinceps melancholicis & Epilepticis ſymptomatibus per intervalla vexata fuit. In oculo dextro qui ſæpius illi dolebat, velut lumen ſibi reſplendere, & ſiniſtro oculo non niſi dimidium hominem ac reliqua objecta velut per medium diſſecta ſe videre referebat. Novum ſane ſpectaculi genus non erat, Epilepſiam ſplendorem oculorum comitari, quum id *Hippocrates* lib. 1. Prædict. & 2. Coac. Prænot. de Convulſione comprobet: *Quibus Convulſis oculi intente relucent, neque apud ſeipſos ſunt & diutius ægrotant.* Quæ ſine dubio cauſa eſt, quod Epilepſiam puerorum fulgorem dixerit idem *6. Epid. Sect.1. t.5.* fulgores in pueris cum ætatis mutatione quoque mutari. Quanquam de veritate lectionis hujus dubitet *Galenus* & varii ſint interpretes veterum

veterum codicum ambiguitate. Alii enim legebant ἐπιλάμψιες, id eſt, fulgores, alii ἐπιλήψιες hoc eſt defectus, alii denique καταλήψιες comprehenſiones, unde incertus lectionum diverſitate etiam *Franciſcus Valleſius* Interpres Doctiſſimus omnes ſignificatus eadem lunula clauſit, arbitrium eligendi lectori relinquens. In rem hanc erudite diſſerit *L. Duretus* in Coacc. Hippocratis: *Puerilis*, inquit, *Epilepſia per ἔκλαμψιν, id eſt, ſplendorem calori nativi creſcit. ἔκλαμψις autem lucet in pubertate & adoleſcentia.* Promovet idem inſtitutum ſua experientia *Cœlius Aurelianus* Chron. lib. 1. c. 4. de Epilepſia: *Circulos igneis circumferri oculis ſentiunt ægrotantes.* Item, *ignis flammam oculis offerentes.* Et poſt: *ignis flamma, ſive ſplendor multus.* Quod vero de Epilepſia ſacro morbo, hactenus notum, in illis vicinis affectionibus monſtrat αὐτοψία. Vertigo tenebricoſa, gradu tantum ab illo differens, ſubinde ex oculis ægrotantium ſcintillas ejaculari viſa eſt, ut nuper in Muliere illa Patavii obſervatum vertiginoſa cum dolore capitis totiuſque corporis & cordis palpitatione, de qua Maximorum Medicorum *Io. Dominici Salæ* & *Caroli Auantii* Rhodigini Conſultationem audivimus. De Nyctalopis hic nihil addo, quos inferiori de Oculis diſputationi reſervavi. Sufficit *Hippocrates*, qui 5. Epid. 31. & 7. Epid. 44. *Phœnicis affectio ex oculo dextro talis quædam erat plerumque velut fulgor elucere putabat.* Et de *Rat. Vict. in ac.* in delirio: μαρμαρυγώδεα σφέων τὰ ὄμματα, *oculi vibranti ſplendore coruſcant.* *Homerus* ſano ſenſu Iliad. γ. v. 397. ὄμματα μαρμαίροντα, pro oculis ſplendentibus uſurpavit. Signum

id mentis haud ſatis firmæ arbitratur *Proſper Martianus* in Coacas, quia cum à cauſa externa non ſit, animalis ſpiritus inflammationem & cerebri intemperiem notet. *Cælius* autem *Aurelianus* inter Pneumoniæ ſigna ponit l.2. Acut. c.27. oculorum ſplendorem. Ad affectiones raras & tuſſis ſpectat vomituſque, quæ ſcintillas oculis ſæpe ſiſtunt, ut ex *Alexandro Aphrodiſæo* Probl. 55. Sect. 5. liquet. Qui profecto eventus, ſi interiori judicio expendamus, ab interna luce ortum trahunt, tum prodeunte quum ab cauſa violenta expellitur. Ratum enim eſt Philoſophorum oraculum, ut talis in effectu ſit res, qualem cauſa præcedens voluit.

CAP. VII.

Eadem Lux à Nativo ejus deſiderio conficitur.

INſitam cunctis animantibus naturalem lucis appetentiam, qua vel perficiuntur, vel conſervantur, nullus dubitandi relinquitur locus. Orto enim lucis fonte, explicatiſque fulgentis ſui orbis radiis ſol mane emergens, ſomno omnes, quos aſpicit, & tenebris excitat anxia antiqui decoris ſpe. Diurno vero abſoluto penſo orbi noſtro ſe ſubducens, omnia ingrato ſilentio componit, & ſubtracta luce ad tenebras mortis ſpecie videtur condemnaſſe eos, qui ab ejus lumine ſpiritum animamque trahebant. Nox enim à nocendo dicta *Varroni* l. 5. L. L. & lux ἀγαθὸν bonum Græcis itidem nuncupatur, unde mane ſolis nempe prima cujuſque diei nativitas, antiquis à mano appellatum, quia Manum antiqui bonum dicebant. Vnde fortaſſe Geneta Mana inter Natalitias Deas princeps exſtitit, cui votum fiebat,

fiebat, ne quis domi probus naſceretur, quod juſta diligentia in *Antiquitatibus Natalitiis* perſequuti ſumus. Lux ſolatium naturale à milite Alexandri Gabazam ingreſſuro contra frigus tenebraſque invocabatur apud elegantiſſimum *Q. Curtium* l. 8. & pro ſolatio paſſim habita, ut auctorum oſtendit conſenſus. *Plautus* Capt. Act. 4. Sc. 2.

—— nam ego tibi nunc ſum ſummus Iupiter
Idem ego ſum ſalus, fortuna, lux, lætitia, gaudium.

Trucul. Act. 2. Sc. 6.

Salve, qui me interfeciſti pene & vita & lumine.

Vita enim & lux pari paſſu ambulant. Lucretius lib. 1.

—— oras in luminis exit.

Id eſt, vivere incipit. Ita apud *Feſtum*: *At ſeſe tum quæ dederat in luminis oras. Arnobius* quoque l. 2. *Antequam Tages Thuſcus oras contingeret luminis.* De aliis locis vide cenſentem *Ob. Giſanium in Indice* Lucretiano. *Tullius* l. 14. Epiſt. Fam. *Hem mea lux, meum deſiderium.* Plautus idem Sc. ſeq. 7.

Velut meretrix meum herum miſerum ſua blanditia intulit in
Pauperiem, privavit bonis, luce, honore atq; amicis.

Feſtus: *Orba eſt quæ Patrem aut Matrem, aut filios quaſi lumem amiſit. Martialis* quoque:

Si verum, lux mea, narras.

Non injuria ſane ſolatium eſt lux, ſine qua eſſe non poteſt, qui appetit. Vnde Problematis patet ſolutio, quod proponit *Scaliger* Exerc. 300. n. 3. quare oculum pulchra delectent? Reſpondet quidem *Scaliger* fieri id propter delectum, cujus delectatio in ſolis pulchris ſit ſita, quia ad Beatitudinem eſt.

beati-

beatitudo vero fuit ſummi boni, quod pulcherrimum. Sed moralis hæc ratio quum ſit, nec quare in pulchris beatitudo exprimat, Phyſicam aliam excogitavi. Pulchra enim quia plurimum lucis habent cognatæ naturæ ſimilitudine ad oculos imagine lucis feruntur & benigno grati amplexus aſpectu recipiuntur. Nam pulchra amamus quia animus oculique lucida ſpecie afficiuntur, averſamur deformia, quia tenebras minantur, & crucem potius quam ſolatium præſtant. Lux ſola inter perituras quiſquilias nos ſolatur, cui ut conſervemur, certatim precamur. Omnia ſuo aſpectu conſervare auctor eſt *Interpres*, Ariſtoteles falſo creditus, Myſticæ Ægyptiorum Sapientiæ lib. 2. cap. 4. *Intelligibilem mundum lux primaria conſervat, illeque cæleſtem; hic vero infimum, qui in ſenſum cadit.* Qua lucis neceſſitate impulſi veteres cœleſtia ſydera divinis honoribus afficiebant, Solem Lunamque & cætera lumina, ſine quibus vitam nec conſiſtere videbant, nec oriri, faciliſque & nobis foret ad religionem hanc lapſus, niſi divinis Oraculis præmuniti aliud ſupra clariſſimos Phœbi orbes Numen ſciremus ad univerſi clavum ſedere. Tenebras vero & noctem ut adverſiſſima humanæ vitæ inſtrumenta omne ævum abhorruit, & cum morte in eodem poſuit diſcrimine. *Hippocrates* l. Coac. & 1. Progn. 30. inter morituri ſigna reponit, ſi oculi lucem effugiant aut nolentes lachrymas effundant. Vnde de morituro Veſtino *Martialis* l. 4. Epigrammate 73.

Tum largas partitus opes à luce receſſit:
Seque mori poſthac credidit ille ſenem.

Cice-

Cicero l. 2. de Nat. Deor. *Nos tenebras cogitemus tantas, quantæ quondam eruptione Aetnæorum ignium, finitimas regiones obſcuraſſe dicuntur, ut per biduum nemo hominem homo agnoſceret: Cum autem tertio die Sol illuxiſſet, tum ut revixiſſe ſibi videretur.* Quas Ætnæ furentis tenebras, cinerum lapidumque exuſtorum comites experti ſunt Catanenſes, quum præteritis annis vicinos agros oppidaque, flamma ignitumque flumen depopularetur, ut præſentibus nobis apparuit. Iuſta quoque de incendio Veſuviano apud Neapolitanos querela adhuc auditur. Tantus inſuper abſente luce ubique terror, ut niſi exiguo illo lumine nocturnas tenebras aſpergerent noctilucentia ſidera, vitam noſtram audacter conclamaret lacteum *Lactantii* flumen, lib. de Orig. Erroris, contra cæleſtium orbium cultores diſputans: *Cur autem excogitarit ſidera Deus quis non intelligit? Scilicet ne Solis lumine decedente, nimirum cæca nox tetris atque horrentibus tenebris ingraveſceret, noceretque viventibus.* Itaque & cælum ſimul mira varietate diſtinxit, & tenebras ipſas multis minutiſque luminibus temperavit. Vnde noctem pro morte poſitam non ſemel invenies. *Virgilius* unus pro omnibus erit, l. 10. Æneid.

——in æternam clauduntur lumina noctem.

Quod *Homero* debet Iliad. έ.

———— ἀμφὶ δ᾽ ὄσσε κελαινὴ νὺξ ἐκάλυψε.

Et Stygiæ ſedes noctis venerunt nomine apud *Valerium Flaccum* l.4. Argonaut.

Eſt procul ad Stygiæ devexa ſilentia noctis
Cimmeriæ domus, & ſuperis incognita tellus.

Cujus nomenclaturæ Interpretem audiamus *Lactantium*

ctantium citato libro : *Oriens Deo ſimilis cenſetur ; quia ipſe luminis fons eſt , & illuſtrator rerum , & quod oriri nos faciat ad vitam ſempiternam. Occidens autem conturbatæ illi , pravæque menti aſcribitur , quod lumen abſcondat , quod tenebras ſemper inducat ; & quod homines faciat occidere atque interire peccatis. Nam ſicut lux Orientis eſt ; in luce autem vitæ ratio verſatur : ſic occidentis tenebræ ſunt ; in tenebris autem & mors , & interitus continetur.* Appetunt igitur lucem animæ conſortes tanquam congenitæ ſubſtantiæ qualitatem , à qua , ut ſimili , conſervantur. Quam luci inclinationem plantis quoque inſevit natura. Heliotropium magno ſideris amore folia cum Sole circumagit apud *Dioſcoridem* l.4. c.193. & *Plinium* l.22. c.21. Lotus , de quo *Theophraſtus* & *Plinius* , aliaque vegetantis naturæ , cum Sole folia floreſque & reſerant & claudunt. De Tithymali teſtantur auctores caput cum Sole vertere , ut proprio vocabulo Helioſcopion appelletur, in quarta claſſe à *Plinio* l.26. c.8. repoſitum , & contractius ἡλιόσκοπος. à *Ruſo Epheſio* Cap. de Purgatione in Bibliotheca Medicæorum Mſ. ubi & infirmioribus accenſetur bilem & phlegma trahentibus. Uvam ad Solem quoque converti fidem alibi fecit *Plinius*. Exprimunt ex neceſſitate hoc lucis deſiderium bruta. Amiſſo enim oculo ſus brevi lucem morte ſequente luget apud *Plinium* l.8. c.51. Aquila ad Solem natos explorat, ut experiatur an perferre poſſint id , quo neceſſario indigent , adeoque an vitæ ſint idonei. *Silius Italicus* l.10.

Explorat dubios Phœbea lampade natos.

Con-

Concinit *Lucanus* l.9. Pharſ.

—— Iovis volucer, calido cum protulit ovo
Implumes natos, Solis convertit in ortus
Qui potuere pati radios, & limine recto
Suſtinuere diem, cœli ſervantur in uſus.

In univerſum autem morborum medela lux, ut redeunte ad nos Phœbo experiuntur diuturna paſſione dejecti. Eſtque diurnum diei lumen ægrotis gratius quam dilutæ potiones. Optime *Artemidorus* l.2. Oneir. c.35. *Ignis ætherius omnibus bonus eſt, maxime ægrotantibus; Salutis enim ſignum ipſis exiſtit, quoniam demortui ipſo non fruuntur.* Hinc duplicem in Chirurgorum officinis lucem poſtulavit *Hippocrates* de Officio Medici, communem & propriam, & inter præcipua paſſionis phreneticæ adjutoria lumen recenſet *Cœlius Aurelianus* lib. 1. Acut. cap. 9. vel ideo quod laxet. Blandum tamen & tenue illis immittit, lucernæ, aut lucis ætheriæ, ſed *arguto uſu* machinatum. Vbi omnino legendum cenſeo *anguſto viſu,* quia velut per quandam cavernam ſeu canalem ægrotantis tantum vultum perfundi ſuadet ne alias corporis partes tangat. *Viſu* autem ſæpius pro *Vſu* imperiti Scribæ hoc opere infarciverunt, ut videre eſt cap. 11. De hac lucis utilitate ambigere minus poſſumus, quod vegetabilium pleraque obſervemus, quanto plus luminis habent, ad morbos magis conferre. In quam rem Sibyllæ folium recitat *Plinius* l. 37. c. 3. ex Calliſtrato: *Hic enim differentiam novam attulit appellando chryſelectrum, quaſi coloris aurei, & matutino gratiſſimo aſpectu rapaciſſimum ignium, & ſi juxta fuerint, celerrime ardeſcens.* Hinc addit,

quod ex luce dicta deducit: *Hoc collo adligatum, mederi febribus & morbis: tritum cum melle ac roſaceo aurium vitiis, &c.* Quorum penes tantum Virum ſit fides. Nam mihi necdum experiri contigit.

Cap. VIII.

A Cauſarum promptitudine Lux Humana aſtruitur.

ADmiſſa in animalibus luce, non minimis nos difficultatibus expediemus, in quibus ſolvendis ſatis hactenus eruditorum ingenia deſudarunt; modo liceat nobis, quod plena manu Mathematicorum filii impetrarunt, qui in minimis motum fingunt, ut maximorum ſiderum quietem facilius excuſent. Nos vel hoc nomine uberiorem hypotheſeon veniam merebimur, quod vera profiteamur. Nam fulmine cœleſti diverſa viventium genera expiraſſe plurimorum ſæculorum teſtantur annales. Idemque de humana ſpecie, quanquam ambigat *Cardanus*, exempla probant. Interiit Pompejus ſidere afflatus, & Prætor Pop. Romani uno ictu fulmine exanimatus fertur. Aliorum apud *Scaligerum* in Subtilitatibus texitur catalogus. Frequentius tamen ratione carente hæc clades opprimit, ut in prodigiis *Iulius Obſequens* obſervavit non ſemel. De cauſa ſubiti interitus majores verſant lites. Sunt qui rationem referant ad ſulphureas fulminum exhalationes, alii terrorem incuſant. Sulphur in exilium proſcribere non auſim. Nec opus. Sed id qua efficiat vi ulterius exquiro. Facilius externum fulminis lumen ad ſe evocare dixerim, & vi ſua omnem interioris vitæ lucem elicere, haud

haud repugnanter ob affinem naturam ſequuturam: exhauſta autem hoc aſtu univerſa lucis vitalis quantitate, de vita conclamatum. Id oppido ex Coruſcationibus ægrorum manifeſtum, ubi ex oculis eliſo lumine, vitale lumen quoque eſſe deſinit. Non diſpari operandi facultate extracto vini ſpiritu effractis doliis fulmen vappam relinquit, & in nobis ipſis externus calor calidam membrorum conſtitutionem evocat ſimul & perſanat. Alternum enim inter ſimilia officium reciprocis actionibus plerunque elucet. Imo ad ſui deſtructionem ſimilia ordinantur evidenti in Adamante exemplo, qui nullius admittet polituram nec vim, contritu proprio debellatur. Lucis autem ad lucem major propenſio, ut antea evicimus, & ad ea inclinat quæ propiori vicinia ſibi junxit, ut candorem facilius vel abſorbeat vel benevola copula ſibi aſſociet. A qua naturarum ſimilitudine, reciprocatione quaſi agente, ſpeculum plumbagine incruſtatum latiori cono lucem remittit, quam, ſi illitum fuerit pice, conſtringit, quia ad affine candidum diffunditur, liberioriſque imperii ambitu ſe extendit, in quo Problemate *Scaligeri* verſatur acumen Exerc.73. Hincque adeo eſt quod diutina mora ſolis radiis irrigata facies lucem innatam deperdat, abſumpta ſplendidiori mixtura & diaphanis partibus vi uſtionis condenſatis, ingrata opacitatis vice. Circa hæc exſurgit digna ingenio meliorum quæſtio, cur nempe feles & reliqua brutorum natio frequentius infeſtentur fulmine? Ratio ex opinione noſtra in promptu erit, ſi dicamus imbecilliori donata luce evocanti fulmini minus

reſiſtere, quum lux, quam in homine ſuſpicimus, impetum irruentis fortiori niſu eludat, præſertim ſi in lucem noſtram debilius fulmen incurrat, reſiduam tanquam ex naufragio, quia tota evocata non fuit, opere leviori reſarcimus. Relictum quippe à fulmine ſplendorem refici poſſe & reſtaurari, doceant à fulminis ictu convaleſcentes, ſolo igne flammaque à *Scaligero* Exerc. 13. ſanati. Non negarim cum fulminibus venenatam qualitatem ſociari, viventium peſtem, cujus lucis alioquin ſe tuentur beneficio. Quanquam nulla neceſſitate ad hoc compellar. Etenim naturale cunctorum ſolatium lux ſi vel nimia copia irruat vel motu vehementiori illabatur, majori facilitate lædit, quam ante juverat. Id, ſi per partes decurramus, fiet manifeſtum. Solis radii oculorum lumen extinguunt, ſi confertim aut exedente numero hauriantur. Motus quoque vehementia non raro ea lædit, quæ debito moderationis temperamento ſuſtinentur. Ex inferis carceribus protracti ſi ſubito in apertam lucem ferantur, mox luminibus caſſi occæcantur. Id in *Galilæo Galilæi* Mathematicorum ſummo auctore, ipſe deprehendi, quem cum in Hetruria ob nominis celebritatem, cum fratre chariſſimo *Caſp. Bartholino* Iuniore inviſerem, inveni ætate & laboribus confectum tenebroſo cubiculo oculorum conſervaſſe debilitatem. Sed quum officii gratia nos ad fores inter manus amici pendulus comitaretur, de repente, quaſi fulmine ictus, apertis foribus reſtitit & faciem oculoſque obducta manu ab irruente lumine defendit. Pari quoque pacto impulſum impetuoſius fulmen

ſolo

ſolo motu peccante lucem in nobis cognatam ſine maligni vaporis ſuſpicione extinguere potis eſt & frangere. Id Saulo evenit Chriſtianorum tyranno, & frequens aliorum occæcatio. Timorem inſtantiſque periculi metum, ut remotiorem cauſam, ſine rigidiori cenſura, admitto, quia turbati ſpiritus & quaſi diſſoluti promptiſſime diſſipantur, locum irruenti fulmini conceſſuri. Tandem & Sulphurei halitus ſeſe poſſunt immiſcere, calore proprio & tacito lumine noxium cœleſtis luminis inſtitutum promoturi, ſed tum flamma lumini juncta obvia quæque depaſcuntur ad quæ ſola cœleſtis luminis poteſtas non extendebatur. Itaque de mixto fulmine accipiendum, quod de *M. Claudio Prætore* auctores tradunt, cum quo Terracinæ in nave fulminis ictu exanimato, una velum navis, omnia abſumente igne, conflagravit. Quo ſpectavit *Iuvenalis* Sat. 12. de Vitulo.

—— nam præter pelagi & fulguris ictum
Evaſi, denſæ cœlum abſcondere tenebræ,
Nube una, ſubituſque antennas impulit ignis.

Cap. IX.

Homines luxiſſe exemplis oſtenditur.

LVcem ex humano ergaſtulo omni ſæculo eluxiſſe palam facturus, univerſi primum corporis, mox ſingularum partium ſeriem pertexam. Illorum quidem qui toto corpore ſplendorem oſtentarunt parciora leguntur veſtigia. Nec mirum, ſi naturæ inſtitutum inſpiciamus, perexiguam nobis voluit ineſſe coruſcationem, ut elementis inferioribus commodius ſubjiceret, tum ne Deos

 nos

nos putaremus luce ampliſſima perfuſos, ſuperiorique Numini aliquid relinqueremus proprium, tum ne per nimia cœleſtis lucis mixtura perituræ actiones interturbarentur, adeoque in maxima lucentium perfectione imperfectio exſurgeret. Diſperſa igitur per corporis amplitudinem parcior lucis ingenitæ copia ob ſubtiles portiunculas viſum effugit, niſi in certo aliquo membri tractu compingantur, & ſuo robore unita, eluceat. Non defuere tamen in immenſo mortalium numero tanta lucis abundantia conſpicui, ut ex omni ſplendeſcerent parte. De Theodorico Gothorum Regis Patre *Cœlius Rhodiginus* in Ant. Lect. refert, ex corpore ejus toto ſcintillas proſiliiſſe. Additque, ſapientem quendam prodidiſſe ſcintillantes flammas hinc inde etiam cum ſono prodiiſſe. Dignum quoque poſterum memoriæ cenſeo nuperam in ſepulchro cujuſdam Romæ viſam lucem, quæ præſente Cardinalium Purpuratorum ordine in æde XII. Apoſtolorum Feſto Bonaventuræ cum fumo exiliit, quumque ſepulcrum reſeratum eſſet, diutius ex defuncti cadavere ardere obſervata, ſicut ad nos internuncius Gallicus ad Legatum Pontificium miſſus nuper pertulit, qui id ſe oculis uſurpaſſe fatebatur. Fieri id poſſe innuere videtur *Lactantius* lib. 7. de Divino præmio, ubi inquirenti accuratius quare Deus tam multa peſtifera terra marique diſperſerit, reſpondet, quoniam homo ex rebus diverſis ac repugnantibus configuratus eſt; animo & corpore, id eſt, cœlo atque terra; tenui & comprehenſibili, æterno ac temporali, ſenſibili atque bruto, *luce prædito*, atque tene-

tenebroſo: ipſa ratio, ac neceſſitas exigebat, & bona homini proponi & mala, bona quibus utatur, mala quæ vitet. Meretricem quandam inducit *Athenæus* lib. 13. Deipn. cui nomen λαμπυρὶς, forſan ob ſimilem totius corpuſculi ſplendorem ſive natura inditum ſive per fucum arte meretricia acquiſitum. Nam & à veſtibus lapilliſque clarioribus claras pronunciavit vetuſtas. *Martialis* l. 9. Ep. 3.

Splendet Erythræis perlucida mœcha lapillis.

Catullus crocinam tunicam Cupidini aſſignans:

Quam circumcurſans huc illuc ſæpe Cupido
Fulgebat crocina candidus in tunica.

Croceus enim color ex multa luce & igne conſtat, teſte *Scaligero* Exerc. 298. quo facilius fulgorem oſtentat. De Cynthia idem prædicat *Propertius* l. 2. El. 1.

Sive togis illam fulgentem incedere cois
Hoc totum è coa veſte velamen erit.

Quemadmodum à tunica Advocati dicuntur eniteſcere coram Claudio de Cincia lege acturi apud *Tacitum* l. 2. Ann. *cogitare plebem qua toga eniteſceret.* De cujus loci interpretatione poſt *Lipſium* Eruditiſſimi *Octavii Ferrarii* recens De Re Veſtiaria opus l. 1. c. 3. conſulat lector. Præfulgebat vertex pari licentia *Silio* l. 3.

—— velantur corpora lino
Et Peluſiaco præfulget ſtamine vertex.

Et ibidem:

Hos inter clara thoracis luce nitebat
Sedentana cohors. ——

Forſan tamen Lampyris hæc, Ptolomæo non ab-

ſimilis, tenuitate & tranſparentia veſtium corporis communis uſuræ dedecus promulgavit, de quo Ptolomæo *Iuſtinus* lib. 38. c. 8 *Fœditatem corporis nimia ſubtilitas perlucidæ veſtis augebat, prorſus quaſi aſtu inſpicienda præberentur, quæ omni ſtudio occultanda pudibundo Viro erant.* Quod etiam Saturnalibus non pauca Pariſiis & Venetiis proſtibula exercent, ut de his *Martialis* illud uſurpes l. 8. Ep. 68.

Femineum lucet ſic per bombycina corpus:
Calculus in nitida ſic numeratur aqua.

Perſpicuitatem autem per lucem definiri Capite de Lucis Humanæ Cauſis oſtendemus. Ab unguentis tamen & odoribus fucatam fuiſſe Lampyriden credo, ſicut *Lampadion* ob lucernæ ſimilitudinem, altera meretrix apud *Plautum* in Caſ. *Lucretium* l. 4. *Varronem* Agathone, & *Athenæum* l. d. Vnde λαμπάδιον quoque *Polluci* & *Ariſtophani* faſcia eſt in luxationibus & fracturis, quoniam candelæ habet & calorem & pinguedinem ex præcepto *Celſi* l. 8. c. 10. quanquam hinc ad meretrices tranſiiſſe loquendi hanc conſuetudinem arbitretur *Io. Chiffletius* l. 1. Dædal. c. 7. Maximus vero Eruditorum *Cl. Salmaſius* Epiſt. de Coma, Lampadion dictam à ſimilitudine crinium intortorum cum Lampadis lumine. Id, dum hic verſor, inſuper monebo, lucem ſive per tranſlatam ſimilitudinem ſive ſerio, ſibi finxiſſe olim plurimos. De Theagene genus ſuum ad Achillem referente *Heliodorus* lib. 2. Æthiop. hæc prodidit poſterorum memoriæ: *Poſtridie in juvenem incidi*, καί μοι ἀληθῶς ἔδοξε τοῖς Ἀχιλλείδαις ἐμπρέπειν, *& mihi vere videbatur inter Achillidas eminere ſeu fulgere*, talis forma (illuſtri

ſcili-

ſcilicet) & corporis proceritate videbatur, ut vel conſpectu ſolo genus ſuum proderet. Eodem animo Theodoſium Imperatorem lucentem prædicat *Symmachus* lib. 2. Epiſt. 13. *Tantum claritudine egreditur lucem ſuperiorum quantum auguſtius eſt, regenti ſibi, quam ſubditis modum ponere.* Filium quoque ſuum lucis appellatione Epiſt. 6. lib. 7. dignatur idem. Plus ex adulatione traxit *Martialis* acclamatio de adventu Cæſaris l. 10. Ep. 6.

Felices, quibus urna dedit ſpectare coruſcum
Solibus Arctois, ſyderibuſque ducem.
Quando erit ille dies, quo campus, & arbor, & omnis
Lucebit Latia culta feneſtra nuru?

Iiſdem titulis Honorium proſequitur *Claudianus* Poëtarum dulciſſimus lib. 1. in Rufum:

Iamque aderit læto promiſſus Honorius ævo
Nec forti genitore minor, nec fratre coruſco.

Quæ de rerum geſtarum gloria & eminentiori dignitatis culmine quanquam accipi debeant & explicari; horum tamen aliquid intellexiſſe ſapientiores divinat animus, à quo clariſſimam ſimilitudinem derivarunt. Quidquid ſit, pro vero habendum eſt quod de *Carolo Gonzaga* Mantuæ Duce conſtans fama tulit, levi per totam cutem facta frictione flagrantes ſpecies exire ſolitas.

Cap. X.

De Pilis *hominum Lucentibus.*

AD ſeriem ſingulorum corporis membrorum progreſſuro in limine ſeu vertice potius capillus occurrit, quem radiantis ſpecie non raro

ſcintillaſſe variorum teſtantur hiſtoriæ. De Servio Tullio Romanorum Rege conſentiunt omnes quotquot temporum iſtorum acta literis conſignarunt, ex puerili crine flammam emicuiſſe. Ingens naturæ miraculum *Livius*, *Plinius*, *Florus*, *Valerius Maximus*, *Apulejus*, *Dionyſius Halicarnaſſæus*, aliique diligentes expoſuerunt, quos operæ non erit adduxiſſe. Quod ſi ocius quis actæ rei ſeriem expectat, audiat ſolum *Dionyſium* l. 4. Antiq. Rom. cujus vicariis utar vocibus: *Quum aliquando circa meridiem in regio thalamo conſediſſet, ſomnoque eſſet oppreſſus, flamma è capite ipſius emicuit. Idque non tantum mater ejus, & regina, quæ per thalamum inambulabant, inſpectarunt, ſed & omnes qui cum mulieribus tum forte aderant: nec prius totum ejus caput flamma collucere deſiit, quam à matre accurrente excitaretur, quo facto flamma ſimul cum ſomno diſperſa evanuit.* Breviter omnia complectitur *Ovidius* l. 6. Faſt.

Signa dedit genitor tum cum caput igne coruſco
Contigit, inque comis flammeus arſit apex.

Flamma lux vocatur optimo jure, quia flamma lux ignis eſt, à qua illa oritur. Lucem puram fuiſſe inde colligimus quod pilos colluſtrando, haudquaquam combuſſerit, qualis illa forſan in Meſopotamia Moyſi viſa. Parem aleam expertus eſt apud *Virgilium* l. 2. Æn. Aſcanius:

Ecce levis ſummo de vertice viſus Iuli
Fundere lumen apex, tactuque innoxia molli
Lambere flamma comas, & circum tempora paſci.
Nos pavidi trepidare metu crinemque flagrantem
Excutere, & ſanctos reſtinguere fontibus ignes.

Diver-

Diverſus Laviniæ Novercæ ſplendor, quia lucem flamma urens comitabatur, ut cecinit *Maro* l. 7. Æneid.

Præterea caſtis adolet dum altaria tædis,
Et juxta genitorem aſtat Lavinia virgo,
Viſa (nefas) comis comprendere crinibus ignem,
Atque omnem ornatum flamma crepitante cremari.

De Lucio Martio narrant *Livius* l. 25. *Valerius* l. 1. c. 6. Pœnos aggreſſuro & ducem Aſdrubalem, flammam concionanti fuſam è capite ſine ipſius ſenſu, cum magno pavore circumſtantium militum. Commodo Imperatori lucentem capillitium aſſcribit *Herodianus* lib. 1. cujus hæc verba *Politiano* Interprete: *Flava & criſpa cæſaries, ut in Sole ambulanti velut igne quodam rutilaret, ſic ut euntem quidam ſcobe aurea putarent conſpergi, quidam etiam pro argumento divinitatis acciperent, ac radios eſſe illos circa verticem genitivos opinarentur.* Bamba Gothorum Rex, à *Sabellico* l. 1. c. 4. Laudatus, ad ſupremum Regni faſtigium efferendus per flammam in formam columnæ à capite aſcendentem ſequuturi imperii omine proceres Curiæ admonuit. *Cardanus* lib. 8. de Rer. Varietate c. 43. inter miracula hominis, magnum illud cenſet, quod Monacho Carmelitani ordinis per annos 13. perpetuos evenit. Nam quoties capillitium reducebat ad occiput, ſcintillæ ignis è capillis erumpebant. Prorſus huic ſimilis erat Caumontiæ Heroina apud *Scaligerum* Exerc. 174. quia in mediis tenebris capillus dum pecteretur, ignem vomere videbatur. Altera quoque puella non ita pridem

P. Io.

P. *Io. Fabro* in Palladio Chymico oblata, cui inter pectendum è capite in gremium ignis ſcintillulæ cadebant ruentium ſtellarum inſtar, magno aſtantium ſtupore. Quales nec quotidianis obſervationibus ſunt infrequentes.

Diverſa ratione ſenum comæ ſplendent, ob argenteos illarum fulgores à luce parvo diſcrimine ſeparatos. Eo enim prærogativæ titulo veniunt apud auctores noſtros. Ita *Seneca* Tragœdus in Hippolit.

Per has ſenectæ ſplendidas ſupplex comas.

Et *Claudianus* l.3. de Rapt.

—— lucida Phorei

Canities. ——

Non diſſentiente *Martiale* l.4. Ep.78.

Condita cum tibi ſit jam ſexageſima meßis,

Et facies multo ſplendeat alba pilo.

Vnde *alba ſenecta Propertio* l. 3. El. 5. & *aurea frons* apud *Bilbilium* eundem argento nitenti conſperſa elegantiſſime venerandam ſenectutis faciem deſignant, in qua ſub canitie ultimus vigor ſplendet, ſive ob concurſum reflexionemque lucis peculiarem cum candore, ſive ob veras luminis reliquias, quæ ex enervi & exſucco corpore in comam fulgentem refugerunt jamjam cum vita exhalaturæ, ut hac conjectura novam, nec auditam hactenus canitiei extruxerim rationem, ſi quidem ingenioſo eſſe licet. Quid vero illis faciemus qui hirſutam toto corpore pellem circumduxerunt pilis vel albis vel argenteis. Argenteos pilos in hirſuto quodam viderat olim *Cl. Licetus* apud Ducem Mutinenſem, quum juvenis *Io. Coſtæo* Medico ſummo uteretur

præce-

præceptore. Imo ex auri potabilis uſu aureos naſci crines Chymici mihi perſuaſerant. Qui quidem ab hac luce capillorum longius neutiquam abfuere, uti nec Hiſpanus ille quem ex India advectum candidis toto corpore crinibus obtectum conſideraverat *Scaliger* Exerc. 114. à Gallis hoc nomine Barbes ſeu villoſum canem appellatum. Mentiuntur pari aſtutia ſplendorem comæ feminarum ad Solis radios ita toſtæ, ut cum fulgente colore ipſum videantur lumen imbibiſſe, parum ſane à lumine differentes, quales in Proſerpina olim depinxit *Claudianus* l. 3.

——ſquallebat pulchrior auro
Cæſaries. ——

Vt in ſtudioſiſſimis Italicarum mulierum capillis quotidie eſt advertere.

Cap. XI.

De Capite *Hominum Lucente.*

De indubitata capitis lumine perſuaſi veteres, adeo in rogo feruntur ſolliciti, ut ſi corpori reliquo ſepulturam fata denegaſſent, caput flammis minimum committeretur, quod in eo animam habitare & junctam huic æternam lucem exiſtimarent. Cujus moris rarum ex carmine veſtigium eruo, quod *Iulio Cæſari* in Mſ. quodam aſcribitur. Vbi de ſervato ex naufragio filii capite, ita triumphat Mater:

Trax puer aſtricto glacie dum ludit in hebro
Frigore concretas pondere rupit aquas.
Dumque imæ partes rapido traherentur ab amni
Præſecuit tenerum lubrica texta caput.

Orba

Orba quod inventum Mater dum conderet urna,
Hæc peperi flammis, cætera dixit aquis.

Cerebrum in nuper mactatis animalibus ſine fuco micare primo, Libro ſecundo indicabitur. Cur idem de nobiliſſimo animantium non affirmarim? Per Anatomicos certe, ſeu Proſectores, ut eos *Tertullianus* indigitat, nunquam ſtetit, qui ſeptum lucidum in cerebro vocitarunt altiorem cerebri & tenuius deductam particulam. In facie evidenti internorum radiorum lumine emicamus, ubi ex abditiore fonte quaquaverſum lucidus ille nitor velut ex ſpeculo ſe diffundit, ut eo per ægritudines mortemque contracto obſcuriores genæ labantur & liveant, luciſque naturalis decor interrumpitur. Vnde ad rem *Statius* in Achill.

—— niveo natat ignis in ore
Purpureus. ——
Tranquillæque faces oculis & plurima vultu
Mater ineſt. ——

De ſupra naturali ejus ſplendore, qui Chriſto mutata in monte ſpecie inſederat, vix auſim verba facere, quia conſuetam naturæ conditionem excedit, illius propria, qui Divina luce ab æterno fulſit. De eo tamen *Matthæus* ſacer Vates cap. 17. com. 2. καὶ ἔλαμψε τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ὁ ἥλιος, & reſplenduit facies ejus ſicut Sol. Quam lucis metamorphoſin felici carmine *Hermannus Hugo* adumbravit l. 3. Pior. deſid.

Cum teſtata Deum facies tibi flammea luxit,
Cinxit & auratas fax radiata comas, &c.

Addiditque de Petro aſtante:

Viderat aërios obſiſtere vultibus ignes,

Vt

Vt ſolet accenſo candida mica foco.
Viderat ardenti rutilantem vertice flammam,
Quale laceßitum ſole refulget ebur.

Vbi mirum exiſtimaverit curioſior, qua ratione tantos potuerit lucis radios ſuſcipere corpus, in pari nobiſcum mortalitatis ſorte conſtitutum. Sed depoſito ſcrupulo, quia æternæ Divinæque mentis receptaculum eſſe debuit, ſingularem & exquiſitiſſimam elementorum luciſque inſitæ temperiem, longius à mortalium conditione ſemotam, in facie Servatoris mecum admiretur, quæ promptos advenienti Divinæ luci exhibuit amplexus. A qua accuratiſſima principiorum mixtura pulcherrimus inter filios hominum veriſſime pronunciatur, ut nos eam veneremur potius religioſo ſilentio, quam rimemur. Inferior huic lux ex omnium ore reſplendet & facie, ſolius lucis æmula, ubi tanquam in ſpeculo expreſſæ latentium rerum imagines conſpiciuntur. Obſcurior ea in aliis vel clarior pro diverſa reconditi luminis copia. Domitiano pluſculum contribuit *Martialis* l. 8. Ep. 65.

Hic ſtetit Arctoi formoſus pulvere belli
Purpureum fundens Cæſar ab ore jubar.

Nec minus faciei Stiliconis *Claudianus.* lib. 1. verſ. 45.

Spondebatque Ducem celſi nitor igneus oris,
Membrorumque modus, qualem nec carmine fingunt
Semideis. ——

Fuit & Achilli amore percito ſua portio, indicio *Statii Papinii* l. 2. Achilleid.

Nec latet hauſtus amor. Sed fax vibrata medullis

In

In vultus atque ora redit, lucemque genarum
Tingit, & impulſum tenui ſudore pererrat.

Proſerpinam ab eodem privilegio commendat *Claudianus* l. 3. de Raptu:

—— Ille ſuperbi
Flammeus oris honos, & non ceſſura pruinis
Membra colorantur picei caligine regni.

Moxque extremo carmine confirmat:

—— manet ille decor? manet ille genarum
Fulgor? ——

Et ſimile apud *Coluthum* de raptu Helenæ:

Καλὸς ἔην κἀκεῖνος ἐπ' ἀγλαΐῃσι προσώπου.

Hoc eſt, ex Verſione *Stephani Vbeli:*

Pulcer erat & ille propter faciei ſplendores.

Moxque Helena ad Paridem:

Ἀγλαΐην μὲν ἔοικας ἀριζήλῳ βασιλῆϊ,
Nitor quidem ſimilis eſt illuſtri regi.

Vnde non mirus eſt faciei ad cœleſte lumen conſenſus, ut ad cœlorum clariorem vel obſcuriorem nitorem diverſo aſpectu ſe componat. Nec de nihilo eſt, quod erectos ad ſidera, cognati generis, vultus erigamus.

Fulgentes marmore vultus ob eandem ſplendoris majeſtatem extollit *Martialis* l. 9. Eprig. 24. de Caro:

Aſpicis en domini fulgentes marmore vultus,
Venit ad has ultro noſtra corona comas.

Quam oris elegantiam mulierculæ veteres artificio vel juvabant vel ſupplebant fuco ævo noſtro uſitato, præſertim purpura illita, unde purpuriſſatas buccas appellavit *Plautina Muſa* in Truc.

Quæ iſtas buccas tam belle purpuriſſatas habes.

Simplicique coloris nomine expreſſit in Alcmena *Geta* apud me necdum editus:

Arte jacent crines, auro quoque dextra ſuperbit,
Pingit & hos vultus, juvat ut arte color.

Ex quibus luce clarius exiſtimo veteres ſplendentia ora pinxiſſe vel ob inſitos flammarum ignes externo nitore ſe diffundentes, vel ob ſolam externæ cuticulæ lævorem, ſplendoris indicem. Ea enim arte puerorum glabra nulliſque pilis aſpera menta ſplendere jubebant. Hinc Tibullus l. 1. El. 9.

Carior eſt auro juvenis, cui lævia fulgent
Ora, nec amplexus aſpera barba terit.

Martialis quoque concors l. 2. Ep. 36.

Splendida ſit nolo, ſordida nolo cutis.

Quod manifeſtius *Apulejus* l. 7. Metam. Mihi etiam tunc depiles genæ lævi pueritia ſplendicarent, Idemque lib. 9. indicat: Puer adhuc lubrico genarum ſplendore conſpicuus.

Cap. XII.

De Facie Moyſis lucente.

INter magna lucis noſtræ exempla locum meretur eminentiſſima Legiſlatoris ſacri facies, quam Divinæ lucis præſentia ita affecit ut conceptum in monte ſplendorem populo ſtupente conſervarit. Cujus rei ſeriem apud eundem in *Exod.* c. 34. fidelius deductam inveniet, qui volet. Nolim tamen vulgatæ nimium fidas verſioni, quæ cornutam egredientis Moſis faciem male poſuit. Vnde pictorum ortus error, qui Moſen ſuis delineaturi coloribus, binis cornibus exornare ſolent, ut nummus

indicat antiqui toreumatis Romæ à me inventus, inflexo arietis in morem cornu cum Decalogi præcepto de Idololatria vitanda ſignatus. Cui ſimilis eſt alter apud Cl. *Io. Rhodium* noſtratem, niſi quod rectum obtuſius protendantur cornua. Chriſtianorum quidem opus crediderim in opprobrium gentis Iudææ factum, quæ omni ſeculo ſculpturas damnarunt, idque eo magis ſuſpicor; quod male Iudæos habere *Steuchus* Rabbinus auctor eſt, quod Chriſtiani cum cornibus Moſen depingant. Revera enim cornua capiti ejus hæſiſſe aliquibus firmiter perſuaſum, ut legi per eum latæ major accederet auctoritas, quod apud *Henricum Salmuth* Notis ad *Guidi Pancirolli* Deperdita reperias. Nam cornu auctoritatis & excellentiæ nota fertur, ut pro ipſo etiam Rege in divino Codice 2 Reg. 22. adhibeatur. Alii ſubtiliori genio cornutum Moſen Iudæis apparuiſſe putarunt, quoniam Lyſimachi Regis more concinnos geſtavit capillos, quibus & olim uſi Armeniæ Sacerdotes. In cornuum ſane formam crines in magnifico æreæ ſtatuæ opere Melitæ intorquentur, quod Moſis ſimulachrum templo S. Ioannis Galli Anno Salutis 1550. conſecrarunt. Et ne quis ſine ratione id interpretetur aliorſum, ignorare non debet tale crinium artificium cornu appellaſſe *Iuvenalem* in Sat.

Cœrula quis ſtupuit Germani lumina, flavam
Cæſariem, & madido torquentis cornua circo?

Et alibi:

—— *cornua crinum*
Plexus in acutum intorti. ——

Quales novæ nuptæ nuptiarum celebritate Venetiis

tiis geſtant, & de omnibus felicis Arabiæ incolis in deſcriptione urbis Reame refert *Ludovicus Varthema.* Scribit quoque ex ſententia Græcorum Grammaticorum *Cælius Rhodiginus* l.30. c.1. cornua pro capillis fuiſſe poſita, quia utrumque eodem modo enaſcatur. Quin pro luce crines uſurpatos ex *Valerio Flacco* l.2. patet, ne alios advocem:

Aſtraque, & effuſis ſtellatus crinibus æther.

Vt facilis ad cornua fuerit flexus, pari licentia, qua incurva omnia figuræ vicinitate per cornu expreſſerunt antiqui, vel *Iſidoro* monente l. 9. Orig. Præſertim vero flumina, quæ per obliquas ripas tortuoſo curſu labuntur. Nam de Eridano, quem cornutum fingit, ita *Virgilius* l.4. Georg.

Et gemina auratus taurino cornua vultu
Eridanus, quo nõn alius per pinguia culta
In mare purpureum violentior influit undis.

Eodem nomine alius apud eundem venit. *l.8. Aen.*

Corniger Heſperidum fluvius regnator aquarum.

Taurinis cornibus ob mugitum & ferociam labentis aquæ donari flumina crediderunt *Feſtus* l. 18. *Probus* Grammaticus in voce Padus. Quos juvat *Horatius* ſævitiam Aufidi infamans l.2. Od. ad Aug.

Sic tauriformis volvitur Aufidus,
Qui regna Dauni præfluit Appuli
Cum ſævit. ——

Diverſa fluviorum brachia alii referunt. Sed brachiis cornu aſſignarunt eadem curvitatis ratione. *Valerius Flaccus* l.8. Argon.

Haud procul hinc ingens Scythici venit impetus Iſtri,
Fundere non uno tantum quem flumina cornu

Accipimus. ——

Alibi quoque *Rhenus bicornis* dictus, à ſinuata currendi via, vel duplici oſtio, quo per ambages Oceanum influit, quemadmodum Nili oſtia vocabantur cornua *Claudiano* de Nupt. Hon.

—— *ſeptem deſpectans cornua Nili.*

Verum enim vero has de Moyſe conjecturas ſacer textus preſſius inſpectus & meliores Interpretes de facili difflant. Sine cornibus enim fuiſſe legiſlatorem extra dubitationis eſto aleam, quæ ſi auctoritatis gratia accepiſſet, fruſtra velamine abſcondidiſſet, iis quibus forent monſtranda, parumque modeſte Iehovæ remoto velo oſtentaſſet. Veroſimilius enim videtur crines fuiſſe lumine interſperſos, & cornua nihil niſi ſummi ſplendoris radios ex facie emicantes ſignificaſſe, quibus aſtantium oculi perſtringebantur. Apud Hebræorum quippe gentem Cornu & Radius pari paſſu ambulant, quoniam verbum קָרַן per זהר *ſplenduit* exponunt, & *Rabbi Kimchi* idem קרן à cornu derivat. Quod & Latinis placuit, qui cornuta luminoſis, vel lumina cornutis aſſignarunt. Lunam quippe cornubus emergentem finxerunt, & è diverſo cornibus Lunæ dabant ſpeciem. Solus ſit teſtis *Claudianus* de Vitulo l. 1. de Raptu:

—— *Vitulam non blandius ambit*
Torva parens, pedibus quæ nondum proterit arva.
Nec nova lunatæ curvavit germina frontis.

Vnde caput cervi cornutum micare dicitur apud *Calphurnium* Ecl. 6.

—— *micat acre caput.* ——

R. *Salomon* vero per radios Hebræam originem expo-

exponens, vocat קרני ההוד cornua magnificentiæ. Cui concors eſt Chaldæa verſio, quæ gloriam poſuit faciei ad aliorum ſcripturæ locorum mutationem. Alibi etenim קֶרֶן gloriam notat & decus, quod ex lumina elucet. Ita *Iobi* 16. v. 16. קַרְנִי בֶּעָפָר וְעֹלַלְתִּי ſaccum conſui ſuper cutem meam, & operui cinere gloriam meam. Vbi *Ionathan* decorem & paulo remotiori ſignificatu *Andreas Oſiander* *cornu* ſubſtituunt. At quo ſenſu in Vulgata verſione *carnem* elegerit *B. Hieronymus*, equidem ignoro. Melius certe in *Pſalmis* lxxiv, 5. & 6. lxxxviii, 25. cxxxi, 17. cxlviii, 14. קֶרֶן cornu ſuppoſuit, quanquam ſimili notione gloriam ſeu ſplendorem *Ionatân* maluerit. Explicant autem corneam hanc lucem Hebræorum Magiſtri, inprimis *R. Salomon*, quod radii in cornu morem reflexi, ex Moſaico vultu micuerit, ſicut & radios à Sole, derivatos, cornu ſpeciem præ ſe ferre ſubinde imaginamur. Quo pertinent *di Drepano* aſſcripti verſus:

Flammea cornuto librantem lumina vultu,
Geſtantemque ſacris jura ſacrata libris.

Nec alia ratione Alexandro Macedoni cornua pone aures in antiquis numiſmatibus appinguntur, quod in *Obſervationibus* noſtris Novis de *Vnicornu* annotavimus, quam quia caput ejus in ſummo prælii Indici ardore ſcintillaſſe referant Hiſtorici, ſi quidem hæc conjectura placet; non neſcius interim ad Iovis Ammonis arietem reſpexiſſe quamplurimos, cujus ſe filium falſa Sacerdotum acclamatione jactaverat Macedo. Quidquid ſit, tanta ex Moyſe effulſit claritas, ut velo habuerit opus

verba ad populum facturus. Quod ad myſticum ſenſum trahit D. *Paulus* 2 Cor. 3. v. 13. & 14. obſcuris quidem verbis nec ſatis intellectis, ſed quorum ſententia huc fere redit, lucere nempe etiamnum Moyſis faciem, nec videri ab Iſraëlitis ob lucis ſplendorem, qui, ut faciem abſorbuerat quaſi, ita in veteri fœdere oculos intentius perſtringere legum duritie & typorum velamine à Chriſto detegendo. Id enim τὸ καταργεῖται ſeu evacuatur denotaſſe auguror. Parum ad veritatem *Rabbi Sepharadi* accedit præſentis veli explicatio. Velaſſe nempe Moyſen vultus quum filiis Iſraël loqueretur, quo majorem auctoritatem dictis circumdaret, amoviſſe vero velamen ad Iehovam converſo ſermone, quia indignum foret cooperta facie Regem Regum affari. Ingenioſa ſane, ſed antiquitatem nullam ſapiunt, quippe tecta facies caputque in veterum ſacris non majeſtatem ſed animi indicabat demiſſionem, ut fuſius in *Anatomia noſtra Pagana* agimus. Vnius hic ſufficeret *Plauti* teſtimonium in Moſtellaria:

—— Quia etiam hoc illi dicito
Facturum me, ut nec etiã adſpicere ædes audeat,
Capite obvoluto, ut fugiat ſummo cum metu.

De Megara in Herc. Furente *Seneca* Act. 2. Sc. 3.

Namque ipſa triſti veſtis obtenta caput
Velata, juxta præſides aſtat Deos, laterique adheret verus
Alcidæ Sator. ——

Plutarchus etiam in Quæſtionibus Romanis inter cauſas, quare velato capite, non aperto Diis ſacra fierent, primam facit, eo habitu animi faſſos eſſe demiſ-

demiſſionem. Quam antiquorum religionem contrario Chriſtianorum ornatu illudit *Tertullianus* in Apolog.c.20. *Illuc* (ſc. ad cœlum) *ſuſpicientes Chriſtiani manibus expanſis quia innocui, capite nudo, quia non erubeſcimus, denique ſine monitore, quia de pectore oramus, precantes ſumus omnes ſemper pro omnibus.* Et ne Græcorum Romanorumque hunc cultum regerat *Sepharadi*, idem probo inter Hebræos uſitatum, quorum Pontifices ſacrarium ingreſſuri capitis tegmen, quod Cidarin lineam vocant officioſa erga Iehovam devotione induunt, ut ex *Exod.* XXIX, 6. & XXXIII, 40, 42. *Levit.* XVI, 14. manifeſte colligimus. In hodiernis quoque ſacris veteris moris obſervantiſſimi velato omnia capite peragunt. Non ergo ob auctoritatem vultum Moyſes texit, ſed ut ſplendoris intenſi radios ab auditoribus diverteret, quorum radiorum majeſtatem pie & dilucide *D. Paulus* in æternæ lucis comparatione *2. Cor. 3. verſ. 16.* propoſuit. Preſſius Moyſis lucem introſpexit *Clemens Alexandrinus* l. 6. Strom. *glorificatam coloris ſpeciem* agnoſcens. In quo ſplendoris per univerſam faciem diffuſæ continuo tractu, nolumus cum pictoribus radios in cornua bina dividere ſeu eminentes faculas, qui æquali ſplendore continuam lucem fulſiſſe inde credimus, quod totam pariter obvelaverit faciem, nulla diſtincto intervallo cornuum differentia. Vnde major ex veritate gloria pictorum foret, ſi non tam cornutam quam radiatam æquis partibus faciem ducerent, eodem artificio, quo Sanctorum capita continuo radiantis coronæ circulo cinguntur.

Cujus quidem coronæ non æque manifeſta eſt

origo, atqui uſus. Inveniemus tamen niſi nos fallit augurium. Corona lucente illorum tantum verticem circumdederunt, qui divinitatis aliquo privilegio luce inſigni ſeu interna, ſeu à ſuperis conceſſa effloruere. Ex luce autem quam corpora ſpirare fingebant, pro ſubjecti capitis ratione, tenore in orbem radii expanduntur nunquam interrupto, qui tamen, quamvis uniti, ob diſtantiam diſtinctis per exigua intervalla apicibus viſui noſtro imponunt. Hincque artificioſa pictorum manus, ut oculorum lapſum corrigerent, effluentem ſanctorum lucem ſeu veram ſeu putaticiam integra coronarum ſerie per penicillum figuravit, quam alioquin in radios diſperſam falſo ſuſpicaremur. Fuit & aliorum dignitati conceſſa radiata hæc corona, qui aliqua luce vulgarium ſortem videbantur excedere. Talem Auguſto filio inſomnis imaginabatur Octavius Pater apud *Suetonium* cap. 92. *filium mortali ſpecie ampliorem cum fulmine & ſceptro, exuviiſque Iovis Opt. Max. ac radiata corona ſuper laureatum currum biſſenis equis candore eximio trahentibus.* Quod elegantius expoſuit *Velejus Paterculus* lib. 2. *Quum intraret urbem, Solis orbis ſuper caput ejus curvatus æqualiter, rotundatuſque in colorem arcus veluti coronam tanti mox Viri capiti imponens, & coronas diſtinctas Solis ac Lunæ ſpecie.* Latinum pari decoris facie inducit *Virgilius* l. 12. Æn.

—— cui tempora circum
Aurati bis ſex radii fulgentia cingunt
Solis avi ſpecimen.

Nec diſſimilis, *Ovidio* in Epiſt. ad Hippol. laudatus;

Quod

Quod ſit avus radiis frontem vallatus acutis,
Purpureo tepidum qui movit axe diem.

Prorſus id in Syria Dea cum *Luciano* admireris, quam ἐπὶ τῇ κεφαλῇ ἀκτῖνας φορέειν, coronas in capite portare narrat, radiis dubio procul immixtas. In *Miſanthropio* apud eundem adulator aliquis auream Timoni ſtatuam erigit κεραυνὸν ἐν τῇ δεξιᾷ ἔχοντα, καὶ ἀκτῖνας ἐπὶ κεφαλῇ. Quas quoque non raro in veterum nummis advertas. Nimbus vocabatur ejuſmodi corona radiata, teſte *Servio*, quem ad veri nimbi, qui cœleſtia ſidera Lunam Solemque ambiunt, ſimilitudinem depictum haud iverim infitias, ut quum ſub humanæ formæ ſpecie Deos hos colerent, nimbum illorum divinioris conditionis hominibus attribuerint. Sol autem, ut princeps univerſi lux, radiato vultu ante cæteros reſplendet, & ſplendere fingitur apud *Martianum Capellam* l.1. de Nupt. Philol. *Solis auguſtum caput radiis perfuſum circumactumque flammantibus*. Et *Arnobius* diſertiſſimus contra gentes l.6. in eandem rem diſſerit: Ecce ſi aliquis vobis neſcientibus, & ignaris rex Vrbanus & callidus ex foribus ſuis Solem tollet, & in Mercurii transferat ſedem: Mercurium rurſus arripiat, & in Solis faciat commigrare delubrum, (uterque enim à vobis glaber atque ore compingitur lævi) *detque huic radios*, *Solis capiti petaſunculum ſuperponat*, quibus modis internoſcere poteritis, utrumne Sol iſte ſit, an ille Mercurius, quum habitus vobis Deos, non oris ſoleat proprietas indicare? Confert quoque de Sole Symbolam ſuam *Prudentius* lib. 1. contra Symmach.

Hoc ſidus, currum, rapidaſque agitare quadrigas
Commenti, & radios capitis, & verbera dextra,
Et frenos faleraſque & equorum pectora anhela.

Radiatis lineis revera pictum fuiſſe, oſtendit antiqua Solis Tabula marmorea, quam ex ædibus Haſdrubalis *Matthæi Marchionis Iovii* Romæ doctiſſimus *Alcander* publico ſcripto illuſtravit. Sexdecim radios præfert numiſma vetus Rhodium apud *Ant. Auguſtinum* Dial. 2. humana ſpecie & capillis dependentibus, quos tamen in Gaditano Solis nummo non deprehendit *Io. Bapt. Suarez* in Antiq. Gaditanis. Per crines expreſſerunt Poëtæ, ut notum vel ſolius *Statii* verſiculo l. 3. Theb.

——rutilamque lavabat
Oceani ſub fonte comam.——

Quo etiam illuſtribus rotis collinearunt, quibus mundo diem promit conditque Phœbus, candentium & lucidorum nomine venientibus. *Claudianus* recitet de Nupt. Hon.

——ſegnemque rotam non volvere Phœbe.

Audiatur ſimul *Statius* l. 2. Sylv.

Stridoremque rotæ candentis audis.

Imitabantur hanc radiati imaginem fortaſſe Chriſtianorum primi, ſi recte ſententias ſubducamus in depingendis ſanctis, ne quidquam in Claritate Diis viderentur ceſſiſſe. Vel forſan ad coronas reſpexerunt, quæ per apices eminent, Deorum proprias, ut Largioribus teſtimoniis exponant Antiquarii. In Iſide ſane Ægyptia, quam ex gemma ſignatoria vetere delineavit *Pignorius* Symb. Epiſt. 23. coronula ad radios cœleſtes accedit quam proxime. Sunt tamen qui coronam orbicularem in Sancto-

Sanctorum ſtatuis effictam tantum ob tutelam exiſtiment, ut irruentes pluviarum niviumque noxas veluti clypeis à capite declinent: Sitque loco pilei, cujus nempe formam accurate effingit antiquiſſima D. *Marci* ſtatua Patavii in foro piſcatorio veteri ad ædem S. Andreæ erecta, olim, ut fama eſt, Ateſtæ advecta. Hunc galerum dixerunt excipiendis à Sole injuriis uſitatum. *Claudianus* l. 1. de Raptu.

—— cyclonius adſtitit ales
Somniferam quatiens virgam, tectuſque galero.

Nec non *Calphurnius* Ecl. 1. de Ornito & Cnidone colonis:

Nos quoque vicinis cur non ſuccedimus umbris?
Torrida cur ſolo defendimus ora galero?

Cui Tiara non fuit abſimilis, quam pro fulgentibus radiis nimboque in Phœnice poſuit *Phiſiologus Epiphanii* plane ad mentem noſtram: τιάραν γὰρ φέρει ἐπὶ τὴν κεφαλήν. Tiaram enim in capite geſtat. De ſplendenti vero accipiendum hoc corona plumata, data lib. 2. de Phœnice opportunitate diducemus.

CAP. XIII.

De Oſculi, Dentium & Linguæ ſplendore.

EX oſculo ipſo fulgentes faculas accenſas *Licinii Caci* Tarraconenſium olim Tyranni exemplo liquet, quem ignes exhalaſſe veros apud *Nierenbergium* in Hiſt. Nat. *Ardelinus* Philoſophus fecit fidem, ut exinde ad Vulcanum creditus ſit referre originem. Quod pertexit *Virgilius* l. 8. Æn. de Caco:

Huic

Huic monſtro Vulcanus erat Pater; illius atros
Ore vomens igneis, magna ſe mole ferebat.

Quo tamen ignes pro ardentibus irarum motibus, qui Tyrannum veluti furioſo ſidere afflarunt, interpretantur non pauci Parnaſſi cives, qui ſe autoritate Hiſtoricorum tutantur, principiſque *Livii*, & quotquot flammantes ejus ex ira oculos atroci ſtylo perfoderunt. Addo ego, haud diſpari ſermonis modo rixoſum & lites ſerentem deſcribi *Prov.* XVI, 27. *Vir Belial fodit malum, & in labiis ejus ignis ardeſcit.* Homo perverſus ſuſcitat lites & verboſus ſeparat principes. Quas furias in *Caco* notavit idem *Maro*:

At furiis Caci mens effera, ne quid inauſum
Aut intentatum ſceleriſve dolive fuiſſet.

Maximeque ſe prodidit quum Alceiden à ſpelunca prohibiturus faucibus ingentem fumum evomeret, domumque caligine cæca involveret. Quid, quod incendia, quæ vana vocat Poëta, in Alceiden vomuerit.

Genas lucentes decantat *Calphurnianus* Lycidas Ecl. II.

Tu quoque, ſæve puer, niveum ne perde colorem,
Sole ſub hoc ſolet hic lucentes urere malas.

Vbi paulo aliter Codex meus Mſ. ſed & hic lucentes *vertito* malas. Vult enim à Sole avertendas malas ne colorem lucidum deperdant. Ab hoc ſplendore Phœbo dicuntur ali *Statio Papinio* l. 8. Theb. eaſque *Claudianus* l 2. de Rapt. Phœbi appellat:

At Triviæ lenis ſpecies, & multus in ore
Frater erat. Phœbique genas & lumina Phœbi
Eſſe putes. ——

Quo

Quo referenda Alcmenæ elegantia à Iove ipſo dilaudata apud *Getam* Mſ. in Paraphraſi Amphitruonis:

Quam melior Iunone mea, mea ſidera vincit
Plus radiat ſtellis obtenebratque diem.

Barbam fulgentem Antilochi deſcribit *Iuvenalis* Sat. 10. verſ. 252.

—— videt acris
Antiochi barbam ardentem. ——

Cui flammam rutilus color juvenibus familiaris poterat affingere, niſi de barba filii luce vehementiori in rogo ardente conquereretur Rex Pylius immaturis fatorum Legibus permotus, de quo in Iconibus ſuis *Philoſtratus* lib. 2. Eadem veritate Phlegetontis barba luxiſſe fingitur apud *Claudianum* l. 2. de Raptu:

Aſſurgit Phlegeton, flagrantibus hiſpida rivis
Barba madet, totoque fluunt incendia vultu.

Vbi pro *Toto*, *Tetro* Mſ. meæ membranæ reponunt, non abſona, ut arbitror, mente. Tartareum enim vocat *Virgilius* 6. Æn. quem

—— rapidus flammis ambit torrentibus amnis.

Iam Dentium ſplendorem à natura impreſſum obſcurius obſervamus, quia effluxum luminis oſſea ſoliditas arctius duriori ſua compage ſtringit. Eam tamen corporis denſi firmitudinem ſi peculiare principiorum laxamentum ſolverit, facile ex dentibus elicias ſcintillas. Talem dentium compagem in Belgio non ita pridem produxerat *Nicolaus Sojerus* Vir ſpectatæ fidei & prudentiæ, ut inſtar ſilicis ligno quodam Indico percuſſu oſſa ſcintillare conſpicerentur, quod bona fide ad me

frater

frater ejus *Guilielmus Sojerus* Græcæ litteraturæ peritiſſimus detulit. Conſpicua magis lux in dente illo giganteo viſitur, quem ex Sicilia monſtrorum gigantumque olim ſede πολύτροπος *Petrus Chariſius* Cognatus noſter non uno nomine ſuſpiciendus exportavit. Vbi, mirum dictu, incluſus quaſi foveis, ſplendor mobilis, obſcuro etiam loco comparet. Forſan pueri illius Sileſiaci, cujus ſeculi hujus exordio percrebuit fama, inſitæ lucis copia aurei coloris claritatem mentiebatur. Aureum enim fuiſſe dentem famæ condonandum exiſtimo, quando quidem vere pro fabula diligentiſſimus ſcriptor *D. Sennertus* traduxit. Oſtentant quaſi intento digito clarius lumen Æthiopes, quorum dentes in umbroſo corpore facularum videntur gerere vices, & in omnibus idem vicino candore æmulatur natura. Perfunduntur tamen maxime lucido hoc colore Æthiopes, ipſa oris nigredine candorem nitidum intendente, quod nobis Melitæ (vetus ea Phœnicum colonia, & Æthiopum ferax) frequentius occurrebat. Indicat & lucem occultus mordentium effectus hominumque canumque, quem luci occultarum qualitatum auctori, haud invitus conceſſerim. Vnde fulmineum apri dentem querebatur canis Lydiæ in Epitaphio à *Martiale* ipſi erecto l. 11. Ep. 70.

Fulmineo ſpumantis apri ſum dente perempta,
Quantus erat Calydon, aut Erymanthe tuus.

Quod ſi propria lucis mixtura carere contendas, lucidi nomen mereri fatearis neceſſe eſt vel eo titulo, quod lucentis animæ præcipuum in mortuis ſubjectum crediti ſint. Incorrupti enim hoc hoſpi-

hoſpite permanent, ut ſint ſemina fructificaturi corporis in reſurrectione, auctore *Tertulliano* l. de Reſurr. quemadmodum *Corn. Agrippa* ex oſſiculo Seſamoideo maximo, defunctum hominem aliquando reſuſcitandum ſomniavit. Quid rei ſubſit non auſim definire. Id ſcio maximam in ſepeliendis cuſtodiendiſque dentibus veteres curam verſaſſe, tanquam ſui ortus principiis, quod *Martialis* indicio didici l.8. Ep. 57. de Picente:

Tres habuit dentes, pariter quos exſpuit omnes
Ad tumulum Picens dum ſedet ipſe ſuum.
Collegitque ſinu fragmenta noviſſima fracti
Oris, & aggeſta contumulavit humo.

Perduratque etiamnunc apud Italos Septentrionalioreſque conſuetudo ab antiquitate deducta, erutum dentem ſuum ſummo ſtudio ſepeliendi. Nec mirandum tantopere in dentibus vitæ luminiſque recondi reliquias, quum à dentibus per Cadmum ſeminatis natos eſſe homines vetus ſit traditio, eos vero orta diſcordia mutuo vulnere intercidiſſe, præter quinque omnes. Superſtites autem ſparſos vocatos *Gellius* & *Ammianus Marcellinus* perhibent, quanquam Spartiatas *Lactantius*, *Symmachus* in Epiſt. Spartacos præferat. Non hæc plebeja tantum, ne erres, fuit religio. Eadem quippe opinione irretiti Legiſlatores *DecemViri in xij. Tabulis* aurum dentibus alligatum cum iis contumulari permiſerunt, ut incorruptos ſcilicet conſervarent. Verborum Legis à *Tullio* l.3. de Leg. citatæ, hæc ſumma: *Neve aurum addito buſto: aſt quoi auro dentes vincti erunt, in cura illo ſepelire urereve, ſine fraude eſto.* Aurum fictitiis ſolutioribuſque colligandis inſerviebat,

quod

quod nec noſtro ſeculo infrequens, videoque ad firmitatem etiam buſto relictum. De propriis dentibus vacillantibus Lucianus: Τέτταρας ἔτι λοιποὺς ὀδόντας ἐχούσης, χρυσίῳ καὶ τούτους ἐνδεδεμένους, *Adhuc reliquos dentes quatuor habens, & omnes quidem auro vinctos.* Nam aurum præter aſtringendi ligandique poteſtatem, etiam ad robur partis facere putatur, quo dentes loquendi manducandique prima inſtrumenta, & ſeminis reſervatores hominis poſt tranſacta ſæcula redituri, inprimis indigent.

Linguas quoque Pentecoſtes die ſtupendo ſpectaculo tum igneo fulgore, tum diviſis luminum radiis viſas Solymis ardere. D. *Lucas* Act. 2. v. 3. neſciis fallere verbis prodidit. Διαμεριζόμεναι γλῶσσαι apparuerunt ſeu diviſæ ob fulgentem flammarum ſpeciem, quæ motu tremulo varie ſe flectentes, varios apices efficiunt, & cornua produnt, ut Moyſes ſuo exemplo monſtravit. Hac autem ſeparata facie apparere linguæ debuerunt, ut pro numero apicum totidem Dialectos gentium Doctores proferrent loquuturi. Linguas non igni ſimiles, ſed igneas *Ruffinus* accipit *Hieronymi* æqualis: *Tradunt,* inquit, *majores noſtri, quod poſt aſcenſum Dominicum cum per adventum Sancti Spiritus ſupra ſingulos quoſque Apoſtolos igneæ linguæ ſediſſent, ut loquelis diverſis, variiſque loquerentur, per quod nulla gens extranea, nulla linguæ barbaries inacceſſa videretur.* Eadem ſententia inflammatos nominat Apoſtolos *B. Auguſtinus* Serm. 1. in Vig. Pentec. à conſpicua linguarum flamma. Ἐν εἴδει πυρὸς retinet *Theodorus Metochita* in hiſt. Rom. id propter eum, qui dixit: Veni ut ignem mundo immitterem. Sed quid eſt quod

capi-

capitibus eorum non ore inſidebat flamma? Nempe augetur miraculum flammæ magnitudine quæ ex ore forſan ad caput protendebatur.

CAP. XIV.

De OCVLORVM *Luce.*

OCulis noſtris inſitæ lucis immenſam ineſſe copiam luce clarius exiſtit meridiana, qua quidem corpori, ut univerſo Sol, faculas præfert. In gratiam tamen illorum, qui plus opinioni conceptæ fidunt quam veritati, rem claram exemplis, ratione & auctorum vocibus illuſtrabo, quibus exacti enarratoris munus videbor impleviſſe. Prodeunt in fronte illorum exempla qui lucem ex oculis emiſſititiam vibrarunt, quales fuere *Cajo Mario*, qui fulgore luminum ſatellites ad ipſum trucidandum miſſos deterruit, & Auguſto Octavio apud *Suetonium* in ejus vita c. 79. *Oculos habuit claros ac nitidos; quibus etiam exiſtimari volebat ineſſe aliquid divini vigoris; gaudebatque, ſi quis ſibi acrius contuenti, quaſi ad fulgorem Solis, vultum ſubmitteret.* Simili oculorum lumine noctu cuncta vidiſſe Tiberium idem *Tranquillus* c. 68. auctor eſt, & *Plinius* l. 11. c. 37. *A. Gellius* l. 9. Noct. Att. c. 4. ex veteribus libris Græcis repetit, in ultima quadam terra, quæ Albanica dicitur, gigni homines, qui in pueritia caneſcunt, & plus cernant oculis per noctem quam inter diem. Quod confirmat de Albanis *Plinius* l. 7. c. 2. Aſclepiodotus Philoſophus, cui præceptor erat Proclus, in denſis tenebris & aſtantes dignoſcebat, & literas legebat, teſte *Photio* in Bibliotheca. De Cive alio Brigantinæ urbis in Luſitania

referunt *Patres Conimbricenſes* l. 2. de Anima 99. Art. 1. altis tenebris acutiſſime cuncta diſtinxiſſe. *Cœlius Rhodiginus* l. 15. Ant. Lect. ſibi quandoque eveniſſe ſancte aſſerit, ut de noctu clare minutiſſima quæque diſtingueret. *Cardanus* quoque inter ſui miracula de ſe ſcribit in prima juventa illud ſibi cum Tiberio fuiſſe commune, ut nuper experrectus in maximis tenebris omnia luſtraret ac ſi clara dies eſſet, brevi tamen vi illa ſe ſubtrahente. Patri ſuo Iulio Cæſari, ſibique ad annum duntaxat viceſimum & tertium, ſimilem lucem ex oculis fluxiſſe teſtatur *Ioſephus Scaliger*, & de ſeipſo *Libertus Fromondus* in Meteorologicis. *Sophronius* de ſpiritibus c. 51. de Iuliano Monacho amplius narrat, eum ſeptuaginta annorum curriculo nunquam lucernam accendiſſe, quum nunquam habuerit, & nihilo minus nocturnis tenebris libros perlegiſſe. Alterius Piſani hiſtoriam texuit *Fabricius ab Aquapendente* l. de viſ. c. 4. qui eam nactus fuerat oculi conſtitutionem, ut noctu probe, interdiu nunquam aut obſcure cerneret. Ob lucem nempe clariorem in tenebris elucentem, quæ tanta nonnullis crevit, ut fulgorem externum circa oculorum orbes efformarit, quod in *Theodoro Beza* Viro Clariſſimo notarunt ejus domeſtici. Idem naturæ ſingularis privilegium in tenera ætate Conſultiſſimo Patavini Gymnaſii Viro *Io. Mich. Pieruccio* obtigiſſe mihi fidem coram fecit Illuſtris Comes *Gaſpar Scioppius* ſæculi laus & interior Divinorum Interpres, adeo ut ad proprium oculorum lumen nocturnis vigiliis elegantiſſima carmina ex ingenio ſummo exegerit. Hæcque de ſano Doctorum ſtatu dicta velim, nec deſunt

deſunt paria in ægrotantibus documenta. Nam mulierem quandam Germanam Patavii 1607. ex lumbrico lato prægnantem adducit *Adrianus Spigelius* cap. 15. de Lat. Lumbr. cui oculi lucentes ex morboſo, ut cum *Aureliano* loquar, corpore fulgebant. Ægrum alium *Galenus* l. 7. de Decret. Hipp. & Pl. c. 4. obſervavit in ſomnis patulis palpebris magnam ante oculos ſuos lucem videre ſolitum. Quo collocandi ſplendores & coruſcationes quibuſdam ante viſum obverſantes, μαρμαρύγας dictas Græcis Medicis, quas ſupra deſcripſimus, ut hic Oneſianactus ſuffecerit *7. Epid. t. 41.* ophthalmicus cui deambulanti in foro ſplendores apparuerant ante oculos, ut ne Solem quidem valde potuerit diſcernere. Eoſdem ſplendores oculorum hypochondriorum dolores inſequutos ibidem firmatur. De me ſane teſtari non dubito, ſæpius nocturnis horis ſcintillas oculis meis obvolutari ſparſim exilientes in obſcuro cubiculi, quas pro viſus mei damno interpretor. Oculos ſcintillantes affinxerunt Anti-Chriſto Babyloniæ nato ſuſpectæ præteritorum annorum Narratiunculæ, cujus tamen monſtri & Ideam & Deſcriptionem à Magno Melitenſis Ordinis Magiſtro *Io. Paulo Laſcare* ad Sereniſſimam Sabaudiæ Ducem tranſmiſſam in rei, non ſatis firmæ, fidem nactus ſum. Id certum eſt & indubitatum, compreſſo juxta angulos, quos canthos nuncupant, oculos ad motum comprimentis digiti lucis non fictæ imaginem etiam obſcuro in loco elucere, ut cum palpebrarum vel acceſſu vel receſſu & redeat & exeat. Quod in ſe experietur quivis laxioribus oculis donatus, ut meo exemplo

ſpondere poſſum. Parciorem quidem, quanquam veram, lucem lenis compreſſio ſuſcitat. Sed ſi fortiori niſu intendas, pugnumque vehementiori motu in oculos impingas, haud ſecus ac ſilicis attritu copioſius exſilient ſcintillæ. Quod ſane nec in me experiri deſiderem, nec aliis, adeo experimenti certi fiduciam habeo. De quo Problema ventilat *Alexander Aphrodiſæus* Probl. 59. Sect. 4. Cur alapis cæſi ignem intueantur? Similique lucis internæ ratione Sect. 5. Prob. 53. quærit, cur aliquibus valde tuſſientibus aut vomentibus lumina in ſtellarum modum præ oculis illorum elucent? Quid cauſæ afferat in publicum ille, hic non moror, qui facile intelligo per vim adacto conatu fortiori contentam in oculis lucem exprimi. Nam quod in tuſſi vomitioneque obſervat ille, in ſternutatione non raro expertus ſum ipſus. Quo etiam ſpectat excandeſcentium experimentum, quorum oculi ardent, quoniam, eodem *Alexandro* ſuſpicante, ſanguinis ſpiritusſque eſt fervor circa Cor, iiſque in partibus tenuior exiſtens oculis maxime perſpicuis ſurſum verſus fertur, quod ex rubore oris perſpicimus ab exhalationibus ſanguineis tincti, ut indicavit quoque *Homerus*. Sed iſtorum, ut in Cauſis dicemus, pauca curioſis ſatisfaciunt, quandoquidem excandeſcentes oculorum orbitæ præter ſanguinem advocent quoque lucem & educant, quam in Spiritibus ſi mecum poſuerit, in eodem ſententiæ verſabimur circo. Lux enim ardentes oculos in ira efformat, ut ex *Perſio* Sat. 3. ſupra annotavimus, docetque *Ovidius* l. 1. Amor. El. 8.

—— oculis quoque pupula duplex

Ful-

Fulminat, & geminum lumen ab orbe redit.

Et in Iuliano contra barbaros decertante confirmat *Mamertinus* in Panegyrica Oratione eidem pro Conſulatu ſuo dicta: *Senes*, inquit, non ſine magno attoniti horrore cernebant Imperatorem, longam vitam ſub gravium armorum onere currentem properantis anhelitum cenſu laſſitudinis crebriorem ſudorum rivos per fortia colla manantes, & inter illum pulveris qui barbam & capillum onerarat horrorem, *micantia ſidereis ignibus lumina* voces gaudentium oppreſſerat miraculi magnitudo. In Ahaſuero Rege quoque advertit Eſther oculos ardentes inſtar ignis præ furore quem in corde conceperat, ut narrat *Ioſephus Gorionis* lib. 2. hiſt. c. 4. Aliud ſplendentium luminum teſtimonium ex accubito nocturno ſubminiſtrat *Ariſtoteles* part. 6. Probl. 7. quod hic ad partes vocare non abs re putavi, quia ad Antiquitatis nos deducet campum. Sub dubitationem vocant, quare in dextrum latus dormiamus commodius, diſcumbamus vero in ſiniſtrum; ex incurſione luminis reſponſum petit, quod ad lucem converſi nequeamus dormire. In tenebris autem velocius ſomnum obrepere, vel quia vigilantibus, accumbentibus ſuper ſiniſtrum, operationes ſint promptiores à dextro, unde ad contrarium ſuum prima operatio. Poſteriorum ſententia hic verſatur, dextras partes in accubitu ſuperiores maxime laborare, ut in decubitu nocturno maxima indigeant quiete, quæ ad dextrum latus fit commodius. Priorum vero verborum mens obſcurior explicatione habet opus, quæ nempe cauſa ſit, quod dextri lateris decubitus

ſine lumine ſit, ſiniſtri contra ad lucem ſpectet.
Petrus Aponenſis Conciliator dictus in Commento
rationem invenit, quæ in hoc vertitur; quod de-
cubitu ſiniſtro ſiniſter oculus claudatur ſopiatur-
que dextro ſuperiore manente; A quo lumen in-
natum provocatur intenditurque fortius, ut impe-
diatur ſomnus. Contrarium in diverſo ſitu eveni-
re. Ita autem ille: *Iacendo ſuper partem ſiniſtram
convertimur ad lucem, quia oculus dexter permanet ele-
vatus qui melioris eſt viſus, ſpiritualior enim eſt ſiniſtro
& luminoſior, nam dextra & ſiniſtra ſimilia ſunt parti-
bus & eadem omnia: Verum tamen ſiniſtra ſunt debi-
lioris virtutis quam dextra, ut dicitur, de part. animal.
In jacendo autem ſuper dextram convertimur ad tene-
bras*. In qua Diſſertatione vi hujus decubitus com-
modioris lucem oculis impreſſam probat dextro
copioſiorem, parciorem ſiniſtro. Negat tamen
poſt *Mercurialem* l. 3. Prax. c. 12. *Ludovicus Septa-
lius* in Comm. Probl. dicti, de viſiva luminoſave
facultate ſermonem eſſe Philoſopho in decubitu,
creditque potius reſpexiſſe ad decubitum in tri-
cliniis & cœnaculis, in quibus convivæ ad ſi-
niſtrum inclinabantur. Quod cum antiquitatem
ſapiat, alia inde *Septalius* elicit, ita ſcilicet diſpo-
ſuiſſe veteres cœnacula, ut ex Occidentis Solis
radiis lucem per feneſtras exciperent. Veroſimile
enim fieri & menſas ita fuiſſe collocatas lectoſque,
ubi cœnaturi decumbebant, diſpoſitos, ut ſuper
ſiniſtrum latus decumbentes lucem maxime è fe-
neſtris exciperent, ne umbra obverſi impediren-
tur, quia & manum dextram in menſa require-
bant, ut addit *Mercurialis* l. d. cui lux à ſiniſtris
venit.

venit. Hæc pro accubitu in tricliniis. De dextro vero decubitu in lectis dormitoriis nihil afferunt, niſi, quod credant fortaſſe contrariam eſſe in dormiendo rationem, ut hi lecti ad Orientem vertantur nullis feneſtris illuſtrem, eo ſitu, quo primus eſſet capiendus ſomnus. Sed hæc per vim tracta nec antiquos redolent, nec difficultati ſufficiunt. Dubitaret principio aliquis, an hominis Stagyritæ Problema ad morem Romanorum novitium poſt balnea demum per deſidiam inductum, juſte exigatur. Nullis tamen apud me hic ſcrupulus, quum multa apud Græcos, præſertim *Homerum* accubitus in cœnis extent veſtigia. A quibus ad Romanorum tranſiiſſe conſuetudinem non abnuerim. Ad oculum vetus triclinii marmor monſtrat cum lecto unico ſolius convivæ in ſiniſtrum accumbentis & pocillatore, quod in Ateſtenſi Palatio *Georgii Contareni* Senatoris Veneti cum majori illo Triclinio à *Mercuriali* deſcripto, hac ſubjecta Inſriptione vidimus:

ΕΛΘΕ ΚΥΠΡΙ ΧΡΥΣΙΑΙΣΙΝ ΕΝ ΚΥΛΙΚΕΣΣΙΝ ΑΒΡΟΙΣ
ΣΥΜΜΕΜΙΓΜΕΝΟΝ ΘΑΛΙΑΙΣΙ ΝΕΚΤΑΡ ΟΙΝΟΧΟΥΣΑ
ΤΟΙΣ ΕΤΑΙΡΟΙΣ ΕΜΟΙΣ ΓΕ ΚΑΙ ΣΟΙΣ.

Cui ſimile eſt alterum marmor in aliis ædibus cum Silene Ateſtæ conſpicuum. Idem Latini innuunt, qui fabulas ſuas ex Græcorum conſuetudine traduxerunt. Plautus Truc. Act. 2. Sc. 4. de Dinarcho cœnaturo:

—— *deme ſoleas, cedo*
Vinum. ——

Et Sc. 5. Phroneſium Puerpera:

Face ut accumbam, adjutare ſic decet puerperam,
Soleas mihi date. ——

Actam autẽ hanc fabulam Athenis Prolog. præmonuerat. Soleæ ad lectos triclinii pertinent, quæ, ne vicinus commacularetur, demebantur. *Virg. Æn.* 3.

—— *littore curvo*
Exſtruimuſq; toros, dapibuſque epulamur opimis.

Apud *Q. Curtium* etiam accumbendi clariſſimum invenias exemplum. Iam quod de triclinio ad Occidentem tantum per feneſtras pervio commentantur Viri magni, nullo, nec minimo auctore veteris ævi tuebuntur. Ita enim diſpoſita triclinia cubiliaque, ut quaquaverſum ſive feneſtris, ſive valvulis admiſerint lucem. Nihil quidem de his, alioquin alibi ſcrupuloſior *Vitruvius*. Solus *Plinius Secundus* exemplo villæ ſuæ in agro Laurentino l.2. Epiſt. 17. triclinium undique valvis & feneſtris illuſtre deſcribit, mox cubiculum in quo Sol naſcitur conditurque, de diæta hinc inde pervia eodem loco diſertius omnium faciem externorum admittere perhibet: Lectum & duas cathedras capere: à pedibus lecti mare, à tergo villæ, à capite ſylvæ: tot facies locorum totidem feneſtris & diſtinguere & miſcere. Et ut clarius evincam triclinia Occiduum Solem non ſemper ſpectaſſe, en teſtatur *Plinius* cubiculum ſuum altera feneſtra admiſiſſe Orientem, Occidentem altera retinuiſſe. Tuſculani quoque triclinium, ut idem *Ep. 6. l. 5.* fatetur, afflatum ex Apenninis montibus verſus Orientem proſpectat Tuſculanus ager, feneſtræ igitur Orientem Solem intromittebant, Occidentem nullæ. Indifferens enim feneſtrarum ordo in cubiculis diur-

diurnis, ubi ſive dextro ſive ſiniſtro poſitu ad ſomnum ſe componerent, lumen non potuerunt effugere. A dormitoriis vero cubiculis Sol excludebatur & quivis ſonus, ſive obducto velo ſive umbra arborum ædiumque ut ex ſignatis *Plinii* Epiſtolis conjeci, ſive valvulis, quod etiamnum Campaniæ, nullo feneſtrarum uſu, obtinet. Nihil ergo ad dormituros accedebat luminis, nec ad cœnaturos umbra. Quid vero de nocturno ſomno dicemus, qui in dextro ſuavior fertur, quam in ſiniſtro ex data ratione? Ridiculum hoc viſum mihi ſemper. An lumen nocturnum oculos perſtringit? Non equidem illi periculo exponimur ſeculo noſtro. Nec antiquos crediderim huic noxæ expoſitos Sole apud homines adverſa nobis veſtigia prementes occupato. Quin nocturni lecti alio cubiculo ſecluſi arctiſſime de nocte claudebantur, ut nec voces ſervulorum, nec maris murmur, nec tempeſtatum motus, fulgurumve lumen, ac ne diem quidem, niſi apertis feneſtris, ſentirent, *Plinio* ſæpe laudato referente. Alia de cubiculis, quod ambitum Solis non ſequuntur, eſt ratio. Sed ea cum diverſiſſima fuerint modo ad Orientem ſpectantia modo ad Occidentem aperta neque de dextro, neque ſiniſtro decubitu definire quicquam promptum judico. Id de lecto phreneticorum ſeu mentis erroribus agitatorum inſuper adjicio, foribus atque feneſtris curationis juramento avertendum ſuadere *Aurelianum* l. 3. Acut. cap. 9. ne vel ingreſſu hominum aſperentur vel luce nimia offendantur. Sed hæc extra ſuſcepti argumenti limites, ideo diligentiori ſtudio notavimus ut quid veri

dictis ſuis prætenderint *Mercurialis* & *Septalius* conſpectius eſſet. Ego vero *Aponenſi* ſine difficultate accedo, & in decubitu dextro ſopiri lumen oculi dextri, qua ſomni requies ſolet impediri, apertius conſtituo. Sed, quia in ſomnum incidimus, aliud ad propoſitam rem ex ſomno explicabimus. Etenim non pauci mortalium ſopiti ſomno & nocte, ſi ex inſperato excitati oculos diducant, manifeſtum intuebuntur ſplendorem. Teſtantur quoque Aſclepiadorum alumni multa in ipſo oculo conſpici, quæ non ſunt extra oculum, idque, ut ego interpretor, luci internæ debebitur, ab externa luminis vehementia, neſcio quo modo, turbatæ. Suffuſi quippe videre ſibi fingunt muſcas in aëre volitantes, faculas araneas, & hujus generis alia, quæ extra oculi regionem nec ſunt nec videntur. Reliquas apparitiones & hallucinationes oculorum, quibus febre ardente correpti vel continuo fluxu ſanguinis ex naribus vexati ſubinde præter ſpem illuſtrantur, quorum apud *Galenum* l. 3. de Criſ. c.21. mentio facta, brevi verborum ambitu comprehendo inferius tam prompte aſſerendas quam naturali oculorum conſtitutioni magis conveniens cenſebitur lumen. Magnum enim luminum privilegium arbitramur, quod imbecillia licet ſint, nunquam rigeant. In aliis quidem ab igne rigorem impediri ſine lucis auxilio conceſſerim, ſecus tamen oculis contingere omnino arbitror, qui ignei ſunt juxta *Platonem*, verum cœleſti proprietate, quam lucem cum illo honeſtius nuncuparem, quum elementaris ignis parcior, propter ſubſtantiæ frigus, ſit in oculis mixtura.

Cap. XV.

Lux Oculorum Ratione & Auctoritate oſtenditur.

CErtiſſima de Luce Oculorum experimenta, ne quid deſit, ratio illuſtret ſplendidiſſima, cujus non parvus in promptu eſt apparatus. Quemadmodum enim orbi lucem promit Titan, ita ad ſuperum imitationem effićto corpori luminaria lucido ſui fulgore oculi accendunt, quibus illuſtris hæc compages deſtituta de æternis tenebris & perpetua nocte quereretur. Neque ad conſummatam perfecti orbis ideam compoſiti videremur, ſi nobiliſſima luce, ut fideli duce, plane deſtitueremur. Vnde neceſſitati noſtræ auxiliatura prudentiſſima Naturæ mater, binos orbes in capite tanquam in ſidere collocavit ingenita luce & nativo ſplendore refertiſſimos, ut divinæ imaginis cœleſtiſque dignitatis radios in ſubjecta ſibi membra ejacularentur. Vident hanc luminoſi corporis utilitatem apud Philoſophum *Empedoclem*, ſine interno lumine externum nec videri poſſe nec percipi edoctus, ſimilibus omnia intelligi pronunciavit. Quo argumenti vigore *Galenus* l. De Decr. Hipp. & Plat. & *Plato* ipſe in Timæo, lucidum oculum inde concludebant, quia externa lux per internam, ut ſimile per ſimile, debeat cognoſci. Omnis quippe ſenſus in externa per affinem objecto ſpeciem fertur quoniam ab utriuſque diverſitate dolor, non ſenſus oritur. Conceſſit idem in ſenſu viſus *Ariſtoteles* alioquin lumini noſtro ſatis infenſus, cujus 2. de Anima libro verba cedro digna leguntur conſignata: In aure eſſe proprium aërem. Vtrobique

enim

enim collocata ſunt: ut quaſi teſſera hoſpitem & affinem ſuum ſeſe exterius inſinuantem recipiant. *Eſt enim lumen oculi portitor quaſi quidam, qui ſpeciem ab extimo lumine ad intimum animæ traducit: cui præſto miniſter aſtat familiaris.* A qua familiaritate externæ cum interna, ut objecti ad ſuum ſenſum, ſi vehementior ſit illa, hæc læditur, quod in omnibus debitum moderationis terminum excedentibus eodem eventu apparet. Quid de neceſſitate viſibilium radiorum ad viſum concurrentium ſtatuere debeamus, in ſequentibus oſtendam. In præſens rationes induco parciori manu, quia manifeſtis nitimur exemplis, quæ ſummorum in Republica literaria auctoritatibus ex abundanti ſuffulciam.

Princeps *Plato* in ſcenam prodeat, cujus in *Timæo* oculus igneo fulgore dicitur coruſcare: *Ex omnibus faciei partibus primi luciferi coruſcant, hac de cauſa dati, ignis certe illius, qui non urit quidem, ſed illuminando ſuaviter diem invehit mundo, participes oculorum orbes Dii fecerunt. Intimum ſiquidem noſtri corporis ignem hujus ignis germanum ſincerumque per oculos emanare voluerunt, in quibus levis & congeſtus, ubique hujuſmodi ignis ſit.* Vbi per ignem, ne quis errorem *Peripatetici* erret, non elementarem noſtram urentem, ſed, ut ipſe ſe explicavit, benignum illum fulgorem diſperſæ in nobis lucis aperto indicio indigitavit, quem cœlis ideo tribuit, elementorum legibus exemptum. Quam Præceptoris magni mentem optime aſſequutus eſt Interpres *Alcinous* cap. 18. de Doctrina Platonis: *Poſteaquam in vultu luciferos oculos inſculpſerunt, lumen illis igneum accendere.* Nihil mehercules in veterum ſchola frequen-

quentius, quam lucem ignis ſignare nomencla-tura, partim ob excellentis naturæ leviſque affinitatem, partim propter flammam ignibus familiarem, à luce, niſi ſubjecto, haud diſſidentem. Vnde dum cœlos & univerſum hoc igne dixerunt conſtare, diffuſam per omnia lucem agnoverunt. Cum Platone *Empedocles* nihil diverſum de oculis concepit, imo, ut reliqua cuncta; igneos credidit, comparatione commoda à laternæ lumine mutuata, ut ex *Ariſt.* c. 2. de ſenſ. & ſenſibili liquet. Quæ ſententia poſteriorum animos fere omnes pari conſenſu inſedit, devolutaque tandem ad ſurgentis Eccleſiæ Doctores, plures numeravit auctores, quam adverſarios. Audiamus non mea ſed diſertiſſima *Lactantii* facundia lucis oculorum explicata commoda, qui libro de Opificio Dei ait: *Ergo ineffabilis Divinæ providentiæ virtus fecit duos ſimillimos orbes, eoſque ita devinxit, ut non in totum converti, ſed moveri tamen ac flecti cum modo poſſent. Orbes autem ipſos humoris puri, ac liquidi plenos eſſe voluit; in quorum media parte ſcintillæ luminum concluſæ tenerentur, quas pupillas nuncupamus, in quibus puris ac ſubtilibus cernendi ſenſus ac ratio continetur.* *Avenroës* ipſe fidiſſimus Ariſtotelis aſſecla in Paraphraſi l. de ſenſ. & ſenſib. in oculo eſſe lumen proprium rotundo ore affirmat, quod & de præceptore ejus ſuſpicari alias adducenda perſuadent. Nec operæ pretium erit ad teſtimonium citare *Alexandrum, Galenum,* alioſque hujus notæ auctores, quos Platonicæ faviſſe aſſertioni dubitare deſivimus. Ipſi, qui ex Philoſophorum prodierunt ſcholis, Poëtæ Hiſtoricique haud clarius lucem oculis potuerunt conſignare,

quam

quam ut oculos ipſa lumina vocarent. *Martialis* l. 1. Ep. 122. de puero formoſo à ſe locando:

Lumina ſideribus certent: molleſque flagellent
Colla comæ: tortas non amo, Flacce, comas.

Claudianus quoque de Nupt. Hon. & Mariæ, de eadem:

—— non labra roſæ, non colla pruinæ,
Non crines æquant violæ, non lumina flammæ.

Nec non *Statius* l. 2. Sylv. verſu 41. ad Glauciam:

O ubi purpureo ſuffuſus ſanguine candor,
Sidereique orbes, radiataque lumina cœlo.

Ante quos *Ovidius* Epiſt. Heroid. 16. Helenæ ad Paridem:

Tu modo me ſpectas oculis, laſcive, protervis,
Quos vix inſtantes lumina noſtra ferunt.

Optime omnium *Quintilianus* Præf. l. 6. Inſt. Orat. *Mihi filius minor quintum egreſſus annum, ut in malis agerem, prior alterum ex duobus eruit lumen.* Vbi quid ſit *in malis agere* litigant inter ſe Critici, adeo ut *Muretus* expungi velit, & librarii cujuſdam errorem, quod ipſi vetus liber auxit ſuſpicionem, ſequutuſque eſt *Pareus* in ſpicilegio ſubceſivo. Ego paucis immutatis reſtituam locum, ſi mecum leges: *ut magis vel majus lugerem*, quia id maxime queritur conjugis omni virtute, quia in feminas cadit, functæ recens funus immatura dulciſſimi filii, in quo ſpes unica ſenectutis erat, morte, novo majorique luctu refricari. *Auſonius* pari ſenſu lumen accipit in Parentalibus ad Cæcilium Arborium avum ſuum:

Amiſſum fleſti poſt trina decennia natum,
Saucius extincto lumine caſſus eras.

Lipſius l.1. Elect. c.24. ad mentem noſtram commodius jubet reponere: *ſaucius ac lævo lumine*, quod altero oculorum ſe quereretur privatum. Addebat ad augendum ſignificatum oculos *Aemilius Probus*, alioquin *Cornelius Nepos* de Temoleonte, quem gravem annis amiſiſſe lumina oculorum, idque æquo animo tuliſſe inter rara exempla conſtantiæ recenſet. Nec quicquam apud Scriptores cujuſcunque claſſis frequentius. Præterea hoc lumen in extremo vitæ articulo, oculorum vice, *claudi*, *reſignari*, *natare* perhibebatur, ut ex *Virgilio* conſtat l. 10. Æn.

—— *in æternam clauduntur lumina noctem.*

Et alibi:

———— *lumina morte reſignat.*

Canentia lumina quoque eidem l. 10. Æn.

Vt genitor letho canentia lumina ſolvit.

Ob tremulum forſan expirantis motum à frigore brevi ſequuturo inductum, à quo etiam *natare* flaccidorum ritu de Euridice l. 4. Georg. dixerat:

Conditque natantia lumina ſomnus.

Sicut de morte Druſi *Ovidius* alicubi:

Lumina cœrulea jam jamque natantia nocte.

Natare enim flacceſcere notat & à vegeto ſtatu titubare, ut apud *Lucretium* l. 3. de ebriis:

Nant oculi, clamor, ſingultus, jurgia gliſcunt.

Quod *Donatus* pro *trepidare*, quanquam diſſentiente *Giſanio*, accepit ad Virgilium. *Quintilianus* l.11. Inſt. Orat. c.3. natantes oculos venereos vocat & laſcivos ob mobilitatem, ob quam trementes *Iuvenali* dicuntur, tremuli *Apulejo* 3. Met. pœna libidine marcidi, & jamjam ſemiadopertuli. Neque nomen

nomen ſolum luminis oculo impoſuerunt antiqui verborum arbitri, ſed & lucem igneaſque flammas notanter impreſſerunt. De luce *Philoſtratus* in Pyrrho & Eurypulo: Ætate pares inter ſe ſunt, & oculorum radiis micantes, & non cunctantes. Eandem viam inſiſtit *Petronius* in Sat. pulcritudinem adumbraturus: Supercilia uſque ad malarum Scripturam currentia, & rurſus confinio luminum pene permixta: *oculi clariores ſtellis extra Lunam fulgentibus.* Quibuſcum facit lyra *Horatii* l. 2. Od. 12.

Lucidum fulgentes oculi.

Igneum fulgorem alii notarunt pari diligentia. Inter quos eminet Ovidius lib. 1. Metam.

—— videt igne micantes
Sideribus ſimiles oculos. ——

Et *Claudianus* in eodem cenſu numerandus de Hiſtrica:

Aſſimilat porcum, mentita cornua ſetæ
Summa fronte rigent, oculis rubet igneus ardor.

Nec prætereundus nobis *Seneca* in Troad. de umbra Hectoris:

Non ille vultus flammeum intendens jubar;
Sed feſſus, ac dejectus, & fletu gravis.

Quibus ſi Græcorum Principes addiderimus nihil ad oculorum lumen deeſſe putabimus, quorum prolixas ſuper hac re voces in Opere Erudito De Picturis veterum *Franciſcus Iunius* F. F. non ita pridem juſto ordine expoſuit, ad quem, ne injuſtæ moræ veniam petam Lectorem remittimus. Unum ex *Colutho* addo de Raptu, ubi de Helena Paridem intuente:

Πολλά-

Πολλάκι δ' αἰγλαίῃσιν εὐγλήνοιο προσώπου,
Παμπλαίνειν ἐδόκευε τὸν ἱμερέων βασιλῆα.
Sæpe quoque ſplendoribus faciei bonis oculi pupillis
Spectare putabat deſideriorum regem.

CAP. XVI.

Objectiones Luci Oculorum adverſantes diluuntur.

PRius ex hac luce quam recedam, nebulas quaſdam maximis tenebris oculorum lumen obfuſcantes diſcutere eſt animus, ut illuſtriores lucentium orbium faces educamus. Obſiſtere nobis credo Medicos nonnullos experientia tritiſſima inſtructos, qua evincant nimios ſplendores intenſumque lumen oculorum ſaluti eſſe inimicum, ſecus autem, ſi ſimilitudine interioris lucis eſſent affines, eventurum. Simile quippe à ſimili augetur conſervaturque. At lucem nimiam oculis infeſtam. *Galeno* enim auctore l. 3. de Sympt. diff. c. 3. oculi identidem ob lucis ſplendorem dolore tentantur. Alibique l. 4. c. 6. viſum illuſtriſſimi ſplendores offendunt ſimul & corrumpunt. Ante hunc quoque *Hippocrates* l. de Oculi acie, in ejus lippitudine præcepit, ut loco obſcuro jaceat æger, fugiatque fumum, ignem & alia ſplendida. Neque enim diu ea contueri ex re eſſe, quum oculus ſplendidis reſiſtere impar, lacrymas provocet. Idem fere in curatione phreneticorum monet *Aurelianus* l. 1. Acut. c. 9. Si quidem nimium lucidus aër membranam perculit cerebri, immodici ſplendoris cauſa, adeoque ſplendidos parietum ſeu ſtraminum (alii *ſtragularum*, ego potius *ſtramentorum*, quod paucis interjectis ſequitur, eligerem, vel antiqua lectione

ſervata, de ſtramine albo non fulgente interpretarer, quo parietes obducebantur, ut quarundam adhuc gentium mores ferunt) colores vitandos. Hæc tamen in ſpeciem nobis adverſantia oculorum potius confirmant lucem, quam tollunt. Leviter difficultatem antea me tetigiſſe memini & excuſſiſſe. Id enim omni objecto proprium, quanquam appropriato, ſi vehementius & ultra debitam proportionem in ſenſum irruat, ſenſum lædere aut deſtruere penitus, quem alioquin naturali temperamento ſeſe tutantem juvabat. Ejus pronunciati veritatem omnium ſenſuum objecta firmant. Auditus ſeu ejus internum organum, quod aër eſt implantatus, ab aëre externo vehementiori impetu illiſo, ut objecto improportionato: Læditur ſubinde & aboletur, quod in exploſione tormentorum æneorum majorum & ſonitu campanarum ſuo damno experiuntur quamplurimi. Ab olidis & fœtidis læditur olfactus; ab inſuavibus amariſque guſtus, à ſenſibilibus aſperis & levioribus ſenſus tactus afficitur, & ſinguli ſenſus objectorum ſuorum ut amœnitatem, ſi moderata fuerint, ita injurias, ſi à temperie illa receſſerint, experiuntur. Quærenti autem quare ſplendores nimii oculos lædant, reſpondet *Galenus* l.d. quod nimium ſecernant & diſcutiant: in omnibus enim ſenſibus, unum deprehendi, nempe pathos, quod moleſtum eſt, ex diſcretione ſimul & diviſione continui & unati corporis, quæ affatim inciderit. Incidendi autem facultate & dolorem inferendi inprimis ſplendor candicans præditus eſt, qualis in Sole cernitur, ſicut contra cœruleus color, quia hæbetior & moderatior

deratior, ſine morſu oculis habetur jucundiſſimus. Vlterius inveſtiganti, quare candicans ſplendor magis incidat quam obſcurior, *idem* ſatisfacit, quia candores fulgidi tenuium ſunt partium. Ita enim ille: *Id quod nigrius eſt ſplendidiſſimo minus offendit, non ſane quod contrarium minus moleſtum ſit quam exceſſus qui eſt in genere cognato:* (nam quod ad hanc rationem attinet, nigrum ſplendidiſſimo eſſet moleſtius) *ſed quia viſionis inſtrumentum ſplendidum eſt, & omnis ſplendor tenui ſubſtantia conſtat, nigrum vero ſemper craſſum.* Tenuiores enim ſplendidi objecti partes ipſum diſcriminant diſcutiuntque. Denique qua ratione diſcutiendo ſeparandoque viſus debilitetur ſi animus veritatis avidus ſcire aveat, apud *Iacobum Caranta* libello de Viſu à potentia viſiva magno conatu in tanta organi diſſipatione laborante deductum inveniet, in quo labore quum plures Spiritus organo ſuppeditare conetur, delaſſatur facultas & tandem deſtruitur. Hæc illos componunt & ſatiant, me parum movent. Splendoris enim albi tenuitas interiorem oculorum lucem ſimilis ſubſtantiæ quomodo diſcriminare poſſit dubito, ex eodem *Galeno* loco laudato, cujus verba diſerta ſunt: *Viſio ob tenuitatem neque dum diſcriminatur, vim patitur, idque ob eſſentiæ familiaritatem, quippe per ſe feſtinat, ut occupet id ad quod ducitur.* Vnde manifeſtiorem cauſam educam. Quod, vel ſine diſgregatione, vel cum illa, affinem ſibi viſibilem ſpeciem potentior Lux externa evocet, qua evocata ſive facultas ſalva ſit ſive à labore læſa, viſio perit ſi tota lux exhauſta, debilitatur, ſi pars ejus tantum evocanti ceſſerit. Potuit tamen

BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE LYON 1896

diſgregatio & tenuitas ſplendoris externi organum viſivum, reſolvendo diſponere ut imbecille & diſgregatum lucis ſuæ exitum non remoraretur. Hinc acute, ut omnia, *Aurelianus* l. 1. Acut. c.9. lucem laxare dixit colore quo videtur, adeoque in paſſionibus, ubi aſtrictio convenit, minus utilem.

Sed contra oculorum lucem à Platone poſitam ſummo conatu ſe opponit *Ariſtoteles* lib. de ſenſu & ſenſibili c.2. ubi præceptorem refutaturus, mentem ejus vel non aſſequutus eſt, vel aſſequi noluit. Quod enim de igne oculorum dixerat *Plato*, ut abſonum aggreſſus eſt impugnare, & ſine interioris ſenſus notitia contra ignem elementarem argumentorum ſuorum momenta direxit. Oculum aqueum eſſe, non igneum ratione & experientia conatus eſt probare, & ex conſequenti falſum *Platonem*, qui igneam oculis ſubſtantiam attribuit. Sed non parva injuria affici ſummum Virum ex *Timæo* ejus oppido manifeſtum eſt. Quippe duplicem ignis ordinem & nomenclaturam induxit, unam peremptivæ edaciſque naturæ, elementaris conditionis, aquæ contrario ſuo oppoſitæ, alteram vero benefici aſpectus, cœleſtis ordinis, & prorſus de meliori genere, quem lucem apertius dixiſſet ſi ſacra ſua propalare Sectæ inſtitutum permiſiſſet. Hujus autem claſſis igneã oculorum lucem poſuit *Plato* diſertis verbis, dum participes oculos dixit ignis illius, qui non adurit quidem ſed illuminando ſuaviter diem mundo advehit. quod certe niſi lumini convenire, nequaquam igni elementari, confiteamur, in eandem cum Ariſtotele improbitatem nolentes volentes incidemus. Optime præcepto-

ceptoris ſui ſenſum expreſſit *Alcinous* de doctrina Platonis verbis ſupra recitatis. Vnde ſuo pondere labuntur argumenta *Ariſtotelis*, quibus magno apparatu oculis aquam aſſeruit, quod non ibit inficias ille contra quem licentius diſputat, quia lumen contrarietatis ſublunarium expers à ſubjecto aqueam mixturam non excludit, imo non raro, ut ex inferius dicendis patebit, amica copula illi uniter junctum ſe per aquam exſerit. Verum enimvero quomodo tantus *Ariſtotelis* impetus in expugnando oculorum igne aliorum, ac putavit Plato, accepto, in Problematis deferbuerit, niſi ſua hæc neget, mirari ſatis nequeo. Nam *Problemate xxx.* ſeu ultimo, Sectionis xxxi. juxta *Aponenſis* diviſionem, ſponte vel coactus ignoro, in Platonis negatam ante à ſe dilabitur opinionem, quum viſum quidem ignis, auditum aëris eſſe confiteatur. Si ſua hæc neget, ex libris, ſine controverſia Ariſtolis, de *Anima* l. 2. hunc ſenſum, tanquam ex latibulo producam, in qua *Platoni* vicinior non jam ignem, ſed ipſam lucem oculi portitorem quendam vocabat, qui ſpeciem trajicit ab extimo lumine ad intimum animæ. Redit nihilo ſecius ad ingenium *Problemate 23.* Sectionis ejuſdem, ubi tacite *Platonem* pungit negando oculos ſine rigore eſſe quaſi viſio ignis eſſet, quia in illis tale quid non eſt ignis, ut calefaciat. Ignem tamen videtur coactus alium etiam agnoſcere, qui non calefacit, dum hic inter talem & talem ignem diſtinguit. Scilicet ea eſt veritatis majeſtas, ut ſibi ubique par, eadem ſemper facie emergat.

Alii deinde contra ſplendorem oculorum aliter

inſurgunt, neceſſarium ſummo niſu contendendo, ſi illis ineſſet lux vel minima, in denſiſſimis tenebris aliquali ſplendore prodituram, quum etiam ſcintillæ minimæ procul ex obſcuro cernantur. Facilis ex natura Lucis reſponſio quæ non videtur ob raritatem niſi condenſetur & compactiori corpori inhæreat, ut cœlorum lux fidem facit. Hæc enim per univerſi orbem diſperſa & ad nos uſque à primo æthere deducta ſenſum fugit & ſemper fugiſſet, niſi in denſiores orbes eam creator compegiſſet, quibus jam ad orbis totius ſplendorem lux & videtur & movetur. Sidera quippe denſiores partes orbis cœlique lucem produnt, quam tenue rarumque cœlum, diaphanum, luciſque ipſius diſperſa ſubſtantia, occultat, ut nihil in cœlo lucis videretur niſi in compactiorem partem coiiſſet. Par in luce oculorum corporiſque raritas fulgere nec nocte nec interdiu poteſt, niſi vel condenſetur, ut in frictione & attritu oculi, vel ab externo diei lumine juvetur.

Addunt à viſibilibus oculo propius admotis aliam difficultatem, hac forma: Si interdiu coloratum quidpiam, utputa florem aut folium aut laminam corneæ oculi tunicæ admoveas, ſic tamen ut eam non contingat, ab oculo videbitur. At ſi in tenebris id experiaris utcunque exiguum, & pene nullum ſit inter corneam & florem intervallum non tamen videtur. Atqui ſi in oculo lux eſſet etiam minima, ad folium ipſam pervenire atque inde ad oculum reflecti propter continuum nexum eſſet neceſſarium. Pro ſolutione dubii ſciendum, ad viſionem non ſolum oculorum lucem requiri,

quiri, quæ ob raritatem per ſe non ſplendet nec egreditur, ſed medii illuminationem ſeu externam lucem neceſſariam, à qua excitetur interna, unde quum nocturno tempore externæ ceſſet illuminatio, ceſſat etiam internæ operatio. Pro ſe reſponderet *Plato* ex *Timæo* ſuo à tenebris nocturnis oculorum radios repelli externo lumini viduatos, unde cum ad diſſimile procedant, nempe noctis tenebras, immutatos tandem extingui: ſi per *Alexandrum Aphrodiſæum* liceret, qui à tergo inſtat & candelam accenſam opponit, quæ quum in nocte videatur magis quam in die, oculorum quoque radios nocturnis tenebris magis ad viſum conferre exiſtimandum. Et ipſi *Ariſtoteli* lumen de nocte extingui gerræ videntur meræ *lib. de ſenſu & ſenſibili* cap. 2. quia quidquid corrumpitur à ſuo contrario corrumpitur, qualem in luce diſſenſum proprium elementaris regionis, non agnoſcit. Sed antiquum obtinet & elementi conditionem per vim illi obtrudere conatur cui id nunquam, neque per ſomnium, in mentem venit. *Plato* enim ut in ſuſcepta ignis metaphora perſiſteret, luci, quod igni proprium videtur, aſſignavit, nempe extinctionem quæ ſi elementari igni ſuperveniat à contrario fit, ſi cœleſti vero igni ſeu luci, aliam agnoſcit cauſam, quanquam vi tranſlationis eandem vocem retineat. At quum de igne cœleſti ubique fere interpretandus ſit *Plato*, illam exſtinctionem induxit quam lux patitur, non à contraria elementi qualitate, ſed alio objecto impedimento, à quo retropelli potius & obſcurari quam extingui dicenda. Quo modo eundem explicavit *Alcinous* cap. XVIII.

de doctrina Platonis: *Lumen oculi externo ſulgori ſimile commixtum ſimili ac corroboratum videndi ſenſum præſtat. Ideoque in noctem inducto vel obumbrato lumine, haud amplius radiis hic noſter aëri ſe propinquo permiſcet. Quo fit ut ſeſe ad interiora recipiens demulceat atque reſolvat internos motus, ac ſomno inducto palpebras cum jam retractum eſt, claudat. Et ſi plurimum quietis induxerit, ſomnus fere ſine inſomniis ſurrepit.* Ergo retrahi lumen & intra oculũ velut obducto obice conſtringi, potius quam extingui ex *Platonis* ſententia videtur, quæ retractio extinctionis ſpeciẽ inducit. Poſſem tamen alia ratione & *Platonem* defendere & ſimul cauſam reddere, quare nec ex oculis lumen obſervetur nec nocturnis tenebris viſio fiat. Quia extinguitur oculorum lumen ſeu obſcuratur. Quod adeo inauditum non eſt ut inter paradoxa locum mereatur. Obſcuratur quippe ſeu à tenebris ſeu umbra lux, & nigreſcit teſte *Alhazen* lib. IV. Opt. th. IV. exemplo ſpeculi ferrei: *Amplius, color debilis quum pervenerit ad ſpeculum, miſcetur colore ejus; quare reflexus apparebit debilis & tenebroſus.* Id quod Solis quoque lumini evenire Iris probat, in qua hebetantur radii ab oppoſita nube aquarum obſcurioribus guttulis gravida & quaſi ab umbra temperantur. Ex quibus concludit *Ariſtoteles* 3. Meteor. c. 3. *Oportet intellexiſſe, quod fulgidum in nigro, aut per nigrum, colorem facit puniceum.* Obſervabat idem *Cardanus* lib. XIV. de Rerum Varietate c. LXX. Solis lucem per medium aërem non ita ſincerum, vel extra conum terreſtris umbræ à puriſſimo ſplendore vergere ad rubedinem ob unicum medii obſcurioris vitium. In deficien-

ficiente Lunaris corporis luce quotidie hanc labem advertimus à Solo terreſtris umbræ nigrore contractam. Et lumen quodcunque à medio quod tranſit alterari non ſolum in feneſtris experimur & vitris pictis, ſed à *Vitellione* Opticorum Principe edocemur, qui lib. 2. Opt. pet. 7. hæc habet: *Lucem res coloratas pertranſeuntem, illarum coloribus colorari, ut patet de luce tranſeunte vitreas feneſtras, quæ illorum vitrorum coloribus informatur, ſecum formas illorum colorum ſuper objecta corpora deferendo.* Si ab externo medio obſcuriori & alterato tanta immutari poſſit lux, quid de interiori noſtro lumine dicemus, altis nocturni temporis tenebris in ipſa ſui orbita immerſo. Confirmant inſuper colores propoſitum ſchema, qui rebus lucem fœnerantur, & pari modulo naturas metiuntur, varianturque pro lucis qualitate, in quo *Albazenis* teſtimonio ſtabimus lib. 1. Opt. cap. 3. de Coloribus, corporum denſorum: *Si fuerit aliquod iſtorum corporum in loco obſcuro, & non fuerit in eo niſi lux parva valde; apparebit illud corpus obſcurum, & non diſtinguet viſus colorem ejus, & videbitur quaſi niger.* Vrget nos tamen *Alexander* & rerum ſenſus, quia in obſcuro lucerna lucidaque corpora clarius ut in contrario, ſplendorem vibrant. Sed & hic ſine effectu conatus. Splendida enim duobus locis clarius effulgent tenebris obſita, ſemel ſi per ſe magna luce & potenti ad reſiſtendum contrario nigrore, ſint prædita, quo caſu non raro mortalium oculi clariores de nocte etiam lucidi irruentium tenebrarum vim eludunt, ex citatis à nobis variorum hiſtoriis. Deinde, in diaphano pu-

ro obſcuriores lucidorum corporum tenebræ viſum tantum abeſt impediant, ut etiam vi contrariæ naturæ magis manifeſtum reddant. Quarum conditionum utraque quum in pleriſque nocturnis momentis deficiat, citra admirationem erit ſi à tenebris lux noſtra vincatur. Quippe imbecillitatem lucis ad reſiſtendum obſcuritati, auget diaphanum nocturnum & craſſius & impurius. Ob quas inferni loci tenebras Proſerpinæ ſplendidiſſimi alioquin oculi obfuſcati, ut canit *Claudianus* lib. 3.

——& nox oculorum infecerat ignes.

Parcior igitur lucis noſtræ quantitas à tenebris facile opprimitur, quum illis immerſa ſine nova mixtione & labe pedem retrahere arduum ſit nimis. Cui rationi applaudere mihi viſus eſt *Alhazen* lib. IV. citato th. XIX. in eodem ferrei ſpeculi inſtituto perſeverans: *In ferreo ſpeculo color apparet debilior, quoniam in reflexione miſcetur cum luce reflexa, mixta ex luce deſcendente, & luce ſpeculi ferrei modica, & color ferreus colori reflexo miſtus debilitat ipſum.* De qua etiam umbræ cum luminis mixtione *Vitellio* concinit lib. XV. Opt. th. I. *Fit autem à corporibus non politis reflexio lucis, non autem à corporibus politis aſperis; quoniam in illis ſunt pori & foveæ, quas ſubintrat lumen, & redit in ſe permiſtum cum umbra illorum corporum.* In tenebris ergo & umbra augentur lucidiſſimorum ſplendores, obſcurantur debiliorum, ob admiſtionem umbrarum & impotentiam eluctandi emergendique. Vt jam pro *Platone* impetraverim oculorum lucem ſi plane non extinguatur, poſſe tamen à den-

à denſitate nocturnæ quietis, offuſcatas extinctionis cujuſdam ſubire vices. Ex longiori autem difficultatum propoſitarum pugna, ancipiti pridem, nunc confecta, facile expediri poſſunt quæ contra ſententiam noſtram ſubornant alii. *Dicunt:* Si in oculo lumen eſſet, viderentur omnia in ipſo oculo, adeoque ſequeretur, quod vel ſenſibile ſupra ſenſum poſitum faceret ſenſum vel palpebris clauſis intra orbitam oculi viſionem fieri. Verum ad viſionem peragendam præter lucem internam requiritur & medium, idqùe illuſtratum externo vel colore vel lumine, & objectum tam appropriatum quam debita diſtantia remotum, quorum omnium demonſtratio ab Opticis petenda à propoſito noſtro aliena. Vna harum conditionum deficiente, impeditur videndi actio. Clauſo autem oculo nec medium adeſt, nec objectum, allatis neceſſariis inſtructum. Abeſt medium externo lumine illuſtratum, & ipſa objecti diſtantia. Quærunt tamen adverſarii, cur lumen ipſius oculi proprium non poſſit externi ſplendoris partes agere, ut minimum propriæ palpebræ clauſæ videantur ab iis qui igneorum & lucidorum Spirituum copia oculos turgidos gerunt. Cui non ſatisfacit *Iacobus Caranta* in libro ſuo de Viſu, dum igneo huic oculorum ſplendori (ex mente *Platonis*) idem accidere affirmavit, quod flammæ, quæ, aditu quocunque clauſo, ſuffocatur, ut nec lucere amplius nec perdurare poſſit: Metus enim incendii oriretur, niſi igneus hic ſplendor luce cœleſti magis temperaretur quam elementari. Obſcurari poſſe non diffitendum, quod ſupra probavimus; ſed clauſis valvulis
ſibi

ſibi relicta lux ſine umbræ alicujus tactu clarius efferveſceret. Aliud ergo eſt quod vicem externi non ſuppleat, nempe medii anguſtia & lucis raritas, inviſibilis quidem niſi condenſetur. Neque eo fine & ſcopo natura lucem oculis inſevit, ut proprium Organum ſpecularetur aut in proprio ſenſu ſenſum ſuum diffunderet. Actionem ejus ad externa ordinavit, unde & ita lucem diſpoſuit, ut non niſi ad debitam naturæ ſuæ diſtantiam vim conceſſam porrigeret. Quæ cauſa inter alias eſt, quod uveam variis licet coloribus affectam, intra oculum tamen non cernamus, ut oculi partem & inſtrumentum, quod ad completam videndi actionem cum potentia & lumine concurrit. Nec aliud intra oculum eſt, quod ad uſum hunc non ſignetur. Quod ſi extranea advenerit qualitas, ut color flavus in Ictericis, ab eodem Icterico intra ipſum videtur. Sed inter affectiones extraneas hæc numeramus, quæ, ut naturæ aliena, morbum creant. Denique & objecti proportionati ſitus in ſenſibili ſupra ſenſum viſionem effugit. Radii namque ſeu ſpecies viſibiles ſupra ſenſum non feruntur, ſed in rectum, ut Optici probant, protenduntur. Reliqua, minoris momenti ſponte hic tranſgredior, ut inſtantias ad præcedentis capitis argumenta & alia futuræ lib. III. occaſioni reſervanda.

Cap. XVII.

De Luce Thoracis, ſeu Medii Ventris.

MEdium humani opificii cœnaculum, tanquam Rerum dominus, Cor occupat in omnes particulas imperia æquali nutu diffundens, lucem-

lucemque veram proximo igneæ ſubſtantiæ calori aſpergit. Ardet perpetuo foco manifeſtis ignium indiciis, nec ad lucem aliud quam flammæ deeſt acceſſio. Quin lumini quam flammæ vicinius, ob benevolam caloris temperiem qua cuncta perfundit ſimul & illuminat. Iuvatque hic cordis nativus ſplendor, quem omnibus credimus adeſſe, non parum citatiorem clauſi ſanguinis curſum & reciprocos ejuſdem reditus, quibus luminum efformat curſum ut ſupra à nobis fuit propoſitum. Nec hoc tantum, ſed nutrimenti vice illi inſervit, quod Luce conſtat, quale princeps animantium Cor, imo cruorem attrahit ſubſtantiæ Lucidæ ſimilitudine, quemadmodum innuit de Corde *Hippocrates*, radioſque immittens ſanguinem aſſumit. Vivorum tamen reſerati pectoris proſectores nos urgebunt, viſceribus nudatæ vitæ ſtillantis ſedem, Cor protrahentes, nullum flammæ advertiſſe indicium. Quibus reſponſum velim, in confinio illo mortui ac vitæ ſimul ac externum lumen admiſerit patulum vulnus, extingui interiorem lucem, in viventibus ſuoque ſecreto alioquin gaudentem, eodem prorſus modo quo lucernas per tot ſecula in urnis ardentes prius fere extinctas videmus quam protractas. Id quod carbones igniti quoque experiuntur quos in metalli fodinis inveniri *Agricola* teſtatur & oculati teſtes quique, ſi quidem extra focum naturalem educti in cineres ſubitanea mutatione collabuntur.

Naturalis autem hæc lux ſuiſque contenta terminis ab externo calore nonnunquã ardentem potius quam lucentem flammam acquirit, non ſine ſui

inte-

interitus periculo, quandoquidem de puritate rationem accipit, quam febris totiuſque incendium invertit.

Effloruerunt quoque externi thoracis tractus pevera lucentis facie. Dorſum enim, collum pectuſque munimenta loci, ſplendide nonunquam luxuriaſſe prodiderunt auctores quidam non tralaticii. Ex *Libavio* l. 1. de Orig. rerum, de puero Ienenſi nota hiſtoria, quod detracta per occiput interula ſcintillas copioſas una deterſerit. Alio reſpexit quidem *Virgilius* quando colla lucere ab armis glabris dixit l. 11. Æn.

—— Sed Buten adverſum cuſpide figit
Loricam, Galeamque inter, qua colla *ſedentis*
Lucent. ——

Et *Claudianus* igneum appellans thoracem in Nupt. Honor.

—— procul igneus horror
Thoracum, gladioſque tegat vagina minaces.

Sed in dorſo evidentiora elucent exempla. Nam apud *Cardanum* l. 4. Rer. Var. c. 69. cuidam amicorum ſuorum noctu domum venienti ſcintillæ è dorſo proſilierunt triſti inprimis augurio. Sceleris enim poſtmodum accuſatus imminentem ſententiam exilio voluntario antevertit. Clariori correptus ſplendore *Antonius Cianfius* Bibliopola Piſanus paucis abhinc annis quum ſubuculam lineamque interulam arctiorem quam pro corporis neceſſitate exueret, flammas è dorſo brachiiſque cum crepitu magno familiæ totius horrore efflavit, qui hoc ipſo illuſtrior factus quod & teſtem & enarratorem fidelem Philoſophorum ævi noſtri Princi-

Principem *Fortunium Licetum* in ſplendidiſſimo de Monſtrorum cauſis commentario l. 2. c. 28. invenerit.

Similia de pectoribus feminarum ſpecioſarum decantant amantes, quibus hæc amoris potius quam veritatis æſtus ſuggeſſit. Illuſtria tamen viſa ſunt, ſi illorum credimus ocellis qui conceptam imaginem ex affectu dijudicarunt. Nitentes in Melite papillas admiratur *Philoſtratus* l. 2. Icon. οἱ μαζοὶ ὀρθοὶ ὑπαυγάζουσι, papillæ rectæ reſplendent. Rectas papillas *Philoſtrati*, *ſtellas ſtantes* nuncupaſſe ſuſpicor *Statium* Epith.

—— ne mollem uterum, ne ſtantia lædas
Pectora. ——

Quæ caſtigata ſunt *Q. Sereno* Sammonico:

Si caſtigatas ſtudium eſt præſtare mamillas,
Ex hedera, ſertis ambas redimire memento.

Vbi *Mſ.* meæ *membranæ* habent.

Sic caſtigatas ſtudium eſt præſtare papillas
Ex hederæ foliis ambas redimire memento.

Quippe duritiem papillarum ad pulchritudinem ſpectabat, ut urerent conſtantius præcordia juvenum. Ita *Maximianus* Ecl. 5.

Vrebant animum duræ ſtanteſque papillæ,
Et quas aſtringens clauderet una manus.

A quo non receſſit *Lucilius*:

Hic corpus Solidum invenies; hic ſtare papillas
Pectore marmoreo. ——

Rectas autem papillas *Philoſtratus* ſplendeſcere contendit, vel quod, ut fieri aſſolent, parum emineant radiorum inſtar, vel quod elegantiſſimam ruboris cum luce præferrent mixturam. Hanc ſane

in

in Meſſalina Auguſta meretrice depingit *Iuvenalis* Sat. 6.

Intravit calidum veteri centone lupanar,
Et cellam vacuam, atque ſuam. tunc nuda papillis
Conſtitit auratis, titulum mentita Lyciſcæ,
Oſtenditque tuum generoſe Britannice ventrem.

Vbi auratas papillas de aureo quidam expoſuerunt ornamento, vel ſindone aureis annulis ſeu fibulis connexo. Ita quippe in janua cellæ meretriciæ prodiiſſe Heliogabalum auctor eſt in ejus Vita *Xiphilinus*: Nudus in janua fornicis ſtetit, & meretrices, & τὸ σινδόνιον χρυσοῖς κρίκοις ἐξηρτημένον διασείων, prætereuntes advocavit. Neutra tamen conjectura magni eſt momenti. Non ſindonium aureum, quia nuda dicitur Meſſalina in cella conſtitiſſe, velamenque hoc Virorum proprium ferebatur. Nec ornamentum aureum papillis appenſum ullius monumentis, quod ſciam, proditum. Niſi de monilibus, quæ in pectus papillaſque à collo dependebant, accipiamus, à quibus eleganter Virgines Ædumeorum rubræ pronunciantur in Lamico Pœnate *Abu Iſmaël Tograi* Arabico v. 18.

يَحْمُونَ بِٱلْبِيضِ وَٱلسُّمْرِ ٱللِّدَانِ بِهِ
سُودَ ٱلْغَدَائِرِ حُمْرَ ٱلْحُلِي وَٱلْحُلَلِ ،

Avide appropinquant palatio & decori divino, cum eo
Præſtans forma incedit rubro monili & cinctu.

De Virginibus eſt ſermo, quas tuebantur Sagittarii gladiis & tenacibus haſtis in Ædumæorum caſtris.

caſtris. Rubrum monile in frequentiori apud Orientales feminas uſu pretioque adhuc excelſo, ut etiam corallia rubra nobilioribus mercibus commutent, ad colli, brachiorum, manuum, pedum item in mulieribus ornatum. Habitus ſane nec antiquioribus incognitus, ut indicat *Seneca* Act. 2. Herc. Oet.

Conjux modico nupta marito,
Non diſpoſito clara monili
Geſtat pelagi dona rubentis.

Qui color etiam Zonas virginum ſeu perizomata ornabat in eodem carmine Lamico. Nam الحلل de cinctu intelligendum monet Lexicographus, ab origine حل, quæ rei ſtrictæ notat ſolutionem. Quam veritatem firmat conſtans in Arabia longo ſeculorum lapſu ſervatus mos, quo etiamnum, ut αὐτόπτης narravit *Veſlingius*, feminæ tæniis ſerici rubri intextu variegatis & mitras capitis alligant, & pectus anguſtant. Niſi monilia in pectus demiſſa papillas Meſſalinæ aureo quoque fulgore quaſi per umbram tinxerint. Quid divinem, neſcio, ut eos excuſem qui ornatas papillas crediderunt. Poterant enim monilia ad papillas pertingere, quia adeo ſubinde laxa, ut non tam colli quam papillarum dixiſſes ornamenta, ut in ſtatuis antiquis advertimus. Vnde tumidum & in reſpiratione impeditum monilibus pectus inſectantur *Zeno* Martyr, *Iuvenalis* Sat. 2. de Sacerdotibus effeminatis:

—— toto poſuere monilia collo.

Et *Ovidius* 10. Met.

—— dant longa monilia collo.

Hinc pro monilium ſplendore ſplendidæ vel auratæ Meſſalinæ papillæ potuerunt cenſeri. Aurata enim fuere monilia, quæ laudatus *Zeno* Serm. 2. de Avar. in ſui temporis virginibus damnavit: *Ad Eccleſiam Dei opere vario totum inaurata corpus, execrabili metallo procedis onuſta, ubique delicata.* Notat quoque *Iſidorus* ex Tertulliano l. 19. Etym. c. 32. Nunc præ auro nullum feminis leve eſt atque immune membrum. Quod de equis Latinis expreſſit *Virgilius* 7. Æn.

Aurea pectoribus demiſſa monilia pendent.

Nec non *Propertius* l. 4. El. 1.

Mox ubi bulla rubi demiſſa eſt aurea collo.

Calamitatem enim præſagit in ſomno aliquid coloris aurei in pectore geſtare, ſi fidem meretur *Achmetes* in Oneirocritic. c. 258. à *Rigaltio* pridem divulgatus. Nec minus fulgori gemmata pectori fœnerabantur, à *Claudiano* deſcripta l. 1. in Rufino inſidiatore:

——cuicunque monile
Contextum gemmis, aut prædia culta fuiſſent.

Per ignem apud *Prudentium* expreſſa:

Colla vel ignitis ſincera incingere ſertis.

Vero tamen propius exiſtimarem omnibus æqua lance expenſis, nativam papillarum pulcritudinem & ruborem ad inſidias factam amatoribus ut ſalivam moveret, oſtentaſſe Auguſtum ſcortum, quum hic amantium ſit color, & ex *Ovidio* in Faſtis:

——rubeat hortorum Deus, & tutela Priapus.

Forſan tamen conſueto meretricum artificio papillas ſuas aurea tinctura fucaverit Meſſalina, quem-

quemadmodum non ſine eruditæ antiquitatis indicio facile mihi *Octavius Ferrarius* Patavini Gymnaſii Varro, præſenti perſuaſit.

Cap. XVIII.

De Infimi Ventris, ſeu Abdominis Lumine.

QVanquam popina hæc & latrinarum latebræ plus à materiæ contentæ ignobilitate prodant obſcuritatis, quam, vel minimi ſplendoris veſtigium: In iis tamen libidinis ſuſcitantur flammæ & ignis lata propagine furtivus diſſeminatur, ibique, teſte *Seneca* in Hipolyto,

Sacer eſt ignis, credite læſis.

Præter quem ſub favilla & cineribus latentem, veros in abdominis tractu luminis radios ſecula retro numerata obſervarunt. Teſtantur *Simplicius* & *Philaltheus* l. 3. de cœl. t. com. 31. ex ore Alexandrini Medici, à vertebra coxæ ignem in laborante coxendice aliquando exiiſſe, tam vehementis flammæ, ut oculos inſpicientium combuſſerit. Lugduni ad confluentem Araris & Rhodani, nuper quid evenerit nollem ſilentio perire. Quum mulieris cujuſdam cadaver rationem mortis inveſtigaturi Medicorum filii reſeraſſent, ingens ex ventriculo prorupit flamma univerſum ambitum, qui vicinus erat, complectens, ſed parva interpoſita mora diſparuit, ut ad *Renatum Moreau* Pariſienſium Medicorum facile Principem perſcripſit Lugduno amicus. Quancunque hujus oſtenti comminiſcamur cauſam ſive Spiritum vini largius potum, ſive calidiorem Theriaces aquam, quam ſuadentibus iis qui curationi præerant, hauſerat ægrota, incuſemus,

mus, certum evadit & indubitatum excitari poſſe latentem in corporibus noſtris lucem, & in flammam, ſi addatur materia ad urendum apta, convertí. Simile de Equite Polono ſumptis duobus ardentis vini cyathis flammam evomuiſſe tempore Reginæ Bonæ Sfortiæ, narratur, qui combuſtus inde fertur. Id quod ex Equite alio Polono Neapoli inaudivit quoque Cl. V. *Everhardus Vorſtius*, cui lac hauſtum profuerat. Fumum ſane craſſiorem ex ventre exſpuere Perſam in foro Navonæ Romæ vidimus poſt ſumptum vini aduſti & tabaci hauſtum.

Arſiſſe quoque lumine aliquo benigniori membrum, quo Viri ſumus, ex *Dionyſio Halicarnaſſæo* & *Plinio* colligere me videor. Is *lib.4. Antiq. Rom.* hic l.36. c.27. de Nativitate Genitoreque Servii inter mira alia enumerant: è foro regio, ubi à Romanis cum alia ſacra ſolebant fieri, tum cœnarum litari primitiæ, ſupra flammas è cinere virilis membri extitiſſe ſpeciem, ex qua impraegnatam Ocriſiam ancillam Tunaquillis Reginæ forte aſſidentem, natumque Servium cui è capite flamma primum nato effulſit. Quod plane cum ſomnio *Artemidori* convenit l. ult. Oneir. §.86. Memoriæ noſtræ vicinius eſt, quod chartis ſuis conſignavit *Io. Benedictus Sinibaldus* Medicus Romanus lib.4. Geneanthropeiæ tr. 2. cap. 3. audiviſſe ſe interdum ſalaces quoſdam juvenes œſtro libidinis percitos, qui dicerent è ſuis pudendis fervidum pneuma quaſi flammam emicare, ob fortem, ut quidem putat ille, & urentem iis in partibus ſpirituum aggregationem.

Ex

Ex mulicbri natura ſimile alias eluxit lumen. Quamvis à fulmine viſum ſit communicari: Tamen à fulmine ut ſimili re, interiorem lucem provocatam pro nobis urgemus. Hujus naturæ raram naturam hac ſerie in Prodigiis ſub Coſſ. M. Acilio, Cajo Porcio, de Virgine Apulciana *Iulius Obſequens* enarrat: Pompejus Elvius Eques Romanus à ludis Romanis quum in Apulia reverteretur in agro ſtellati filia ejus Virgo, equo inſidens, *fulmine icta, exanimataque, veſtimento deducto in inguinibus exerta lingua per inferiores locos, ut ignis ad os emicuerit.* Reſponſum infamiam Virginibus, & Equeſtri ordini portendi, quia equi ornamenta diſperſa erant. Senſus *Obſequentis* meo judicio obſcurior in mendo cubat, quod in ſua verſione Ethruſca retinuit Interpres *Maraſſi*, quum vulgatæ lectionis normam ſequutus, ita expoſuit: *Et ſpogliata, fu trovata la ſua lingua, uſcir tra le coſcie, per le parti inferiori: in modo che il fuoco l'haueſſe percoſſo la bocca.* Ego levi mutatione ita diſpoſui ad mentem noſtram, ut pro *exerta lingua* legamus, *exorta flamma*, quæ per locos inferiores emicuit. Quid enim ad locos inferiores lingua? Os vero, ubi protenſa flamma emicabat, eandem partem ſacro ſilentio tegendam poteſt denotare, uſu Medicis loquendi vulgato in exprimendo uteri orificio. Niſi fortaſſe linguam ex ore excuſſam intra inguina forte repertam ingenti fulminis vi arbitremur. Aliter hunc locum Obſequentis obſcurum ita illuſtravit *Ioh. Rhodius* Muſarum noſtrarum delicium, levi verborum tranſpoſitione: *exanimataque exerta lingua, veſtimento deducto in inguinibus, ut per*

inferiores locos ignis ad os emicuerit. Quaſi in tantum flamma creviſſet ut ab inferioribus ad ſuperiora protenderetur. Quæ ſicut ſua claritate lucent, ita flammam lucentem ex locis virginis tractæ profiiſſe pari nobiſcum firmant conſenſu. Clarius *Cornelius Gemma* 7. Coſmogr. refert in Thuringia ex utero mulieris cujuſdam difficili partu laborantis tam ingentem cum fragore flammam ſurrexiſſe, ut videretur bellicum tormentum excuſſum, atque pueri nates & obſtetricis manus una opera ambuſtas.

In hoc corporis angulo quandoquidem amoris prodeunt ſcintillæ, ut nuper dicebamus, de eo pauca ſuperſunt ſcrutinio interiori haud indigna. Amorem quocunque ſignificationis loco capiamus, lucis noſtræ probamus exinde teſtem. Divinus amor, quanquam alterius loci, ipſa lux divina ex cœlo intelligibili pulcritudinis vel nobilior divinæ pulcritudinis radius ab illo expanſus vocari poterit. Quod eleganter more gentis cultiſſimæ *Celſus Cittadinus* Cantico ſecundo vernaculis verſibus ita proſequitur:

Flamma, ſplendor de la Divina luce,
Che'ſenza pari al mondo ardendi e riſplendi,
E le degne Alme in bei deſiri incendi,
E lor moſtri la via, ch' al ciel conduce.

Idemque Ballata Prima:

Amor, fiamma Divina,
Dal voſtro almo ſplendor, e'l voſtro ardore
Prende forza e valore.

De quo pleni ſunt Platonicorum Commentarii, hic non accerſendi. Amor vero inferiorum præ-
ſertim

ſertim Venereus cunctis fere cum aliquo pudoris ſenſu inſitus, à fervore ſanguinis circum præcordia ortus flammam lucemque hoc locorum tractu haud difficulter concipit. Quo collineant ore pleno Poëtarum chori, modo ignem, modo flammam, modo ſcintillas amantibus ſuſcitatas enunciaturi. *Virg.* 1. Æn.

Cum dabit amplexus, atq; oſcula dulcia figet,
Occultum inſpires ignem, fallaſque veneno.

Ovid. Epiſt. 15.

—— quis enim celaverit ignem
Lumine qui ſemper proditur ipſe ſuo.

Et ſequenti:

Flamma recens parva ſporta reſedit aqua.

Horatius etiam l. 1. Od. 27.

Digne puer meliore flamma.

Nec non *Seneca* Hippol. Act. 2.

Finiſque flammis nullus inſanis erit.

Apertius *Propertius* l. 1. El. 9.

Necdum etiam palles, vero nec tangeris igni.
Hæc eſt venturi prima favilla mali.

Ante quos magnus Dictator noſter *Hipp.* ne poëtæ nomen nos terreat majoris olim quam nunc pretii, rem, ut eſt ſine ambagibus, quia nota, aperuit libello de Genitura, de voluptate fœminarum in complexu acturus: *Habet*, inquit, *ſe res ad hunc modum, ut ſi quis ad aquam ferventem frigidam affundat, fervere deſinit; ita etiam virile ſemen in uterum illapſum, mulieris calorem & voluptatem extinguit. Effertur autem voluptas & calor, ſimul ac ſemen in uterum decidit, deinde deſinit, non ſecus ac ſi quis ad flammam vinum affundat.* Hincque occulti amoris ignem

primium in pectore ſuſcitamentum, teſte *Calphurnio* Ecl. 9.

Tum vero ardentes flammati pectoris æſtus
Carminibus dulcique parant relevare querela.

mox ad inguina prolapſum velut occultis viis ſcintillarum voce idem promit. *Eclog.5.* De Vere:

Tum Venus & calidi ſcintillat fervor amoris.

Nonnunquam hic accendi primum, diffundique ordinata ſerie ad interiora innuit *Fulgentius* l. 3. Mytholog.

Blanda leonino ſaltu laſcivia amoris
Aggreditur primo, mox oſſibus implicat ignem.

In flamma vero & luce æſtum amoris deliteſcere inde puto neceſſitate confici, quoniam æmulus amatæ rei eſt amor, illiuſque ſplendorem ſimilitudine debet exæquare. Hoc enim reciproci amoris fundamentum, ut pari inter ſe proportione amantes aſſimilentur. At utriuſque in pulcritudine latet ratio, quam ex luce deducemus ſuo loco. Favet theſi noſtræ experientia Phyſiognomonica *Adamantii Sophiſtæ* lib. 2. c. 26. qui relucentes oculos (ὑαλώδεις) Venereos obſervavit, quales volucrium habet genus. Et parum hinc abludens *Adrianus Spigelius*, ſive illius ſuccenturiatus *Dan. Bucretius* l. 1. Anat. c. 1. tumorem pallidum in oculo ſplendeſcentem certius venereæ luis conjicit ſignum. Fortaſſe, quia illuc redacta eſt lux, quæ ante crebriorem Veneris uſum partes genitales occupaverat. Sed de his ſacris non addo plura, ne oleum camino.

Cap. XIX.

De Artvvm *Luce manifeſta.*

NOtione Artuum pedes manuſque comprehendunt apertionum auctores. Pedum autem manuumque nomine venit quidquid à ſcapulis & inguinibus ad extrema uſque digitorum exporrigitur. In qua artuum latitudine micantes luminum ſcintillas Naturæ diligentiores annotarunt. De brachiis Piſani Antonii Gianſii ſupra ex Magno *Liceto* retulimus. Quibus ſimilia *Franciſci Guidi* Icti narrantur brachia, qui dum nudus in lecto recumberet caſu brachia ſibi manu levigans conſpicuas flammas inde excitabat. Vtriuſque autem veros tam brachii quam pedum fulgores raro ſeculi exemplo in Matrona Veronenſi elapſis menſibus advertere licuit, cujus ſumma cutis vel leviter tacta ſcintillas manifeſte ejaculatur. Dignum curioſorum induſtriæ ſpectaculum, omnium hic oculis ſubjiciam ea fide qua cunctis præſentibus apparuit, & fideliter nuper calamo ſuo, non ſatis culto, delineavit *Ezechiel de Caſtro* Medicus Veronenſis in edito de Igne Lambente libello, quem quum ultimam huic operi impoſuiſſem manum, commodum ab *Henrico Fuiren* Conſobrino fraternis mihi nominibus conjuncto nactus ſum. Ita autem hiſtoriæ hujus filum orditur: Illuſtriſſima Domina Caſſandra Buri, Ill. Io. Franſciſci Rambaldi Patritii Veronenſis Vxor, ætatis conſiſtentis, corporis habitu mediocri, univerſalis temperaturæ calidæ & humidæ, hepatis calidioris ſicciorisque adeoque bilioſo atroque ſanguine abundantis ab

innato ſervore, aduſtione, ætate proportionata & animi mœrentis pathematis vehementibus procreato; reliquis coctionis, vitæ & ſenſus inſtrumentis caliditate inſigni, humore non pauco, exuberantibus, unde compacta totius temperies. Hanc Nobilem Matronam eo prærogativæ dignitatis & ſtupendæ naturæ ſigno ſignavit Creator, ut quotiens leviter linteo corpus tetigerit ſcintillæ ex artubus copioſe proſiliant cunctis domeſticis conſpicuæ, non ſecus ac ſi è ſilice excuterentur, comitatæ etiam ſtridore omnibus audito. Sæpe ducta manus per induſii manicam ſcintillas excipientem, obſervavit flammam caudato radio ad inſtar accenſarum exhalationum decurrentem, à qua ſæpe deluſæ ancillæ ignem ſe intra ſtragula linea ingeſſiſſe per incuriam cum cubile hyemali tempore frigidiori de more calefacerent, quo tempore etiam copioſiores & clariores micant ſcintillæ cum metu haud dubio arbitrantur. Ignis autem hic, ut hoc addam, non niſi noctu aut obſcuro loco in morem luminum noſtrorum, cernitur, nec extra ſe urit, quamvis materia ſuggeratur ad inflammationem promptiſſima, nec denique, ut alii fulgores temporanei, ad certi temporis menſuram deſinit, ſed eadem lucentis facie, quum hæc literis mando, adhuc effulget. Rarum his terris pro ſolenni aliæ habent regiones, quibus ex Hypocauſtis uberior oleoſorum vaporum exitus. Alios non referam, qui id rei ſæpius & obſervarunt & ad poſteritatem miſerunt. Solius ſufficiat *Geſneri* lib. de Lunariis experimentum. Apud nos, ait, ubi Zetarum vel Hypocauſtorum uſus eſt, multis

multis contingit, poſtquam ad fornacem amplius incaluerunt, ut mox in cubiculum ingreſſi frigidum, dum induſium exuunt, aut movent, aut & concutiunt exutum, flammam inde & videant, & crepitantem audiant. Quod autem de patria ſua Tiguro refert, de reliquis quoque accipiendum ad Arctoam plagam exporrectis. Funambulum Auguſto Taurinorum eadem lucis forma ſpectaculum dediſſe mihi teſtis eſt indubitatæ fidei *Caſsianus à Puteo* Eques Illuſtriſſimus, idemque ſibi obtigiſſe non pauci perſuaſerunt. Conradum Comitem d'Vrach Cardinalem ſanctimonia vitæ celebrem ex tribus digitis clariſſimam nocte viſam emanare lucem, quibus ſcilicet ſacra peragebat, ex *Thoma Cantapritano* ſcribit *Antonius Auberius* Tom. 1. Hiſt. Card. Pariſiis nuperis annis editæ. De *Gothofredo Antonio* ICto perhibet *Io. Dan. Horſtius* in Comp. Phyſico Hippocratico quotiens poſt infeſtiſſimum arthritidis paroxyſmum ſomno indulſerat, è cruribus lambentes flammulas emiſiſſe. Largiori licentia ſine pilis brachia glabra ſplendent *Martiali* l.2. Ep.29.

Et ſplendent vulſo brachia trita pilo.

Sicut *Claudiano* l. 2. de Raptu: Brachia nuda nitent.

In eodem Humeri ſplendore extollendo deſudant auctores. *Virgilius* lib. 1. Æn. Æneæ majeſtatem Diis, quorum prima lux cenſetur & propria, fecit ſimilem:

Os humeroſque Deo ſimilis.

Preſſius ad rem *Horatii* lyra l.2. Carm. Od.5.

—— *albo ſic humero nitens*

Vt

Vt pura nocturno renidet
Luna mari, Cnidiuſque Gyges.

Femori ignem in pulchritudinis adumbratione aſſignat *Anacreon* Od. in Batyllum: Μηρῶν τὸ πῦρ ἐχόντων.

Femorum ignem habentium.

Pedes fulgentes decantat *Catullus* ad Mallium:

—— trito fulgentem in limine plantam.

Nec infelix *Claudianus* de Nupt. Hon. de Venere:

—— nivea delibant æquora planta.

Manilius pari animo, nec rauca avena lib. 5.

Perque caput ducti lapides, per colla manuſque,
Et pedibus niveis fulſerunt aurea vincta.

In illis de nativo pedum ſplendore, in hoc vero de gemmatis pedibus actum, quos Romanorum inſtruxit luxuria, teſte *Plinio* l. 9. c. 35. vel ſane annulatis, de quibus *Cyprianus* de diſcipl. & hab. Virginum: *Sint à compedibus aureis pedes liberi.* Quo forſan alluſit ridiculus *Martialis* l. 11. Ep. 38. ad Zoilum:

Annulis iſte tuis fuerat modo cruribus aptus,
Non eadem digitis pondera conveniunt.

Eodem ſenſu manus ex armillis lucere Bilbilicus idem vates canit l. 2. Ep. 29.

Cujus & hinc lucet Sardonychata manus

Quod de annulo quoque capimus, quem Sardonychen *Perſius* clamat inter ornamenta Natalitia, & nominatus *Martialis* in Zoilo reprehendit.

Alia ab his micantium manuum apud antiquos fit mentio. Quoties enim digitos extendebant propoſito luſu, micare digitis dicebantur. Luſus genus

genus erat, quod *Græci* ἐπάλλαξιν τῶν δακτύλων, Romani *micationem digitorum* vocitarunt, in Italia adhuc vulgo ex parte, *alla more* nomine uſitatum, quo extenſorum digitorum numerum ſimul uterque divinat. Hoc enim ab antiquorum luſu diſcrimine ſeparatur, apud quos alter alterius digitos numerabat, quantum ex *M. Varrone* colligere poſſum: *Micandum cum Græco, utrum ego illius numerum, an ille meum ſequatur.* Quem locum minus recte ad morem jam Italis notum torquet *Robertus Titius.* De hoc luſu omnino explicandus *Cicero: Dignus qui cum in tenebris mices*, quem vivis quaſi coloribus ſub perſona Thyrſi inter Aſtacum & Idam carmine certaturos electi arbitri *Calphurnius* ſtitit Eclog. 2.

Et nunc alternos magis ut diſtinguere cantus
Poſſitis, ter quiſque manus jactate micantes.
Nec mora diſcrevit, digitis prior incipit Idas.

Male *Mſ.* Patavinorum Viridarienſe, *ter quinque*, legit. In ſequenti vero *Modius* mavult reponere, *diſcernunt digitis.* Vtrumque ſua ſtet probabilitate, quippe ſæpe emicuit ſolus utrinque digitus, qui Idam hic & Aſtacum diſcrevit, licet plane Mſ. meæ Membranæ hunc verſum expunxerint: ſæpe tres micuerunt, idque ut plurimum teſte *B. Auguſtino* l. de Trin. *Nam id ubi volumus, facile habemus, ut alia omittam vel micando digitis tribus.* Erat inſuper micatio ſeu extenſio digitorum ſignum emptoris in Auctionibus, tandem abrogatum, ut Inſcriptio vetus indicat:

EX

EX. AVCTORITATE
TVRCI. APRONIANI. V. C.
PRÆFECTI. VRBIS
RATIO. DOCVIT. VTILITATE. SVADENTE. CONSVETVDINE. MICANDI. SVMMOTA. SVB. EXAGIO POTIVS. PECORA. VENDERE. QVAM DIGITIS. CONCLVDENTIBVS.

Quærenti vocis micandi in luſu auctionibuſque auctoritatem, ex radiorum micantium ſimilitudine traductam afferrem, quam extenſi digiti æmulabantur. Vnde reciproca ſignificatione digitis pro radiis cepit *Claudianus* de Nupt. Mariæ:

Auroræ vincis digitos, humeroſque Dianæ.

Et ſicut radii micantes moveri ſe ſimulant, ita pro motu micatio ipſa in hoc luſu veniat. Ita enim micationem aurium pro motu ſumpſerat *P. Vegetius* l.2. Veter. c.10. Vbi non audiendus Mſ. *Sambuci* codex, qui *mutationem* pro *micatione* ſurrogat, quia ipſe cap. 12. de erecta figura ſe explicavit, quemadmodum *Linacer* apud *Galenum* 7. Meth. 7. Aſinos *auribus micare* reddidit.

Tandem pedis manuumque *unguibus* ſupereſt & ſua lux, ſuus ſplendor, ex lucido illo pellucidoque ſubſtantiæ clarioris temperamento, quod interiori luminatum claritate ſpiritus vitalis & luſcentis principii ubertatem velut in ſpeculo præſentat, in quo amplum Chiromantorum ſtudium verſatur. Corporum autem ſectores ob eam lucis ſpeciem, ungues lunulam candicantem appellant, ſive ſplendoris ratione, ſive ſingularis figuræ ad cornu ſe flectentis, & lucis imitationem, quanquam

quam ſecuritatis gratia id factum inſinuet *Galenus* l.1. de Vſu Part. c.11. Reſpexit ad unguium lucem *Plinius*, quum Dactylum piſcem ſplendentem unguis nomenclatura inſigniret. Nec mente alieni fuerunt Ægyptii, aurum mortuorum unguibus inducentes in Mumiis adhuc conſpicuum. Quos ſequuntur poſterioris ævi mulieres Orientales in certæ pulcritudinis argumentum ungues inaurantes, ſi quidem mali ominis rem & mortuoſi ſignum ex *Hippocrate* l. Prænot. inaudiverunt, ſi ungues digitique ad lividos deflectant aut obſcuros.

Cap. XX.

De Pulchritudine Corporis pro Humanæ lucis argumento.

PVlcritudinem duplicis diſcretionis ſcimus; animi unam, alteram Corporis. Ab utriuſque origine lucem ſubjecto corpori mutuabimur, quanquam non ſit animus illam fuſius perſequi. Pulcritudinis porro animi conditionem in luce poſuerunt *Platonici* Præceptoris ductum ſequuti, apud quem pulcritudo vivus Divinæ Bonitatis radius eſt luxque Dei per mentem, animam & materiam longe lateque diffuſa, animo noſtro communicata, ſi averſus à qualitatibus cum materia conjunctis ipſum ſe honeſtis exornet actionibus. Pulchriorem vero effici, auctore *Theologia Aegyptiorum*, l.11. c.4. contemplando mundum intelligibilem ſua luce radiantem, à quo veluti à ſuo lumine averſus deformatur. Ratione objecti & auctoris, pulcritudinem animi in luce cum illis collocamus. Intelligibilis mundus lucens, eſt objectum; auctor

Deus,

Deus. Ex quo colligunt *Platonici* Deum ipſum pulcrum non eſſe, ſed quid divinius omni pulcro, fontemque totius pulcritudinis luciſque, & principium.

Sed de corporis pulcritudine in præſens ſermo eſt, quæ ab animo ſubinde pulcro dependet, qui digna ſibi domicilia ſolet metiri. Eſt tamen uti in obſcuro deformique corpore non niſi animus eluceat ſplendidus. Diverſam igitur utriuſque rationem verſamus. Dubitant non pauci, quid in corpore ſit, quod huic pulcritudinem, deformitatem alteri inducat. Ad Symmetriam & decentem partium ſeriem confugiunt aliqui, quos *Scaliger* rejicit Exerc. 300. n. 2. quia non ipſa ſymmetria, ſed ex eis conſtans certa qualitas pulcritudinis nomen mereatur. Pulcritudinis mea ſententia ex eo ratio peti debet, quod ſenſum noſtrum incurrens ſpecie ſua delectet. Nec qualitas ex ſymmetria, nec ſymmetria ſenſuum primarium cenſentur objectum, quæ niſi alterius interventu nec videntur, nec delectant. Senſum autem primaria qualitate afficiunt colores & lux. Lux ex ſe movet ſenſum, Colores tantum pro varia lucis mixtura nobis ablandiuntur, ad quam ſi congrua partium acceſſerit compoſitio, jam perfectus ſpecioſæ formæ implebitur numerus. Hæc tamen ſpeciei forma ſine illa perſiſtit, illa ſine hac nequaquam. Senſus inordinatis etiam quandoque capitur, ut fructibus præcocibus, qui coloris externi facie illudunt. Ab hac tamen externa facie pulcritudinem depinxerunt antiqui formarum Iudices, ad colorum ſplendorem fere reſpicientes, niſi ubi concurrat utrum-

que

que, cum colore nempe juſta inſtrumentorum corpoi s proportio, ut inſinuat in Arte Parva *Galenus*, indicatque *Baſilius Magnus* in Epiſt. ad Gregorium per *Iac. Mycreum* Rhetum latinitate donata: *Nec lingua loquatur quæ ad homines pertinent, nec oculi ficti nitorem circumſpiciant in corporibus, & concinnitatem membrorum admirentur.* Evidenti autem in Æthiopibus exemplo pulcritudinis proponam formam. Hi licet accuratam à natura impetrarint ſymmetriam, deformes tamen ob lucidorum colorum defectum æſtimantur. Colore enim noctis dicuntur tincti apud *Petronium*, & triſtia ex triſti colore ſemper viſi portendere. Sub Coſſ. M. Lepido, & Munatio Planco, Brutianis in prælium egreſſis, Æthiops in porta occurrens à militibus confoſſus fertur ob deformis tincturæ infauſtum omen, quoniam Caſſii Brutique extrema facta prædixerat. Quo colore ominoſo angues ſæpicule Romæ apparentes cædem civium & triſtia quævis portenderunt. Vnde lapidibus à populo interfectos in prodigiis narrat *Iulius Obſequens*. Nigra ſane in inſomniis periculoſa pronunciat *Hippocrates* de Inſomniis, mortuoſque nigris veſtibus indutos morbum ſignificare. *Nicephorus* etiam in Oneirocriticis Iambis,

Equos nigros videre nunquam bonum eſt.

Et mox:

Corvos intuens, dæmones eſſe puta.
Nigra facies longas triſtitias adſert.
Niger quis conſpectus, nuntius eſt morbi.

Pulcra verſa vice boni credebantur ominis & læta facie læta advocare. Pulcritudo igitur in illis hæ-

ret, quæ ſenſus permovent. Inter quæ quum primas luci deferamus partes, pulcra illa putabimus quæ vel plurimum in ſe lucis recondunt, vel coloris venuſtate ad eam proxime accedunt. Optime ad inſtitutum noſtrum *Auctor Aegyptius*: *Terreni mundi pulcritudo ab alio non eſt, quam à cœleſti luce & pulcritudine.* Vt vere pro pulcritudine lucem uſurpaverit *Claudianus* in Nupt. Hon. & Mariæ:

——jam munera nuptæ
Præparat, & pulcros Mariæ ſed luce minores
Eligit ornatus.

Idemque in Alcaico de Honorio:

Princeps coruſco ſidere pulcrior.
Quæ digna formæ laus erit igneæ?

Ad hanc lucem ut quiſque color accedit propius, ita pulcrior cenſetur. Proximus luci candor non levem ornatum conciliat. Hinc *Alexander Aphrodiſæus* 1. Nat. Quæſt. c. 2. album eſſe præſentiam luminis nigrumque illius abſentiam. Non ſolum quia candori mixta lux, quod de coloribus aliis concedit *Scaliger* Exerc.325. ſed ob inſignem, quæ oculo conſpicitur, ſimilitudinem. Colores omnes tribus inter ſe mixtis gigni tradit *Ariſt.* de Coloribus c.3. *Lumine nimirum; iis per quæ apparet lumen, & ſubjectis coloribus à quibus lumen refrangitur.* Quam licet mixtionem in coloribus apparentibus tantum interpretetur *Simon Portius*, eo quod veri colores ex eodem Philoſopho ſolo conſtent albo & nigro: tamen de veris quoque explicandum eſt præceptum ex illorum præſcripto qui præter variam luminis reflexionem colores credunt nullos. Interim candor hanc in ſe complectitur lucem. De Haliurgo

enim

enim *Auctor idem Incertus* cap. 2. fieri tradit floridum ſplendidumque (λαμπρὸν,) quando cum mediocri albo & umbroſo infirmi Solis radii temperantur. Inter ſe ſane reciproco uſu ambulant. Quippe eidem *Auctori*, qui neſcio quo jure *Ariſtoteles* inducitur, Sol & ignis proprie dicuntur albi, quia corpora ſunt omnium lucidiſſima, hic flamma ſua, ille luce, uterque impropric flavi, quia tales admiſtione craſſioris materiæ nobis apparent. Quare in propria ſphæra nullo alienæ rei commercio corruptum ignem, ſicut Solem albicare judicat *Portius*. Explicat id *Alexander* l. 1. Quæſt. Nat. c. 2. ubi flavedinem Solis igniſque hujus à fumo & humido, cui permiſcetur, & in quo ſtabulatur, illius à vaporibus, quos penetrat lumen, accurata diſſertatione deducit. Atque ob hanc lucis candoriſque affinitatem Sol candida comburere non putatur, quatenus candida, niſi ratione ſubſtantiæ immerſæ cogatur, ut & ignis, quia diſſipatur & à candore abſorbetur. De quo Problemate lis inter *Cardanum & Scaligerum* ſubtiliſſimos verſatur Exerc. 73. Candorem autem à luce revera proferri roris & pruinæ exemplo *Ariſtoteles* doceat l. 5. de gen. & l. de Col. Pruina enim alba, quum ab eximio frigore in vapores tranſparentes agente condenſetur, magnam illi diaphano aëris & lucis inhærentem quantitatem ſimul includens album creat, propter laxiorem copulam in rore debilius. Quidquid autem horum ſit, in candore expreſſam lucis agnoſcimus imaginem, ob quam primam in eo poſuerunt pulcritudinem veteres. Inde Iuno λευκώλενος candidis lacertis deprædicatur à *Colutho* in Raptu

Helenæ & Lunam *pulcricomam* vocabat *Epimenides* ob albicantem lucem, cujus cauſa Levana לְבָנָה Hebræis dicta. Et immunditiem deſignaturi Ægyptii Orygen pinxerunt, quod Lunam averſaretur candidiſſimam (ὀργίσαντον θεὸν,) ut fuſius narrat *Horus Apollo*, noſque in *Obſervationibus Novis de Vnicornu* operoſius ejus rationem inveſtigavimus. In *Canticis* c. 6. ſponſa pulcra appellatur, ut Luna, ſereque ob coloris elegantiam Diis omnibus alba placuere. Hinc *Tibullus* l. 1. Eleg. 1.

Caſta placent ſuperis pura cum veſte venire.

Et *Virg.* l. 12. Æn.

—— puraque in veſte ſacerdos.

Perſius item Sat. 2.

—— negato
Iupiter hæc illi, quamvis te albata rogarit.

Supplicaturis enim hic ornatus videbatur conveniens, eoque naufragium paſſos reprehendit apud *Comicum* fani ſacerdos, quod albis veſtibus non advenerint. *Rudent.* Act. 1. Sc. 5.

—— ergo æquius vos erat
Candidatas venire hoſtiataſque ad hoc
Fanum: ad iſtunc modum non veniri ſolet.

Cauſam aperit *Cicero* l. 5. de leg. quia albus color præcipue decorus erat Deo, honeſtatique, ut loquitur *Clemens Alexandrinus* l. 3. Pæd. c. 11. conveniebat. Innocentiæ id tribuunt nonnulli, ſed ea ex ſimplicitate erit metienda, quæ ex ſimplici lucis in albo mixtura elucebat. Deos autem & pura & ſimplicia pulcritudinis ratione inprimis afficiunt, quales hoſtiæ ſunt albæ *Iuvenali* Sat. 12.

—— niveam reginæ cædimus agnam.

Hoc

Hoc eſt, pulcram Iunonique chariſſimam. Enimvero valetudinis incorruptæ indicium apud *Hippocratem* de Inſomniis, mortuos videre puros in veſtibus albis. *Nicephorus* in Oneir. Iamb. idem advertit:

Veſtis alba ad bonum fert finem,
Veſtem ferens nigram, infauſtum ſomnium.

Et *Aſtrampſychus* in Oneir. *Equorum alborum viſio, angelorum apparitio eſt.* Quare triumphatores Romani albis equis in Capitolium vehebantur teſte *Suetonio* in Claudio Nerone. Et ut ſpeciem ſibi fingerent Tyranni Amphion Zethuſque mulis albis delectabantur, ut ex *Euripide* in Herc. Fur. conſtat. Hinc adeo candoris nitidi ſinceritas ſummo etiam Numini placuit, qui pulcra ſola amat, ut candida veſtimenta urgeat *Eccleſiaſtes* cap. 8. Et in Threnis Vates *Ieremias* cap.4. v.7. Candidiores Nazaræi ejus nive & nitidiores lacte, rubicundiores coralliis, & ſapphiro pulcriores. A qua temporum ſucceſſione traductam etiamnum conſuetudinem ſervant Hebræorum natio, ut albatis ſaccis ſacra ſua peragant. Apud Paganos poſt ἀποθεώσιν Divos albos ſeu lucentes factos in Cæſare recepto ex Virgilio docemur Ecl. 5.

Candidus inſuetum miratur lumen Olympi,
Sub pedibuſque videt nubes, & ſidera Daphnis.

Quod ex ſidere viſo falſa perſuaſit ſuperſtitio. Verius in Apocalypſi *S. Ioannis* candidæ ſtolis albis ad tribunal agni innocuæ animæ ſe ſiſtunt, poſtque reſuſcitatum Servatorem, ut canit *Lactantius* in Carmine:

Fulgentes animas veſtis quoque candida ſignat.

Et grege de niveo gaudia paſtor habet.

Deſtinabantur quoque ſolennibus apud Romanos diebus: Ita enim de Tacito Imperatore *Vopiſcus*: *Senatores omnes ea eſſe lætitia elatos, ut domibus ſuis omnes albas hoſtias cæderent, imagines frequenter aperirent, albati ſederent.* De Theodoſio *Pacatius* in Panegyrico: *Quid ego referam feſtum liberæ nobilitatis occurſum? conſpicuos veſte nivea Senatores?* Vt autem diſtinguerentur ab iis qui magiſtratum ambiebant, ſignati albatas veſtes vocant naturali candoris colore tinctas. Candidatorum enim habitus artificio aliquo candidus erat, unde boni dicti Viri illi apud *Senecam* Epiſt. 3. ut moribus Viri & pulcritudine externa veſtis reſponderet. Mulieres quoque in luctu albatæ incedebant, forſan, ut conjectat *Plutarchus* in Quæſt. Rom. ob coloris claritatem & lucem, qua ſe viventes contra Orcum tenebraſque muniebant ſimul & à defunctis ſecernebant. Quod tamen apud Græcos neglectum fuit. Cadaver enim ſolum ſplendentibus linteis coopertum, ut in funere illo Mileſio expoſuit *Apuleius* l. 11. Met. Homo idcirco pulcherrimus, lucis ratione, colorem album temperantis, ante omnes eminet. Quod intermedii ordinis confirmant tincturæ, quæ quanto ad lucem accedunt propius, ita pulchriores habentur. Ab albo proximus color flavus è luce non parum ſplendicat, quia luteum ſplendidum à *Fulgentio* de antiq. Voc. celebratur. Vnde & *Pacuvius* in Frag. Thictis Soli commodat:

—— non illic luteis aurora bijugis.

Et *Galenus* eadem licentia 12. Meth. 4. fulvum vini colo-

colorem, igneum appellare haud dubitat. Vt in univerſum pro pulcritudine quoque declaranda adhibeatur ob intimum lucis commercium. *Horatius:*

Vidimus flavum Tiberim.

Virgil.

——ille ſuo cum gurgite flavo.

Hoc eſt, pulcro. Hunc *aureus* excipit exiguo lucis diſcrimine, diis proprius & ſpecioſis formis. Nam *Virgilius* Venerem auream laudat, & auream amicam *Flaccus*, ob apparentem ſcilicet ſub aureo colore ſplendorem. Nec diſſimilis purpura elucet, quam *Iſidorus* à lucis puritate ita nuncupavit. Lumen equidem non raro ab auctoribus obtinuit. *Manilius:*

——Tyrias imitata papavera luces.

Chlamydem à purpura clariſſimam in Alexandro Severo *Aelius Lampridius* annotat, quam veri luminis limbatam vocat *Trebellius Pollio*. De veſtibus notior res ex *Martiale* l.14. Ep.147.

Stragula purpureis lucent villoſa tapetis.
Quid prodeſt ſi te congelat uxor anus?

Flavius adhæc *Vopiſcus* in Carino, lineas micantes purpura appellavit, prorſus quo *Claudianus* ſenſu in Nupt. Hon.

Amplexa caleat purpura regio,
Et veſtes Tyrio ſanguine fulgidas.

Quos preſſior pulcrorum interpres *Virgilius* non parum adjuvat 1. Æn.

——namque ipſa decoram
Cæſariem nato genetrix lumenque juventæ
Purpureum, & lætos oculis afflarat honores.

Et per roſam in Iunone reddidit *Valerius Flaccus* l.5. Argon.

—— At Iuno, pulcrum longiſsima quando
Robur cura Ducis, magnique edere labores,
Mole nova, & roſeæ perſudit luce juventæ.

Sed ne Æthiopum in me diras concitem, etiam in his tenebris ſuum eſſe poſſe faſtum ſuggero, quia nec ſua luce carent. De Aſphaltho nigerrimo bitumine dixerat *Dioſcorides* l. 1. c. 100. ſplendere purpuræ in modum, quod in liquore nigrioris melancholiæ advertunt quoq; noſtri, ut ex *Oribaſio* & *Galeno* videre eſt. *Plinius* l.9. c.36. de Purpura ait: Liquoris hic minimi eſt, in candida vena, unde pretioſus ille bibitur nigrantis roſæ colore ſublucens. Quam nigricantium lucem *Scaliger* Ex.325. actum viſibilitatis vocabat, *Virg.* l.4. Georg.

—— violæ ſublucet purpura nigra.

Omnium autem eo tendit ratio, ut ex pulcritudine externa & micantibus faciei corporiſque coloribus, veram in nobis lucem accenſam certo argumento evincat. Quod ne gratis obtineat pro illa *Hippocratem* advoco, qui lib. de Humoribus, colores cutis noſtræ, potiſſimum faciei, ex humorum in nobis redundantia deſumpſit. Hi autem liquidæ materiæ ſucci quum per ſe haudquaquam lucem promant, eam ſine inſito lumine extrema diffundent nunquam. Hanc autem cum pulcritudinis præcipuam conficere partem ſciamus, quæ oculos mortalium in ſe defigit, lucem univerſo corpori affuſam quo cerebro dubitabimus.

CAP.

Cap. XXI.

De Luce Spiritvvm *Corporibus humanis* Insitorvm.

AD humanæ perfectionis complementum ſpiritus accedunt, corpora, ut ferunt, ſubtiliſſima, quibus vitæ theſaurum concredidit Natura. Quumque duplices ſint ex Medicorum traditione, totidem merebuntur ſectiones. Innatum calidum ſi expendamus, eo lucere clarius apparebit, quo naturæ affinitatem cum cœlo alit majorem. Cœleſtis enim eſt originis & æthereæ ſubſtantiæ lucidæque propago. *Plato* animæ currum in *Phœdro* vocabat, quo in mundo æthereo anima vehitur, ad hunc vero orbem devectam mortali ac obſcuro corpori jungat. Quo nomine ejuſdem animæ indumentum iiſdem dicitur antiquis, ac immortalis veſtis. Quandoquidem diverſiſſimas iſtas diverſæ naturæ ſubſtantias, animam immortali luce radiantem, & corpus mortalis conditionis tenebris immerſum, ſine medii cujuſdam utriuſque extremi ex æquo participis adventu commoda copula ſibi ſociari vix poſſe animadverterunt; medio hoc ſpiritu nec lucidiſſimo, nec obſcuriſſimo, ſed ex utroque pari pondere temperato, & cingi animam & ad amicum cum corpore nexum diſponi docere coacti ſunt.

Sed duplicis ordinis & hoc animæ vehiculum poſuerunt, ne hæc non excuſanda mixtura confundamus, unum quidem quod animam in mundo æthereo vehebat donec in corpus ſe immerſiſſet, alterum vero quod eam in corporis uſque carcer

comitabatur, ut media aliqua copula utrumque commodius jungeret. Illud æthereum dixerunt, hoc aëreum ſpirituoſumque Academici nuncuparunt, idque à Diis ſecundis extructum, quum illud à primo Deorum ordine deduxerint. Verum unus tantum Spiritus mihi, etiam ex antiquorum mente, ſemper viſus fuit, variis officiis & forma diverſa diſtinctus: Vtrumque enim communi nomine ſignarunt *Platonici* & *Magi*, horumque anteſignanus *Zoroaſter*, ut πνεῦμα vocaretur, nec officio vehendi, niſi pro mundi diverſitate, diſtinxerunt. Forma tantum diſcrepat pro diverſa temporum differentia. Eo enim temporis ſpiramento quo in mundo æthereo liberam animam vehit, à figura ætheris globoſum rotunda & ſphærica facie figurarunt Magi, quam deponere dicebant anima ſeſe in corpus humanum inſinuante, rurſuſque mutata vice aſſumere quum à corporis tenebris velut ex nube ſe ſubduxerit. Quicquid horum ſit, originis certe ſuæ ratione lucidum eſſe oportet hunc ſpiritum; quia æthereus. A quibus fortaſſe habuit *Fernelius*, quod illum reſiduam quandam è cœlis aſtriſque ſubſtantiam crederet & divinum, ob ejus vim elementorum conditione nobiliorem. Dum æthereæ regionis partem dixit, lucidum eſſe non inficiabitur, quum præter lucem in æthere inveniamus nihil, modo diſperſam, modo in orbes ſuos conglobatam. Neſcio tamen quo pacto ſibi conſtet idem *Vir Doctiſſimus* dum modo æthereum dicat, modo ſui oblitus ad elementa releget. Quem enim ad cœlos originis reſpectu evolare in reſolutione totius ſtatuere debuerat, ad igneam ſphæram

ram amandavit *lib. 2. Phyſiol. cap. 5. In interitu corporum quantum innati caloris diſsipatur id omne in univerſam ignis naturam revolare. Spiritus ſubſtantiam partim in ignem, partim in aëris regionem refundi.* Et alibi *lib.4. cap.8.* contrarium calido noſtro frigus (quum tamen æthereum nulla elementorum vis infringat) dum per Alpes iter facientibus Aquilonia tempeſtate ob vim frigoris inſitum calorem repente extingui ſui immemor ſcripſit. Sed excuſari de facili poteſt ut meretur, quem opinionibus *Platonicis* informaſſe animum præſentio, ut nomine ignis non ſtricta ſignificatione ſolam elementi ignis naturam, ſed in univerſum & cœleſtia corpora intellexerit, quæ & calore aliquo & lumine ignea habentur. Frigus autem calori huic, ut cœleſti, non adverſatur contrarietate propria, quia etiam in frigidiſſimis plantis caloris innati vis illæſa, ſed intercedente diſtinctione organorum & ſubjecti inhærentis, ut ingenioſiſſime in præclaris ſuis Controverſiis explicavit *Olaus VVorm*, ſummus in Patria utriuſque ſcientiæ Apollo. Hanc cœleſtis lucis veritatem etiam dediſſe Calido primævo viſus eſt mihi *Hippocrates* libello de Carnibus, quum mortale negavit: Δοκέει δέ μοι ὃ καλέομεν θερμὸν ἀθάνατόν εἶναι. Nihil enim rerum creatarum mortalitati exemit Natura, præter lucem cœleſtem, quam æterna conſtitutione inſtruxit negata contrarii omnis qualitas. Quid de *Ariſtotele* agemus cujus acumini multum tribuiſſe Muſæ feruntur? A luce ſpiritus inſiti abhorrere non indicant verba, quibus quidem æthercam lucidamque eſſentiam aperto ſenſu non tribuit ſed implicito, quum *lib. 2. de generatione*

anim.

anim. cap. 3. ἀνάλογον dixit elemento ſtellarum. Analoga ſimilia aliqua parte ſunt, non eadem. Sed in quo conſiſtat proportio illa & analogia calidi Nativi cum corpore ſtellarum, ſententiarum diverſitate in diverſas conjecturas abeunt *Interpretes.* Eo fere omnes collineant, ut analoga velint dici, propter ſimilitudinem non eſſentiæ, ſed operationis, quæ elementorum actiones ſupergreſſa cœlos eorumque aſtra ſimilitudine, non latitia propius contingit, de quibus calidi divini actionibus tot Iliada exſtruxerunt ævi noſtri ſcriptores Medici. Ad proprietates alias analogiam hanc reducunt alii. Quod communi naturæ proprietate à frigoris inclementia non frangantur, motum in orbem conficiant circularem & in inſtanti. Quo verba *Hippocratis* refero *lib. de Corde,* profitentis; ex eo radios immittere ad ſanguinem aſſumendum. Quas communes calido noſtro cum ſtellis affectiones, quis non videt ab unica aſtrorum luce dependere, quæ invicta frigore gyrum motu celerrimo & repentino in orbem conficit. Operationes quin ipſæ, quæ utrique communes dicuntur, à cœlorum luce dependent tam conglobata quam per omnia diſperſa. Lux enim de ſtellarum cœlique eſt eſſentia, nec aliud eſt elementum aſtrorum quam ipſa lux, qua ab inferioribus naturæ præſtantia ſeparata, & illucet & operatur. Vnde quum ſtellarum luciſque ſigna in calido Nativo expreſſa videantur per operationes & ſingularia accidentia: quid vetat quin & hic lucem ex *Ariſtotelis* effato, conſtituamus, tanquam proximam lucis effectuum cauſam, ut etiam analogia caloris ad aſtra lucis eſſentiam

tiam ambitu ſuo comprehendat. Vrgenti, non tam analoga ſed eadem fore, reponam eandem eſſe inter utroſque lucem eſſentiæ ratione, diſſimilem vero in copia & claritate qua cœleſtis illa aſtrorum calidum noſtrum longis poſt ſe paſſibus relinquens, divinius omnino eaſdem operationes, & perfectius expedit.

Demum ad illorúm ſententiam devolvor, qui Calidum congenitum nec cœleſte, nec cœleſti analogum, ſed elementare ad inferiorum conditiones deprimunt, & vel aëreum vel igneum invenerunt. Pro igneo non pauci tanquam pro aris & focis depugnarunt uſque adeo ut ipſum ignem dixerint, contra quos licet ipſe *Ariſtotelis* laudato lib.2. de generatione animal. c.3. diſputaverit, in idem tamen incidit locis non paucis, niſi priori loco, quod aliqui prodiderunt, non tam de Spiritu noſtro quam de Anima ipſa diſputare prætendat, ut ex *2. de Partibus animal. cap. 7.* videtur colligendum; ubi reprehendens eos qui animam ignem faciebant, id ſpiritui potius accommodandum ait ut dicatur anima in ejuſmodi corpore ſcilicet igneo ſubſiſtere. Alibi quoque Calidi Nativi operationes ab igne fieri aſſeruit quæ à priori illo peragi ſolent. Quo fine *2. de Anima* text.41. ignem, cauſam nutritionis probat, & *lib. de reſpir.* c.8. quum dixiſſet concoctionem fieri caliditate naturali, ſubnectit: *igne enim efficiuntur omnia.* Qua licentia eo animo uſus eſt vel ut ſpirituum lucem ſub ignis forma exhiberet perpetuo fere ſplendore ornata, vel calorem benevolo ſiderum aſpectu & cœleſti grata mixtura temperatum à lucis fulgore & eminentia minus differre inſinuaret.

CAP. XXIII.

De Luce Spirituum Influentium.

INfluentes Spiritus ſunt, qui à partibus principibus ad membra allabentes, ab his & nomen habent diverſum & ad diverſos uſus diriguntur. Non poſſunt autem ſinguli non ſplendere, quia à Calido primævo lucente & generantur & emittuntur. Hos *Galenus* in Arte cap. 2. æthereos appellavit, ſive ob puritatem cum lumine communem, ſive, quod aliis placere video *Interpretibus*, ob igneam naturam, ſiquidem ab *Anaxagora* æther pro elemento ignis accipitur. Ignei autem ob lucidam flammam dici merentur, quam facillime ſine uſtionis ſenſu, concipere in Spiritu Vini ad oculum obſervamus. Ante *Ariſtotelem* plerique incorporeos crediderunt, quam opinionem quoque *Hippocrati* aſſuit *Galenus*. Infelicius tamen illos impugnat *Ariſtoteles*, non enim quod movent corpora & ab illis moventur Spiritus in corporum numerum aſſcribuntur, niſi & ſuas Intelligentias Orbium motores corporeas velit. Spiritus autem noſtri non tam ab alio moventur quam diriguntur influxum recipere apti, nec ad hunc motum niſi ab incorporeis impelluntur, unde ἐνόρμωντα potiori jure dicuntur à *Coo* Sene. 6. Epid. ſ. 3. t. 7. impetum facientia, qui motus luminis valde proprius. Si incorporeos defendamus, quis vel lucidos eſſe vel ad lucem proximos negabit, cum qua & in motu & influentis modo maxime conveniunt. Ad ſingulorum lucem umbram noſtram propius ſociemus. De Naturalis Vitaliſque ſplendore non dubitabat

Arabum

Arabum Princeps *Abenſina* vulgo *Avicenna* dictus; quando lib. de medic. cord. cap.8. aperte collegit ſplendidum & clarum ſanguinem aliter manifeſtari non poſſe, quam ratione ſuorum ſpirituum. A quibus certe gratus ille & vividus color ſplendoris æmulus in facie illorum elucet quibus ſpirituum copiam & florentem corporis contextum vegeta adhuc & incorrupta Natura puerorum, juvenum & ſanorum omnium conſervat. Ab hac doctrina paucis paſſibus diſcedit *Fernelius* ſpiritus non quidem lucidiſſimos, at rubros, colore ad lucem propius accedente, credidit, eo ductus argumento, quod in Arthritide rubidus color obſervetur, non à ſanguine, ſed affluente ſpiritu. Iuvari poteſt ex Eryſipelatis illa ſpecie, de qua *Galenus* lib.2. ad Glauconem c.1. quæ incenſa quidem & inflammata eſt ſemper, cum tumore vero non ſemper apparet, in qua certe rubet membrum affectum, ſicut & in Arthritidis dolore, non à ſanguine rubro, qui, quum tumor neutro loco adſit, nullus adfluxit, ſed à Spiritibus à dolore ad læſam partem advocatis. Agnoviſſe & hanc Spirituum lucem rubicundam videtur Inſignis Medicus *Ioh. Monardus*, quando Comm. l. 1. Meſues in Cordis palpitatione Confectionem Alkermes eo nomine improbat, quod ob colorem ſimilem Spiritus Vitales & ſanguis nimium trahendo diſſipentur, quæ forſan & cauſa, quare oculos purpura lædit. Ad quam noxam non advertunt alii, in Syncope ſumma juvamenti ſpe pannum commendantes ſericium, coccineo grano tinctum, ubi plus forſan auxilii in ſerico quam cocco. Similia tamen juvant & conſer-

conſervant. Verum eſt, ſi debita quantitate in-
fluant. Similia enim vehementiora auxilii minus
quam detrimenti afferunt. Auxilii tamen ſpem
auget. *Ioh. Coſtæus* dum Cordi ea mente coccina
applicat ob refrigerium, idque cognatum Spiri-
tum ad ſe trahendo: Ventriculum enim illius co-
loris concurſu ad calorem excitari mandatis do-
cet *Marcellus Empiricus*, ac cum ſucceſſu in praxi
Medica apud *Io. Dom. Salam*, Æſculapium no-
ſtrum, aliquoties obſervavimus. A quo colore
alienus fuit *Guilielmus Aragonius* Vir doctiſſimus,
quem ne ſpiritus evocaretur ſemper abſtinuiſſe his
pannis ab amicis ejus habuit Cl. V. *Io. Caſp. Bauhi-
nus*, ut in Exercitationibus noſtris de *Angina Epi-
demica* retulimus. Ex iis tandem qui verecundia
perfunduntur & ira perciti furunt, ſpirituum vita-
lium ſplendor emicat. Horum enim facies ſpi-
ritibus ſplendidis ſubito appetitu aſperſa, dere-
pente ut flamma aut accenſus carbo elucet. Et
hunc tamen & juvenum colorem clariorem à ſan-
guinis ſolius præſentia dependere inſtant non inſi-
mæ ſedis Viri. Sed craſſior eſt ſanguis & ſegnior
quam ut in dictis animi paſſionibus imperantis vo-
luntatis ductum ſequi poſſit, pari temporis mo-
mento. Nec fulgidus puerorum & formoſorum
color ſanguini debetur ejuſve puritati, quem na-
tura ſua obſcurius tinctum, extra corpus effuſus
ipſe monſtrat: Et nos manifeſto in urinis indicio
ſanguinem obſcurum deprehendimus, quippe ſi
ſolo ſanguine miſceatur non ſplendet, ſed confuſo
rubore obſcurius apparet, contra atque id admiſta
bile evenit, quæ luci propior ſplendere facit uri-
nam,

nam, ut ex *Vranoſcopis* diſcimus. Neque feliciori conatu illam vultus ſpeciem pretioſam à cute ejuſdem ſubtiliori & tranſlucente derivant, quia pallida hæc vi naturæ membranoſæ, niſi ſpirituum inumbrationem admittat, ſicut in cadaveribus, obſcura viſitur. Vltimum in calore præſidium ponunt cauſæ ad triarios jam redactæ, quem per Spiritum, non vi ſua, ut calor eſt, lucidum colorem diffundere eodem cadaverum exemplo liquet, quæ utut calorem acquirant, ejus tamen coloris ſplendorem nuſquam exſerit quem nos deſideramus: nam & in nigerrimis, ut pice, & deformibus, ut Æthiope Socrateque caloris vis emergit ſine coloris pulchritudine. Naturalem Spiritum, alioquin obſcuriorem, ſplendore aliquo ſubinde inſignem indicare videtur in generatione *Hippocrates* Sect. v. Aph. LXIII. de ſterilitatis cauſis: Eadem ratio eſt in maribus, aut enim propter corporis raritatem Spiritus foras diſſipatur, ita ut ne ſemen tranſmittat: aut propter denſitatem humor foras non excernitur: aut popter frigiditatem *non accenditur* (οὐκ ἐκπυρεῖται),) ut ad eum locum cogatur aut ob caliditatem hoc idem contingit. Clariori textu *Galenus* 2. de ratione victus in acutis t. 44. Coruſcationem oculis lumen obgerentem ab exhalatione & evaporatione quæ à ventre ſurſum fertur, fieri propoſuit, & propter ſanguinis in caput delati abundantiam. Vnde ſanguini coruſcationes aſſignans eundem ſplendidum credidit, abundante namque ſanguine, abundant & ſpiritus lucidi, à quibus illius claritas dependet.

Succedant Spiritus Animales vocati, ſenſus o-

innis & motus artifices, quorum ſplendor clariori luce radiat, evidentioribuſque demonſtratur rationum & experimentorum luminibus. Eos *Galenus* æthereos admiſit lib. 4. de Sympt. Cauſis c. 2. *Sic Spiritus quoque animalis, aut ad amuſsim purus, & veluti æthereus eſt: aut nebulæ ritu humidus ac turbidus.* Vtplurimum autem ætherea eſſentiæ ratione lucem profert ex oculis manifeſtiſſimam à qua quidquid viſus clarum exſerit, dependet, id peculiari de Viſivo Spiritu lucido libello demonſtraſſe teſtatur ſe *Galenus* l. x. de Vſu Partium cap. vi. quem injuria temporum nobis ſubtractum dolemus. Et in Venereis amplexibus experiuntur plurimi, qui ob illorum intemperantiam cum ſemine ſpirituoſo à cerebro delato pariter & oculorum lumen deperdunt, teſte *Ariſtotele* in Problematis.

Luci quoque fidem ſuo exemplo facit Opticorum hoc ſeculo primus *Franciſcus Aquilonius* lib. I. Prop. II. de ſe narrans, ſpiritum hunc animalem in oculis aliquando in ſomnis illi accenſum fuiſſe, ita ut impetu quodam eruptura flamma cum vita videretur, ni ſoluto ſomno vigilantia ſuccurriſſet. Quodque admirationem auget pariter & inſtitutum, perſpicua lux ex ſpiritibus his, oculis effuſa videbatur, quæ etiam expergefacto aliquantiſper inhærebat quoad ipſa extingueretur. In oculis autem delituiſſe non aliunde conceptam quam à Spiritu quo caput & oculi diſtenti erant, inde colligebat, quod nihil eorum quæ foris eſſent diſcerni potuerunt, ſed nebulæ inſtar lucidæ externa omnia obtegeret. A quorum Spirituum luciditate optime, ut omnia Problematis *Ariſtotelei* ſolutio-

tionem petit *Petrus Aponenſis* in Commento quæſiti, quare in luce dormire non poſſimus ut in tenebris. Nempe quia in ſommo Spiritus & calor ab exterioribus ad interiora contrahitur, ſecus ac in vigilia. At medium luce illuſtratum, Spiritum & calorem propter luminis affinitatem ad exteriora evocat, à quo diſcuſſo ſomno pervigilium inducitur. Hunc eorundem ſplendorem ex *Avicenna* 6. Natural. 4. part. c. 2. in lib. de Med. Cordial. repetit, in quo ſubſtantia quædam luminoſa dicuntur, ſupra à nobis quoque laudato. A melancholicorum ad Spiritus tenebricoſos mæſtitia idem vi contrariorum deduxit *Galenus* lib. 3. de Loc. Aff. c. 7. & 2. de Sympt. Cauſis cap. ult. ubi cauſam afferens cur Melancholici mæreant & triſtentur: *Quemadmodum*, inquit, *externæ tenebræ omnibus fere hominibus pavorem inducunt, ſic atræ bilis color mentis ſedem tenebris ſimilem reddens timorem efficit.* Quod effatum *Averrhois* incurrit indignationem, qui eo nomine *Galeno* dicam ſcribit 3. Collectan. c. 4. negatque à tenebricoſo Spirituum colore mærorem dependere, quia ſenſu non percipitur, nec alibi poteſt intemperiei morbum producere. Contra eundem rectè agit & *Scaliger* Exercit. 298. n. 4. *Cardano* negans exterreri meticuloſos in tenebris ob tenebras, quia nigrore interdiu non permoventur, aut ob injurias quibus videntur expoſiti, quia in cubiculo abſentes hoſtes nemo pertimeſcit, ſed totum hoc dependere ex ficta malorum Dæmonum repræſentatione ſtolidos vano metu terrentium. Sed tanti non ſunt hæc ponderis ut *Pergameni* noſtri lancem elevent. Si enim ex ſolo ſenſu, mor-

borum cauſas metiremur, quod *Averrhoës* putare
viſus eſt, ſæpius ægrotantibus quidquam gravius
pati negaremus, quod nihil externis ſenſibus ob-
ſervaverint. Fomes cineri doloſo interius ſuppo-
ſitus ſine externo ſenſu ſæpe & officit & interimit.
Quamvis ergo externo oculorum ſenſui nigredo
Spirituum non offundatur, quippe quorum vis ſub-
jectum non egrediuntur, nec exterius adveniat, in-
teriori tamen oculorum orbitæ communicatur,
dum debita claritate ad viſum peragendum non
influunt viſivi Spiritus obumbrati, unde interiori
ſenſui phantaſiæ ea tenebricoſa ſpecies oblata ve-
hementius alterare poteſt, & metum inducere,
quam ſi ab exteris adveniret. Vnde, quæſo, deli-
rantium, Phreneticorumque affectus niſi ab inte-
riori phantaſiæ læſione ſine externi ſenſus damno.
Ictericorum pravos colores alioſque, oculos ſen-
ſuſque internos ſine externo auxilio, mutantes ſi-
lentio in præſens involvam. Quod deinde ab *A-*
verrhoë dicebatur colorem obſcurum alibi mor-
bum in temperamento nuſquam inducere, faci-
lem habet explicatum. Enimvero ſupponit quod
admitti non debet temperamenti conſenſum ex
ſolis qualitatibus primis ortum, quum & concur-
rant ſecundæ, tertiæque, à quarum vitio temperiei
contextus diſſolvitur. Nihil enim ſine perſpicui-
tate luceque diſcernunt oculi, nec ſine aëre mode-
rato percipiunt aures, &, ut verbo complectar,
omnium partium temperies in debita raritate &
colorum perſpicuitate conſervatur aut deſtruitur.
Nyctalopia à cryſtallo obſcuriori, à vitiata perſpi-
cuitate corneæ utriuſque temperies nativa diſſol-
vitur.

vitur. Par ex lucis miſtura temperamentum quum Spiritus ſortiti ſint, obſcurato illo intemperiem in his induci eadem veritate dixerim. Privationem lucis ſimilia producere negaret forſan ſi per naturam morbi auderet; quæ in privatione ſic ſæpe conſtituunt. Sed ad Melancholicorum metus non tam concurrit privatio lucis in ſpiritibus in abſtracto, ut terminum hunc à Philoſophorum ambulacris advocem, quam in concreto conſideratæ, ſeu, ut clarius ad rem loquar, non tam mera privatio lucis quam realis color obſcurior vaporibus aduſtis immixtus phantaſmata creat & mæſtitiam, quos vapores ab inferioribus in Melancholia Hypochondriaca elevari tot docent Medicorum libri. Vnde hærere *Averrhoëm* videmus & hæſiturum dum à colore temperiem corrumpi p. part. cantic. tract. 2. t. 354. audacter inficiatur. Nec Dæmonum *Scaligerianorum* larva *Galenum Cardanumve* terreat, quos terribili ſpecie, Melancholicorum agitare curam eo concedam libentius quod per nigredinem & inferiorum tenebras concipiantur excludanturque ſimul ac vitioſi in corpore humores fuerint expurgati, quo pacto obſeſſos Dæmoniacoſque, ut putabantur, curare ſolitum magnum quendam in Neapoli Virum amicum memini. Difficultas tamen in eo verſatur, quare Spirituum tenebræ timorem incutiant, quem externæ illæ diei non poſſunt? Profecto ab interioribus magis movemur, quam exterioribus concurrente imaginatione quæ in ſe tenebras vere intelligit majoris faciendas, quam externas, quia morti viciniores. Læſa enim imaginationis virtus impreſſis ſibi fal-

ſis ideis magis inhæret, quam externis etiam veriſſimis,ut in Melancholico monſtravit *Galenus*, tubicines clamante in angulo, qui tamen nuſquam neque picti, neque ſcripti, neque canentes erant. Metus autem, ut dictum, à ſpirituum obſcuritate, quæ mortis perpetuam noctem videtur & æmulari & minitari, à Melancholicis odioſam, lætitia verſa vice à claritate defluit ſpirituum, & ſanguinis puritate rubidineque, ut in ſanguinea corporum conſtitutione docemur, ob lucis vitæque ſimilitudinem, & ſpem ab obſcuriori fato remotiorem. Quæ ideo à me pleniorem calamum poſtularunt, quod *Galenum* inter Medicos ſequantur plerique, nulli vero *Averrhoëm* fere reſponſione aggreſſi ſint. Spirituum porro ſplendorem adſtruit alibi *Galenus* clarioribus verbis, ut quum 1. Progn. c.28. non modo ſplendidum Spiritum, ſed viſorium inſuper ſplendorem appellare amat, & modo fulgidum corpus modo Spiritum lucidum dicit 7. *de decret. Hipp. & Plat.* c.4. & 7. ut & 4. *in 6. Epidem. comm. 28.* Quumque libro *Quod animi mores ſequantur temperamentum*, cap.5. admittat axioma illud *Heracliti*, ſplendor ſiccus mens prudentiſſima, ab effectu eundem lucidum indigitavit, non enim parum ad animæ operationes perfectiores confert, Spirituum ſplendor, ut fuſius explicat *Actuarius* lib. 1. de Spir. Animal. cap. 7. Vbi dubitat unde diverſas adeo operationes edat cerebrum magis quam partes aliæ, an, quum Animalis Spiritus ſit pellucidus & tenuis varie alteretur in quaſcunque cerebri partes incubuerit & polyporum more transformetur. An, quod veroſimilius quidem hoc

hoc loci judicat, Spiritus idem permanens ſecundum diverſas partium conſtitutiones immutatus, varios quoque apprehendendi modos edat, ſicut in feneſtra lucem admittente, & vitris varie coloratur pro ſuo ipſius colore, licet lux penetrans eadem ſit. Ab hoc autem ſpiritu in univerſum corpus ſenſus & motus influit; quod alii à facultate, à qualitate luci ſimili alii derivant. Facultas dudum refutata quæ animæ, ut accidens ſemper adhæret. Qualitatem illam eminentialem ex *Galeni* mente barbare vocant, ut lucem; cui ſimilis ſit in operandi influendique celeritate & defectu contrarii, quam agnoſcimus non diverſam à Spiritu Animali partes inferiores ad actiones vi luminis ſui diſponente. Unde & preſſo vocabulo diſcenſum iſtum ſeu influxum per irradiationem & illuſtrationem ſignant Medicorum filii. Vnus *Argenterius Galeno* ut plurimum contrarius hinc primo propulſandus quam diſcedam. Hic in *Arte Medica* ut Animalem Spiritum lucis eminentia privet, ea fingit ut credamus quæ credidiſſe nobis obverteret. Fingit, inquam, quod refutare voluit, ex opinione plebeculæ ventoſæ lucem ſpiritibus attributam, quæ ſuperſtitioſius magis quam vere credit Angelos Spiritus illos puriſſimos ſplendentes eſſe. Verumenimvero ſicut id ſine auctore ad conciliandas ſententiæ noſtræ ſannas finxit, ita quid abſurdi falſive involvat non video, niſi quod in vulgus receptum ſit. *Galenum* deinde inconſtantiæ inconſtantius arguit, quod Animales Spiritus modo in cerebro modo in oculis luminoſos eſſe dixerit. In quo nec inconſtantiam nec contradictionis ſpeciem obſervo,

quum utroque loco luminoſi ſpiritus eſſe poſſint & debeant. Quicquid enim de communi Animalis Spiritu dicitur, de ſingulis per partes poteſt explicari, ut Animalium Spirituum in cerebro lucem, viſorii, ab illis ſolo uſu & partis differentia diſtantes, fideliter exprimant.

CAP. XXIII.

De Animæ Humanæ Luce.

ANimarum lucem una Origo prodit; quam cœleſtem dum dicimus, lucere innato ſplendore confitemur. Quanquam vero in Originis modo contentionis funem ducant antiquorum ſapientiſſimi, in eo tamen conveniunt cœleſti illa & eminenti luce radiare. A cœlis ſemina Deorum decidiſſe in terras de Natura Deorum putavit *Tullius*, hominesque inde, maxime ſecundum id quo homines ſunt, extitiſſe. Quæ ſententia pro auctore primo habuit *Pythagoram*, mox faciles ſectatores *Stoicos* invenit, Animam avulſionem quandam Deorum & ætheris partem detractam exiſtimantes, quorum placitis preſſe, ut ſemper inſtitit Stoicorum Princeps *Seneca*, quum in Vitæ Beatæ Appendice elegantiſſimo dubius quaſi inquirit, An verum ſit illud, hominem Divini Spiritus eſſe partem, ac velut ſcintillas quaſdam aſtrorum in terras deſiliiſſe, atque alieno loco hæſiſſe; ita enim ad mentem authoris optime ſummus *Lipſius* emendavit, ubi antea, *Sacrorum* nullo ſenſu legebatur. Diverſæ tamen opinionum partes in diverſum iverunt, aliis Divinæ eſſentiæ partem, aliis aſtrorum, aliis denique ab utroque vel alterutro ut effectum eſſlu-

effluxiſſe ut lumen à luce contendentibus. Primum ex Stoicorum placitis eo confirmat argumento *Arrianus* in *Epictetum*, quandoquidem Dei ſunt μέρεα καὶ ἀποσπάσματα. Cui concordat *Claudiani* metrum de IV. Conſul. Honorii:

Diſce orbis, quod quiſque ſibi, cum conderet artus
Noſtros, æthereis miſcens terrena Prometheus,
Sinceram patri mentem furatus Olympo,
Continuit clauſtris indignantemque revinxit.

Pariterque *Manilii* l. 2.

Quis cælum poſſet, niſi cœli munera noſſet,
Et reperire Deum, niſi qui pars ipſe Deorum eſt.

Quem veterum errorem caſtigans *Mercurius Triſmegiſtus* negat animum ſeu mentem abſciſſam ab Eſſentia Dei, ſed ὥσπερ ἡπλωμένον καθάπερ τὸ τοῦ ἡλίου φῶς, quaſi diffuſam & extenſam ſicut ſolis ſplendor. A cœlorum corporibus lucidiſſimis deciduam partem plures voluerunt, ejuſdem etiam ſcholæ *Cicero* teſtis in ſomnio Scipionis: *Hominibus Animus datus eſt ex illis ſempiternis ignibus quæ ſidera & ſtellas vocatis. Seneca* Conſol. ad Helviam. c. 6. *Si primam mentis originem adſpexeris, non eſt ex terreno & gravi concreta corpore: ex illo cœleſti ſpiritu deſcendit.* Vnde originem ſuam ab aſtris cœloque deduxerunt Heroum animæ excelſæ, ut de *Catone Iuvenalis*:

—— tertius è cœlo cecidit Cato.

Et de Cæſare Amintas apud *Calphurnium* Ecl. 4.

Dii precor hunc juvenem, quem vos, niſi fallor, ab ipſo
Aethere miſiſtis, poſt longa reducite vitæ
Tempora. ——

Quo etiam lunatis ſuis calceis collinearunt Romani, qui à Luna ortus ſui dignitatem claritatemque

monſtrabant. In quam rem inquirit diligentius *Plutarchus* Quæſtione Romana 75. Quamvis ejus figuræ in calceis aliam reddat *Iſidorus*, & poſt eum *Budæus* rationem, ut Luna non ſideris ejus fuerit forma, ſed nota Centenarii numeri Patriciorum à Romulo creatorum. De qua Luna *Iuvenalis* de Quintilla Sat. 7.

Appoſitam nigræ Lunam ſubtexit alutæ.

Vbi forſan Luna pro ſigno quovis albo calceos nigriores diſtinguente accipienda, qui non raro plane albi erant, ex *Martiale:*

Sordidior cœno cum ſit toga, calceus autem
Candidior prima ſit tibi, Cinna, nive.

Tale enim ſignum quoque expreſſit *Calpurnius* in eleganti & ornato ceno Ecl. 6.

——nivea diſtinguit pectora Luna.

Arcades majori antiquitatis ſuæ cura vexati, quum à Luna omnium fere gentium originem viderent deferri, ut ſe omnibus antiquiores fingerent, Luna priores ſe ridicule dixerunt. Vnde & προσέληνοι καὶ προσεληναῖοι appellati. Cujus tamen delirii aliam originem aſſignat *Scholiaſtes Apollonii Rhodii* lib. ſect. 22. his verbis: βάρβαροι τὴν ἀρκαδίαν ᾤκησαν· οἵτινες ἐξεβλήθησαν ὑπὸ τῶν ἀρκάδων ἐπιθεμένων αὐτοῖς πρὸ τοῦ ἐπιτεῖλαι τὴν σελήνην. διὸ κατωνομάσθησαν προσέληνοι· τινὲς δὲ φασιν ἐνδυμίωνα εὑρηκέναι τὰς περιόδους καὶ τοὺς ἀριθμοὺς τῆς σελήνης, ὅθεν καὶ προσελήνους τοὺς ἀρκάδας κληθῆναι· ἄρξαι γὰρ ὁ ἐνδυμίων. Quæ cum *Plutarho* qui velit, diligentius conferat, aliiſque quorum *Demoſterus* ad l. 5. *Roſini* c. 36. catalogum texuit. Nec enim hic compilare placet aliorum ſcrinia. Alii animarum principium in Sole, tanquam Vniverſi animam collocarunt, unde

unde & pro Sole non raro animam poſuerunt & verſa ſignificationis vice pro hac illum. Quo fundamento Magnus *Plato* animæ æqualem temporis menſuram conſignavit, cœleſtia ſidera, temporum regulas, tecto ſenſu intelligens, quam amphibologiam *Pythagoræ* Præceptori attribuit in Quæſt. Platonica 7. *Plutarchus*, quem interrogatum quidnam eſſet tempus, univerſi eſſe animam reſpondiſſe inducit, parique labore pro Platone concludit animam hic pro numero ſeipſum motu ciente, vel ordine ipſo & temporis proportione qua Sol, Luna & æthereæ mentes curſus ſuos ordinate abſolvunt, uſurpatam: non obſtante, quod etiam ipſis ſideribus animas ſuas dederint *Platonici* & Ægyptiorum Myſtæ, ut ex *Ariſtotelis* putaticio de illorum ſapientia libro IX. c. VI. fuſo contextu diſcimus. Pro Anima Sol eodem notionis flexu à *Platone* 6. de Republ. adhibetur, ubi ἥλιον τοῦ ἀγαθοῦ ἔκγονον, Solem boni prolem non de Sole temporum menſore cœpit, ſed de eo qui animo noſtro & ratione comprehenditur, cujus imago alter ille major in ſenſum univerſi cadens, quem 7. de Rep. idem *Platonis Genius* αἴτιον ὄψεως cauſam cur videamus, communi cum anima noſtra officio, nuncupavit. Hanc animæ cum ſtellis cognationem ad mores hominum formandos accommodavit *Firmicus* lib. I. & virtutis communis conceſſionem: *Quare*, inquit, *quum ſimus cum ſtellis quadam cognatione conjuncti, non debemus eas ſacrilegis diſputationibus propriis privare poteſtatibus.* A qua naturarum cognatione omnem animæ noſtræ ſcientiam, quæ in divinando poſita, & expreſſam ætheris imaginem dependere putarunt,

quod

quod *Apollonio Tyanæo* objeciſſe *Indus Hiarchas* fer-
tur, ſe non mirari quod divinandi ſcientiam fuerit
aſſequutus, quum tantum ætheris in animo geſſe-
rit. Id quod mediis poteſtatibus per genium ope-
rantibus attribuit *Apulejus* de Deo Socratis. Hinc
Claud. l. 2. in Eutrop.

—— quoſcumque Prometheus
Excoluit, multumque innexuit æthera limo,
Hi longe ventura notant, dubiiſque parati
Caſibus occurrunt fabro meliore politi.

Ætherei autem iſti animarum ortus eo tendunt &
ducuntur, ut earundem Divinas & à terreſtrium
ſordibus intactas luces & æternos fulgores aſſe-
rant, quos in corpore ſuppreſſæ illæ obſcurato
quaſi lumine tandem ſplendidiori facie exſerant,
quum carceribus recluſæ origini ſuæ redduntur.
Vnde claram lucem explicaſſe in ſidereum cam-
pum relatas opinio veterum tulit, quæ vel in ſidera
propria redire animas vel in ſidera nova mutari
affini ἀποθεώσεως figmento divulgavit. Aſtris red-
didit ea facilitate, qua ademit, & ſideribus nati-
vum lumen aggeſſit. Imperatorum hæc poſt fa-
ta gloria, quorum animæ cœleſtes mortalium fa-
ctis illuſtratæ in ſidera conſidebant. Majeſtate
carminis ſui id expreſſit *Manilius* lib. 1. Aſtronom.

—— Fortes animæ dignataque nomina cœlo
Corporibus reſoluta ſuis, terræque remiſſa
Huc migrant ex orbe, ſuumque habitantia cœlum
Aethereos vivunt annos, mundoque fruuntur.

Vnde querela apud *Statium* Theb. 6.

—— latet intus, monte ſoluto
Obrutus, ac penitus fractum obductumq; cadaver

Indi-

Indignantem Animam propriis non reddidit aſtris.

Et ore mellifluo *Quintilianus* x. Declam. *Animam vero flammei vigoris impetum perennitatemque non ex noſtro igne ſumentem, ſed quo ſidera volant, & quo ſacri torquentur axes, inde venire, unde rerum omnium autorem parentemque Spiritum ducimus, nec interire, nec ſolvi, nec ullo mortalitatis affici fato: ſed quotiens humani pectoris carcerem effregerit, & exonerata membris mortalibus levi ſe igne luſtraverit, petere ſedes in aſtra.* In quæ evolaſſe animas Cæſaris Auguſti, Severi Imperatorum aquila vectore poſt rogum credulis apparuit, ut authores ſunt Xiphilinus, Herodianus, aliique Principis Hiſtoriæ conditores. In cujus ſuperſtitionis fidem tot nummos in dedicatione cuderunt Aquila notatos. In novum ſidus ob merita ſingularia transformatam animam *Iulii Cæſaris* Crinita ſtella quæ ipſo die aſcenſionis illuſtravit urbem videbatur indicaſſe, teſtibus *Suetonio, Lucano, Ovidioq;*, quum à Venere tranſportata prius in æthercam eſſet regionem. In quorum fidem ſufficiat *Iulius Obſequens*, qui Coſſ. M. Antonio, P. Dolabella Ludis Veneris genitricis pro Collegio ab Octavio inſtitutis, ſtellam hora undecima Crinitam ſub ſeptentrionis ſidere exortam omnium oculos convertiſſe narrat, & ſidus, quia ludis Veneris apparuit, D. Iulio inſigne capitis conſecratum. Alias in circulo lacteo lucis cœleſtis promptuario transferri animas, niſi fallor in ſomnio Scipionis probat *Tullius*. Tales defunctorum animas nomine fratrum Helenæ olim apparuiſſe in antennis tempeſtatum præſcias longa ſuperſtitione perſua-

perſuaſum, qui, ut ſunt, lucida ſidera à *Flacco* decantantur. Od. 3. lib. 1. inſtante calamitatum articulo invocati *Ovid.* in triſtibus Elegis:

Vos quoque Tindaridæ, quos hæc colit Inſula fratres,
Mite precor duplici numen adeſte rati.

Sed ex libidine ingeniorum hæc animarum & origo & inſertio dependet ab iis ficta qui veritatem latentem vel videre, niſi per nubem, non potuerunt, vel, ut umbra ſimili tegerent, de induſtria noluerunt. Quibus fœdum crimen adulationis acceſſit. Iudicium de illo animarum ortu ex *Minutio Felici* affert ſimul & approbat *Lactantius* de falſ. Religione: *Minutius Felix in eo libro, qui Octavius inſcribitur ſic argumentatus eſt; Saturnum, cum fugatus eſſet à filio, in Italiamque veniſſet, Cœli filium dictum, quod ſoleamus eos, quorum virtutem miremur, aut qui repentino advenerint, de cœlo cecidiſſe, dicere: terræ autem, quod ignotis parentibus natos, terræ filios nominemus.* Qui locus ex folio Sibyllæ in noſtrum ſenſum ſi flectatur gentes ſuis animabus nos argumento inde tracto excidemus. Nos tamen in ſalvo & portu navigamus, ſi quidem altioris & vicinioris noſtræ Originis extant argumenta, quæ animam divino ortu, nec fallaci luce, adornant. In recenſendis divinæ paginæ locis operæ parcā cuivis obviis, cui nempe veræ fidei ſcintilla vel minima pectus incaluit. Veræ æternæque lucis evidens ſignum in animabus defunctorum nobis ſtitit *Apocalypſis*, & de iiſdem divinum effatum *Danielis* cap. XII, 3. extat, quo animæ illorum inſtar ſtellarum firmamenti lucere poſt ſæculi conſummationem dicuntur, qui multos ad veritatis cœleſtis cognitionem produxerint.

xerint. Qua luce in monte Thabor eluxerunt *Moyſes* & *Elias*, in animæ ſplendore maximopere inſignes, qua apparuerunt. In Proverb. 20, 27. dicitur ſpiritus hominis ſeu anima, נִשְׁמַת *niſchmat*, & Adam lux Iehovæ vel lucerna: quia ex ſummæ lucis halitu. In qua animæ luce Imaginem Dei, quæ ipſa lux, conſtituit in Pſychologiæ novæ c. 4. *Parens* noſter æterna memoria recolendus. Qua luce poſt lapſum privati ἐσκοτισμένοι dicimus τῇ διανοίᾳ *Epheſ.* 4, 18. obſcurati mente. Nec inter profanos defuere, qui lucem animæ ſerio aſtruxerint. *Platonis* diffuſam & abſtruſam de eo ſententiam in Cauſis ſcrutabimur cui à Mente ſummum lumen infuſum occupatas à ſe corporis tenebras irradians diem omnibus vitalem inducit, & ad externum fertur. Gaudet enim, ut ex *Abenſina* 1. de de Cord. Med. c. 2. id mutuer, anima noſtra ex intuitu lucis externæ, triſtaturque ingruentibus tenebris, propter intimam cum luce familiaritatem, &, ſi barbaro eſſe liceret, identitatem. Hunc ſcopum feriunt & illi, quibus anima ignis nomine veniebat, non tam ex ordine elementari quam cœleſti, in quo, niſi lucem, nil admittimus. *Stoicis* iiſdem tribuit hanc mentem *Tullius* 3. Nat. Deor. *Omnia veſtri ad igneam naturam referre ſolent, Heraclitum, opinor, ſecuti: quem ipſum non omnes interpretantur uno modo. Vos autem* (Stoicos alloquitur) *ita dicitis, omnem vim eſſe Ignem, itaque & animantes quum calor defecerit, interire; & in omni natura rerum id vivere, id vigere, quod caleat.* Apertius in 1. Tuſculanarum Quæſt. *Zenoni Stoico* Animus Ignis videtur & inſtar ignis extinguitur. Quem

licet

licet de calido elemento explicet, à veterum tamen mente id alienum puto, quibus cœlum ob lucidam ſubſtantiam ignis appellatione veniebat. Adeoque hæc crevit de animæ igne apud mortales opinio, ut etiam ſagæ prædicent animam muſcæ ignitæ forma ex corpore ſopito evolare & ad remotiora loca delatam omnium rerum abſentium afferre cognitionem, ut in Lycanthropiæ c. 3. prodidit I. *de Nünault*. Sub hac interim ignis ſpecie animam venerabantur *Perſæ*, quem ipſi ſacrum & æternum vocantes argenteis altaribus præferebant, apud *Q. Curtium*. Ipſumque Solem ejus archetypum cum igne invocabant, *ut illis dignam vetere gloria, majorumque monumentis fortitudinem inſpiraret*. A cujus opinionis ſplendore alterum morem non ſine ſuperſtitionis ſenſu, derivarunt ut corpora rogo commiſſa flaminis conſumere eligerent, tanquam principio ſuo vicinioribus, & elemento cum anima communi. Qui ab Oriente ad Romanos derivatus mos utrumque pari ſuperſtitione afflavit. De Indis laudatus *Q. Curtius: Non ullus corporibus, quæ ſenectus ſolvit, honos redditur. Inquinari putant ignem, niſi qui ſpirantes recipit*. De mortuis aliis alii Antiquitatum ſcriptores. Dolebant autem hac opinione imbuti ſi ab igne animæ impedirentur & arcerentur, vel ſi naufragium properantem animam excuteret, igni ſuo contrarium, quo nomine aquas metuebat Æneas, non mortem apud *Virgilium* Æn. 1. ſed mortis genus, ut explicat *Servius*. Quo tendit Hippomedon apud *Statium*:

—— Fluvione (pudet) Mars inclyte merges
Hanc animam? ſegneſque lacus, ac ſtagna ſubibo?

Ceu

Ceu pecoris cuſtos ſubiti torrentis iniquis
Interceptus aquis? adeone occumbere ferro
Non merui? ——

Quamvis pro rerum principio unico Aquam traduxerit *Thales* & *Empedocles*, non tamen de puro aquæ elemento, ſed de ſemine humido, in quo & calor & anima ſtabulatur, intelligendos exiſtimo. quæ conjunxit in anima *Hippocrates* in 1. de ratione Victus: ἐσέρπει ἐς ἄνθρωπον ψυχὴ πυρὸς καὶ ὕδατος σύγκρησιν ἔχουσα. Sed lucem animarum quid operoſius ſcrutamur, quam difficilem animæ ipſius natura voluit, ne magis quam hæc illa luceret. Ipſe adhuc de ſe quærit animus, ut mirum non ſit ſi cætera lateant. Cavendum exemplo *Platonis* l.x. de Legg. judicabimus ne quaſi ex oppoſito ad Solem converſi & in meridie noctem agentes perinde de animo ejuſve luce reſpondeamus, ac ſi mortalibus oculis ſufficienter conſpiceretur. Tutius erit, ſi ad imaginem ejus reſpicientes, ex luce æternitatem, & ex hac divinæ majeſtatis in illa lucem, æſtimemus.

Cap. XXIV.

Contra lucem Humanam quædam aſſeruntur & ſolvuntur.

QVæ de Lucis humanæ veritate dici poterant, omnia expedivi, ad cujus ſplendorem ſi nebulæ quædam interjectæ examinentur, diſparebunt tenebræ, illuſtrabitur lux & Homo noſter ſuo nitori reſtituetur. Pauca lumini noſtro offundam ſimul & diſſipabo. Divino lumini & perfectionis

ſummæ gradui non parum officere creaturarum ſplendorem putaret rigoroſior aliquis, quod incommunicabilis lux Deoque ſoli competens à creaturarum conditione inferiori hoc prærogativæ jure ſeparet Creatorem. Imo tantum divinæ luci decedere quantum noſtræ accedat cum metu religionis ſuſpicio ingerit. Sed animum violatæ majeſtatis ſollicitudine explico, & hominem lucentem timore. Lucem enim Creatori & Creato diverſa aſſignamus ratione, illi, ut auctori & primo Divinæ lucis ſubjecto, huic, ut luminoſo per participationem & nudum primi luminoſi influxum. Non alio pacto ac reliquæ divinæ proprietatis in nobis expreſſæ ideæ archetypum pro modulo conceſſo exprimunt. Nam divinum exemplar homo ad ejus imaginem effictus cujus ſignatas rationis luciſque notas gerit, in quo nihil non divini generis ſublimioriſque conditionis & intuemur & admiramur. Sublimior vero in Deo lux, quæ inacceſſa dicitur, ut umbram noſtra reſpicit, & qui inter cœcos luſci regnamus ad Divinum ſplendorem relati tenebras meras præferimus. Quanquam & ipſa lux ſummi Numinis majeſtati ſit inferior, quod ſupra lucem lux omnium ſplendorum conceptus immenſum ſuperat; in lucis tamen dignitate acquieſcit qui fruſtra à mortalium tenebris majora expectant. Vnde etſi homines in lucis hereditatem veniant, conditionis tamen excellentioris ſingulari eſſentia ab æterno Ente ſeparantur, quod cœlos alioquin lucidiſſimos pro ſcabello habet.

Vulgarem deinde objectiunculam excipio, qua admiſ-

admiſſo humanæ lucis ſplendore omnes ex æquo homines eorumque partes ſingulæ ſcintillas luminis efferre velut neceſſitate quadam adiguntur. Vnica reſponſione utrique ſatisfaciam difficultati. Non enim omnes ſine diſcrimine, ſingulorumque partes ſingulæ lumen inſitum oſtentare par eſt, quod diſperſum in toto & per totum rariori facie oberret, nec luceat niſi denſatum in ſpiſſiorem orbem coierit, pari pacto ac expanſum cœlorum telum à luce propria lucidiſſimum, ſenſum fugit ob perſpicuitatem à raritate explicatam, demumque in ſidera congeſtum denſata lucis diſperſæ ſubſtantia, ut primum & lucet & videtur. Eadem naturæ ſubtilitate diſperſa in corpore lux, illius comparatione exigua, dum ad omnia membra extenditur diaphani raritatem induit, non ſecus ac in Chymica ſublimatione ita ſubinde attenuantur vapores Spirituſque per ſe in denſo lucentes, ut ſenſum eouſque effugiant donec ad alembicum appellentes ejus frigiditate denſentur. Idem in luce noſtra uſu venit per totum diſperſa, ſi in certa aliqua parte vel copioſius influat vel ab aliquo externo ſoluta atomorum lucentium corpuſcula figantur quaſi, & compingantur, jam tandem in hoc ſcintillæ lucis emicant magis quam in illo, unumque corporis membrum præ alio, ſplendidiori facie elucet. Hinc ſi ad artus confluat lucidorũ conſtrictio, elucebunt exinde ſcintillæ, ſi vero ad caput aſcendat, ſplendore & hoc erit coruſcum, ſi denique ad interiora revocabitur, ex iiſdem flammam advertes.

Vrgebit me alius ex ſupradictis pro humana luce rationibus quibuſdam non ſoli homini, ſed

omnibus inſuper rebus aliqua pulchritudine & nobiliori actione eminentibus lucis inſitam qualitatem convenire. Cui quidem majori conatu vix me opponam, modo in aſſignanda ſingulorum luce debitum temperamentum attulerit, & per inferiores ignobiliorum gradus tandem in ſupremo lucis ſubcœleſtium loco apud hominem conſideat.

Inſtant tamen: data nativa luce Infantes origini clariori viciniores majori adultis ſplendore prælucebunt. At tantum abeſt infantes lucere, ut ſtatim prodeuntes clauſtris materni carceris, externa hac luce offendantur. Quæ inter alias ploratus cauſa eſſe poteſt. Sed duplici effugio me ſententiamque producam. Lucidiores in origine infantes non ſunt propter lucem tanto excrementorum humiditatumque apparatu impeditam, qui omnium in tenello corpore functionum exercitationi moram objicit, & obſtaculum, quo per ætatem ſolidiorem remoto, exſereretur operatio, niſi in majori corpore tam per diſperſionem deficeret lux, quam per remotionem impedimentorum profecerat. Quod ſi parum juvet, negabo offendi natos nuper puerulos à luce externa, quatenus lucis forma incurrit, ſed ob vehementiorem vim, & inſperatum ſplendoris morſum. Vehementius enim oculos tenellos feriens ſplendor ob actionem inſuetam ſenſum doloris infert, quod non ignoraſſe videtur *Alexander Aphrodiſæus* Sect. IV. Probl. LXII. dum ploratus cauſam ſignate expreſſit, quod lumine percutiantur potius quam illuminentur. Omne enim ſenſibile ſenſum impetuoſius feriens proprium dolorem excitat, ut contrarium non eſſen-

tia,

tia,ſed influendi modo,qui in media temperie fundatur. Neque lucem internam hic turbari ab externa largimur. Lux enim affini naturæ amica ſplendoreſque placidis amplexibus alterno officio complectuntur, à quibus tantum prodituri fœtus ad lucem videndam deſiderium naſcitur. Dolor autem & lachrymæ ab inſtrumentorum viſui deſtinatorum imbecillitate fere oriuntur, quæ antequam externæ luci aſſueſcant alterantur primo, mox ſucceſſiva temporis mutatione ad recipiendum affinem naturæ ſuæ ſplendorem conſtantius firmantur.

Tandem Æthiops mihi luminique noſtro obſcuriori facie opponi poteſt, qui dum exteriori cute nigredinem oſtendit, ex hypotheſi noſtra, interiori quoque principiorum lucidorum mixtura expers erit. Sed imbecilliores ſunt hujus tenebræ, quam ut lucem noſtram obfuſcare poſſint. Interioris luminis ſignum perpetuum ſunt exteriores colores, niſi ab externo violento immutentur. Solis vero è directo ſuppoſiti radiis ob affinitatem naturæ extracta ex cute faciei luce & colore ſplendidiori, obſcura quidem externa ſpecies redditur & nigra, ſed ſine interioris luminis detrimento, quod quo minus evocanti Soli cedat, arctiori cutis externæ per Phœbum duritie debet, à qua impeditur. Vt ita contracta cute in ſe retracta lux ut calor augeri videatur. Hincque Æthiopum feminas æſtu libidinis magis accenſas audivimus, & robuſtioribus luminum caloriſque facibus inſtructas, facilius externo tam lumini quam calori reſiſtere, evidenti exemplo illorum Æthiopum qui ſine ulla noxa ignem accenſoſque carbones ore & manu pro

lubitu tractant. Romanorum Medicorum Doctiſſimus Petrus Servius in Diſſ. de Vnguento Armario, videtur oſtendiſſe. Vnde & febrili inflammatione utplurimum tentantur, & oculorum frequentius vexantur doloribus, ob luminis inſiti utrobique vehementiam, à qua ſiccitas ibi, hic ardor bilis ſuſcitatur. Subolfecit id *Alexander*, quando Problemate LXXIX. in febribus Æthiopum mortem ex nimia ſiccitate & humidi abſumpti defectu concludebat, oculorum autem languores ex bilioſo ſanguinis ardore lumina gravante propius deducebat. Ab innatæ lucis copia nigrore diutino concreta corpore & cuſtodiente Titanis face, prodire hæc quum poſſint, etiam in Æthiopibus ſine externæ lucis pompa, internam lucem admiſeris, ut ſilentio involvam externum nigrorem ſplendentemque faciem pro pulcherrima apud Æthiopes haberi; quæ obſcuriori colore vicinior eſt. Aliorum obſcuras nugas libens præſtolabor, qui allata, ex ingenio & finxi & diſcuſſi. Doctas & erectas mentes, quibus dictorum debeo rationem, rogabo luci communi faveant, donec tenebras offundant, quas cœleſti lumine illuſtratus; & genii non umbratici ſplendore vel diſcutiam vel plane, quod confido, diſſipem. Lux interim æterna tenebras noſtras illuſtret; ut clarius videamus quæ in luce aperta infinitum Lumen expoſuit.

Finis Libri Primi, de Hominum Luce.

THOMÆ BARTHOLINI

Caſparis Filii

LIBER SECVNDVS
DE
LVCE BRVTORVM.

Capvt I.

Brutis Animantibus Lucem ineſſe.

AD inferiorum lucem tanquam per gradus delapſus ſtylum breviori verborum filo ſtringam, partim quod minor ſit de his quam Hominibus dubitatio, partim quod eum alii interrumpere tentaverint, quibus ob rerum uſum & genii faventioris ductum felicius fluit. Similem enim ingenii & diligentiæ contextum olim, poſt *Geſnerum*, cujus paucæ de illo pagellæ extant, Literato Orbi promiſerat Naturalium Rerum indagator feliciſſimus, *Vlyſſes Aldrovandus*, ut ex lib. IV. de Inſectis cap. VIII. & Catalogo l. 2. Ornithol. præfixo non ſine inſigni lætitiæ ſenſu intellexi, habuiſſe nempe quæ de *Noctelucentibus* ſingulari opere ad Camillum Paleottum complecteretur. Verum quum ea de re diligentius apud Summum Orbis noſtri Virum *Fortunium Licetum* Bononienſis Archigymnaſii Philoſophum Eminentem, pro eo, quo in me affectu inclinat, præſens inquirerem, nihil tale in ſcriniis *Aldrovandinis* reperiri fidem fecit, cui Typographi acceſſit

teſtimonium Aldrovandinorum operum helluonis, in quem forte Venetiis incidebam, tandemque apud *Bartholomæum Ambroſinum*, cujus curæ poſthuma omnia Aldrovandi concredita ſunt, ipſe Bononiæ eadem inquirens nihil horumупereſſe reapſe expertus ſum. Idem Lucentium rerum argumentum ab experientiſſimo calamo *Thomæ Finckii*, Avi noſtri æterna veneratione colendi, ſeculi hujus & ſuperioris, ſummi in Republica Mathematum Medicorumq; Dictatoris, diductum ſperaſſent curioſa ingenia, niſi invida Vulcani lux plus ſibi quam nobis annis ſuperioribus conſuluiſſet, & origini lucenti reddidiſſet quod proprio ſplendore mortaliũ tenebras videbatur ſpernere. Tantorum autem Virorum luce quum lucentes res deſtituantur, ſubrepta ibi quidem à tenebris fatorum, hic verò à cœlorum lumine, quid à mea umbra ſperari poſſit Lector, inſtituta comparatione divinabit. Vnde tardius ad has partes deveni, ut torpenti calamo tantorum Heroum promptitudini de induſtria cederem. Quæ de Hominis luce in genere dici poterant adumbravi, ut potui. Brutorum hiſtoriam parcius aggreſſurus operæ parcam & labori in demonſtranda luce interiori quæ lucidiſſimis ſignis omnium ſenſus ferit. Genii enim iniquioris indicium eſt ſenſu manifeſta vel negare vel negata probare. Lucere brutorum corpora vident, qui vel tantillum vident, & niſi videre ſufficiat ad demonſtrationem, objectum viſus præter lucem coloremque aliud nos doceant male creduli. Amicitiæ aſſentior in re clara, cujus præceptum apud *Cyrum Theodorum* Poëmatis v. 215.

Vt

Vt evidenter noſtris aſſentiaris

Etiam extrinſecis rationibus fides facienda, quas cum oculari ſenſu in pari pono diſcrimine. Pro demonſtratione clariori ſuccenturiatas Authorum voces ſubſtituam utramque paginam facturas, quorum, ſi experti ſenioreſque fuerint, opinionibus tantum fidei adhibendum pronunciat *Ariſtoteles* VI. Eth. Moral. quantum demonſtrationibus Mathematicorum, imo Deorum filiis credendum, judice *Timæo*, quantumvis abſque probabilibus neceſſariiſve rationibus loquantur. Nam apud bonos judices ſatis habent firmitatis vel teſtimonia ſine argumentis, vel argumenta ſine teſtimoniis, teſte *Lactantio* de Vera Sapientia, præſertim ubi ſententiæ non tam ponderantur quam numerantur. Pleraque quæ pro homine diximus ad bruta poſſunt extendi, quippe quæ perfectiora inanimis, lucem eadem aviditate expetant & reapſe fulgere ſunt viſa. Singulorum partes ex ſequentibus expendat, qui volet. In genere de cerebro recentium mactatorum pecudum tenuius diſſectione monuit Illuſtris Eques *Ioannes Veſlingius*, Anatomicorum jam ſplendor, nitorem aliquem luminis evidenter oculis uſurpari. Cui experientiæ favet cerebri candicans color lucis mixtura celebris & promptum ſubjectum. Vſus lucis animantium brutorum licet ad diviniores Actiones non ordinetur, nullus tamen non eſt, ſed ſui generis, ut lib. 3. cap. de Fine patebit. In brutorum animantium ordine præcedunt terreſtria majora, mox volatilia, tum repentia; & demum agmen claudunt maris incolæ, quo-

rum lucem ea ſerie in apertum explicabo qua occurrunt.

CAP. II.

De Leonis Luce.

QVemadmodum princeps Leo in cætera animantia à Iove, non ſolum in Republica Æſopi, ſed alias, imperium obtinuit, ita eminentiori præ cætera lucis fulgore ſplendere debuit, quem à cognato ſibi ſidere facile impetravit. Lucis quantitatem indicant actiones igneæ plane, & ut lux, promptiſſimæ, omnia quaſi fulmine perſtringentes. De diffuſa per totum corpus luce, lucidiſſimo igne ſtipata, explicandum cenſeo *Aelianum* lib. XII. de Animal. c. VIII. *Animal illud valde eſt igneum, & ea eſt cauſa cur illud Aegyptii Vulcano conſecrarunt, exteriorem autem ignem timet aut fugit, ut ajunt, propter magnam copiam interioris: porro cum valde ſit igneum Solis domum eſſe dicunt.* Quæ de luce interiori accipio, quia terret ignis, non quatenus ignis, ſed ob flammæ lucentis claritatem quæ in cognatam lucem Leoni inſitam agit, & quia Solis domus dicitur non tam ignem quam lucem cœleſtem exprimet. Quæret curioſior quare viſa flamma expaveſcat? quum ſimilia delectent. Ab acriori flammæ lucentis ſplendore deducerem, qui ſenſum proprium quum vehementius feriat mordicantis ſpecie lædit. Similem timoris cauſam inſinuat ex *Aphrodiſæo Geſnerus*, quod ob oculorum aciem acutiuſculam quia nec Solem acriorem nec igneum de die fulgorem intueri poſſit, utrumque & fugiat & horreat. Læſionis hæc cauſa & do-

& doloris, non timoris aut horrendi rugitus ſtrepituſque ſtatim viſo vel olfacto igne excitati. Si aliquid divinanti ingenio largiendum præter igneum fulgorem aliud erit quod Leonem per ſe cordatum & contra quoſvis hoſtes & corpore, & animo infractum, movebit. Nempe inanis & ficta ſui ipſius ſpecies quam in flamma ſibi fingit ob ſimilitudinem & motum tremuli ignis, ex quo animalis grandioris flammeus vultus facile emergit, ut ex intuitu ejus quaſvis ſubinde ſpecies animalium rerumve ipſi imaginamur. Si hoc non ſit, certe ab imaginatione omnis hic metus dependebit, qua quiſque cognata ſua principia timet ne in illa reſolvatur. Ita pituitoſi aquam fugiunt, Melancholicos tenebræ terrent & nigræ terræ imago, bilioſi ignem ex quo conſtant, ſanguinei denique mites effuſionem ſanguinis ægrius ferunt. Ita *Sapientiæ* c. 17. à populo fictos ignes facierum ex imaginationis vi ſcribit *Salomon*: *Apparebat illis ſubitaneus ignis timore plenus, & timore perculſi illius quæ non videbatur faciei, æſtimabant, deteriora eſſe quæ videbantur.* Interior hæc animoſi animalis haud dubia lux, ex oſſibus ſe prodit, quæ concuſſa ignem ſuſcitant laxiori compage reconditum, medulloſa enim eſſe & cava cum *Columbo*, *Ingraſſia*, & *Aurelio Severino* in Zootomia credimus. Externa quoque facie in Leone ſe exſerit, maxime in oculis igneis, quos in obſcuro etiam lucere præter experientiam, teſtatur *Ariſtoteles*. Et *Seneca* in Thyeſte: *Leo flammiferis æſtibus ardens.* Elucet & hic ſplendor in Iubis ſplendidis, quæ igneæ *Seneca* in Oeſæo:

Mille jactans fervidam cœlo jubam.

Martial.

Martial. l. 8. Epigramm. 55.

O quantum per colla decus, quem ſpargit honorem,
Aurea lunatæ cum ſtetit unda jubæ!

A quarum lumine jubar dictum videtur & quidam orbes ſiderei ſignati. *Varro* enim lib. VI. de Lingua Latina; *Iubar dicitur ſtella Lucifer, quæ in ſummo habet diffuſum lumen, ut Leo in capite jubam.* Quam vocis ſuæ notionem lib. V. roborat *Pacuvii* teſtimonio: *Ante Solis ortum eadem ſtella, ſeu Veſper, vocabatur Iubar, quod jubata. Pacuvius dicit, Paſtor exorto jubare noctis decurſo itinere.* Vnde tranſlato uſu ad caſſidem plumis, ut arbitror, inſignem *Claudianus* accommodat lib. I. in Ruf. & Gradivum:

——ſtat caſſis utrique
Sideris hirſuta jubis, loricaque curſu
Aeſtuat.——

Et *Silius* lib. I.

——deciſæ vertice criſtæ,
Direptumque decus nutantum in cæde jubarum.

Hanc fulgentem Leonis jubam ita delineat in animi Hieroglyphico *Horus Apollo* lib. 2. aliis, quanquam diſtinctionem admittat nullam *Codex meus* Antiquus Mſ. Κεφαλὴν γὰρ ἔχει μεγάλην τὸ ζῶον, καὶ τὰς μὲν κόρας πυρώδεις, τὸ δὲ πρόσωπον στρογγύλον, καὶ περὶ αὐτὸ τὰς ἀκτινοειδεῖς τρίχες, κατὰ μίμησιν ἡλίου. ὅθεν καὶ ὑπὸ τὸν θρόνον τοῦ Ὥρου λέοντας ὑποτιθέασι, δεικνῦντες τὸ πρὸς τὸν θεὸν τοῦ ζώου σύμβολον, ἥλιος δὲ ὁ ὧρος ἀπὸ τοῦ ὡρῶν κρατεῖν. quæ verſa ita ſonant: *Magnum habet caput hoc animal, & pupillas ignitas, faciem vero rotundam; & circumfuſos radiorum more pilos inſtar Solis, quare & Hori Solio Leones*

ſuppo-

ſupponunt, hujus animalis cum Deo illo ſimilitudinem indicantes. De iiſdem oculis *Alexander Aphrodiſæus* ante laudatus Sect. 4. Problem. 67. *Leones cum tales quodammodo ſint per Solem tranſire non poſſunt: ac igni interdiu viſo ſe ſubducunt ac fugiunt. Ipſorum autem pupillam licet intueri multo ſplendidiſſimam: humida vero oculorum habent fulgentiſſima.* Quanquam vero uterque ex æquo oculus ſplendeat, ſubinde tamen in altero coacervata luce clarius effulget. Ita retulit mihi de Leone Catulo *Ioh. Veſlingius*, in ejus ſiniſtro oculo pendulum vidiſſe corpus inſtar ſplendidioris margaritæ ſeſe protuliſſe, quod in rabiem acto animale veluti accenſum radiabat. Vtrumque in ſigno cœli ficto compungit *Seneca* in Herc. Furente:

Cœli reſulget parte non minima Leo;
Iraque totus fervet, & morſus parat.
Iam rapiet aliquod ſidus. ingenti minax
Stat ore, & ignes efflat, & rutila jubam
Cervice jactat. ——

Signaturam Pantheræ cum Luna exprimit *Plinius* l. 8. c. 57. *Sunt qui tradunt in armo iis ſimilem Lunæ eſſe maculam, creſcentem in orbes, & cavantem pari modo cornua.*

Cap. III.

De Luce Equorum.

Rarius Equi obſcurum corpus luce interſtinguunt, quanquam & innata ſuperbia & externo ſplendore variam tincturam lucis mentiantur. Interdum tamen veras lucentium faces accenſas oſtenderunt, ſi exemplis debitam fidem mutua-

mutuamur. Equos glaucis oculis nocturna viſus acie celebres deprędicat *Geſnerus* Comm. de Lunariis. Et omnibus equis familiares noctium viſus, ab inſita ſine dubio luce. De Tiberij equo referunt digni fide Viri, interque eos *Cælius Rhodiginus* L.5. c.5. Lect. Antiq. ore flammas evomuiſſe dum furens per ardores prælioruin agitaretur. Conſentit *Gillius* l.4. c.1. de equis: *Iam quanto ardore ſint equi in pugnando, Tiberii equus declarat, qui in pugna, ore flammas interdum emittere viſus eſt.* Conſpirat huc *Architrenius* quum ita fortiſſimum equum proſequeretur:

Ignes equus arduus efflat.

Et *Virgilius*:

Ardentes, & equos ad mollia ducere fræna.

Alibi l.7. Æn. de equis Latini Regis:

Semine ab ætherio ſpirantes naribus ignem.

Ex luce cœleſti plurima mixti erant equi illi ignei miraculo quodam in cœlo Hieroſolymitano viſi, apud *Ioſephum Gorionis* lib. 3. hiſt. c.3. Externum equi Calabrici ſplendorem *Scaliger* deſcribit Excertatione 174. *Equum ad Cataphracti uſum è Calabria candidum habuimus. Is in tenebris, ubi ſtrigili fricaretur, ſcintillas ejaculari videbatur.* De ſimili equo in nupero libello ſuo prodidit *Ezechiel à Caſtro*, qui etiamnunc Veronæ in ædibus *Archangeli Podavini* Pharmacopolæ ad inſigne *Archangeli* non minimo ſplendore lucet. Si enim per collum vel ſtrigilem, vel manum forti motione ducas, veræ inde ſcintillæ igneæ exſilire obſervantur. Quod extra novitatem illi cum aliis equis commune ex *Geſnero* de Lunariis, & ex libris Meteorologicis *Parentis noſtri*

ſtri laudatiſſimi c.6. eſt evidens. Externi luminis capaces eſſe equos in Dania noſtra adverterunt alii. Ferunt enim locum ibi eſſe, per quem ſi equi tranſeant, quaſi undique igniti conſpiciuntur. Quod à terra ipſa non exhalationibus ex ipſis equis provenire ſuſpicatur *Alb. Kyperus* Vir Clariſſimus l. 11. Inſt. Phyſ. c.4. Ego tamen crediderim eam eſſe equorum naturam, ut ab exhalationibus terrenis facile interni luminis ſplendor evocetur aut promoveatur.

Cap. IV.

De Luce Taurorum.

NEc ignavum illud animalis genus tenebris damnatum ſine ſplendore tot ſeculorum decurſu vixit. Torpet, certe & quidquid in ſe habet lucidioris ſubſtantiæ obſcurioris materiæ craſſæque mixtura mergit, niſi quando diſcuſſus tenebris in apertum prodit. Ex ore bovis ſub Coſſ. I. Graccho & M. Iuventio enatam lucem inter Prodigia reponit *Iulius Obſequens*, quum inquit: *Ad forum Eſii bovem flamma ex ipſius ore nata non læſit.* Sed prodigio caruit quod natura neceſſario finxit. Non læſit, quia lux terreſtris oleoſæque materiæ expers flammam facie non virtute æmulabatur. Alios tauros Aeetæ finxit antiquitas fabuloſa æreis pedibus nixos, ore ignem vomentes, quos *Apollonius Rhodius* in Argonautica expeditione Iaſonem domuiſſe fingit. Cui fabulæ ſenſus penitiores ſubdidit priſcorum ſapientia, ut affectus animi vehementiores & conatus ſupra modeſtiam elevatos, rationis imperio domandos ſignificarent.

Flam-

Flamma enim taurorum & æréi pedes calcitrantes ſuperbiam notarunt, Iaſon rationem. Bubula denique caro Mactata Monſpelii in carnario luxit, eadem facie qua agnina à nobis cap. 6. deſcribenda. Lucis cœleſtis ideam gerit Apis bos Ægyptius, ob quam Lunæ ſacra. *Porphyrius* de abſtinentia carn. author eſt, Ægyptios Lunæ Apin conſecraſſe Solis & Lunæ ſigna geſtantem: Solis quidem; nigrum pilum, & ſub lingua cantharum: Lunæ vero maculam albam, naſcentis Lunæ modo ſinuatam *Plinius* l. 8. c. 46. *Inſigne ei in dextro latere candicans macula, cornibus Lunæ creſcere incipientis, Nodus ſub lingua quem cantharum appellavit.* Aliam tamen cultus reddit rationem *Euſebius* l. 2. Præp. c. 1. *Sacros Tauros Apin ſcilicet atque Mnevin divinis coli honoribus tum propter agriculturam, tum quia frugum inventio ad Deos refertur.*

Cap. V.

De Luporum Luce.

IN Lupo præter ſplendidos oculos lucidum apparet nihil, quorum lumen etiam noctis tenebras illuſtrando vincit, non abſimile illi quod in Leonibus & Elephantibus emicat. Ad lumen hoc oculorum ſplendidiſſimum reſpexerunt *Pagani*, quando Apollini Lupum dedicabant, & ipſum Solem λύκȣ nomine nuncupabant, quod eſſet Lupus ut exponit *Cælius Rhodiginus* lib. XXIV. Lectionum Antiquarum cap. XVII. ὀξυδερκὺς ſeu viſus præacuti. Vnde & ſacri erant & inviolabiles apud Athenienſes, ut eos occidiſſe mortem ſimilem mereretur. Nec minoris apud Ægyptios precii obſer-

ob ſervatam horum ope Oſirim, ſeu Solis privignum ſeu Solem ipſum, ut clarius refert *Euſebius* l. 2. de Præp. Evang. c. 11. *Lupos quoniam canibus ſimillimi ſunt, & quoniam Iſide una cum Oro filio certamen adverſus Typhonem ſuſceptura Oſirim aſſerunt ab inferis filio & matri auxilium ferentem adveniſſe: eiſque in ſpecie lupi apparuiſſe.* Nonnulli autem dicunt lupis adverſum Ægyptum irruentes Æthiopes diſtractos fuiſſe, unde regionem Lupariam appellatam. Eundem apud eoſdem pro Deo haberi notat *Plutarchus* lib. de Iſide & Oſir. De quo neſcio an loquatur *Inſcriptio* Neapolitana in ædibus *Octav. Cæſaris,* Conſiliarii:

Ex juſſu I. O. M.
Heliopolitani Aurelio Theodoro Sacerdoti
Filio Curatori Tempuli Ceremelienſium
ad ampliantes donis
Torquem & velum ſac....
Lycophoridi de ſuo poſ.
Curante Acilio ſecundo Tro....

Quid enim ſit Lycophoris iſte mecum juxta ignorat *Iul. Cæſ. Capaccius* in Hiſt. Neapolitana, niſi nomen ſit gentis ſingulare, de quo, uti & de Inſcriptione Barbariem olente, ſcrupuloſius inquirere præter rem & neceſſitatem erit. Viſum acrem decantat *Philes* in propr. animantium his Iambis:

Ὁρᾷ δὲ μακρὰν ὁ ξυνδερκὴς ὢν φύσει,
Καὶ γλαὺξ ἀτεχνῶν ὑπό γε νύκτα καὶ σκότος.

Hoc eſt, ex verſione *Camerarii:*

Acie oculorum prævalens, luce fruitur,
Ceu noctua, atra noctis in caligine.

Ob eundem oculorum ſplendorem, non ſecus ac

Leones ad ignem viſum expaveſcunt, & lucis par-
ticipes lucem fugiunt. Splendor tamen ille ad ru-
boris & ignei obſcuritatem declinans occaſionem
dedit iiſdem antiquioribus ut Marti Deo pari eos
ſuperſtitione devoverent ejuſque tutelæ ob ſideris
ignei affinitatem committerent. Dicti inde Martia-
les lupi apud *Flaccum* in Odis. Quæ omnia clario-
ra erunt ex ipſa *Scholiaſtes Apollonii* lib. 2. Sect. 7.
expoſitione, quæ ita eſt: Τίμιον γὰρ τὸ Ζῶον. ὁ γὰρ ἀποκλεί-
νας λύκον ἀγείρει αὐτοῦ τὰ πρὸς τὴν ταφήν, καὶ ἴσως ἐπεὶ ἡ λη-
τὼ ἔγκυος οὖσα διὰ δώδεκα ἡμερῶν εἰς Δῆλον ἦλθε μεταβαλοῦ-
σα εἰς λύκον. διόπερ καὶ τινα ὡρισμένον χρόνον τοῦ ἐνιαυτοῦ τίκτου-
σι λύκαινα ἐν δώδεκα ἡμέραις. De Lupi viſus acumi-
ne & fortitudine referunt auctores, teſtaturque ex-
perientia, unde lucem inſignem illis facile aſſigna-
res, quod viſu ſolo viſi hominis vocem hebetet,
etiam illius, qui Lupum non vidit. Loquatur ea
de re *Plinius* lib. 8. c. 22. *In Italia creditur luporum
viſus eſſe noxius, vocemque homini, quem priores con-
templentur, adimere ad præſens.* Vnde pro Proverbio
vulgo ejus jactatur viſus apud *Suidam*: Λύκον εἶδες.
ἐπὶ τῶν αἰφνιδίων ἀχανῶν γινομένων. σὺ δ' οὐκ ἂν δύναιο πρὸς αὐτὸν
ἀντιβλέπειν. *Lupum vidiſti, De iis, qui ſubito muti fiunt.
Tu vero non poteris ipſum adverſis oculis intueri.* Cau-
ſam referunt *Docti* in exſiccatione ſpirituum ad vo-
cem neceſſariorum facta à radiis viſualibus ab ocu-
lo Lupi ad hominem tranſmiſſis. Sed fabulæ quam
veritati vicinior hiſtoria, tantum etiam abſens a-
pud me valet ut calamum quidem, non viſum, he-
betet.

CAP.

Cap. VI.

De Luce Agnorum.

COnjunguntur immediata copula quæ naturæ contraria proprietas ſeparavit. Ovis Lupuſque hic ſimul coëunt ſine noxa aut diſſidio, quæ ſine alterutrius laniena viventia vix committerem. Nempe quamvis naturæ occulto diſſidio diſſideant, in unius tamen innatæ lucis ſplendore convenire poſſunt. Splendore, dixi, non virtute. Quippe communis ſplendor diverſas vires includit, quia in diverſitate utriuſque Lucis naturæ, naturale illud odium forſan ſtabulatur. Enimvero quum ex elementorum mixtura aut proprietate occultum illud utriuſque diſſidium non dependeat, ſed altioris naturæ dicatur, in corporibus præter quintum lucis elementum reſtat nihil quod vel odii, vel amoris incertas ſcintillas ſpargat. Vnde ex diverſitate luminis diſſenſum, & ex hoc illam arguo, exemplis illuſtrandam. In antiquis priſcorum analibus lucentium ovium veſtigia rariora legi, noſtra ætas vero magis his luxuriavit. Apud *Obſequentem* inter Prodigia relatum vidi, Coſſ. C. *Valerio*, & M. *Herennio*, in Lucanis gregem vervecum quum paſceretur nocte in ſtabulo flamma circumdata, nullo damno ab ejus aduſtione affectum. Nec certe pati damnum potuit, quia ſplendor purus ex ſingulorum corporibus exhalans magis ſtabulum illuſtrabat luce, quam flamma urente depaſcebat. Caprarum lucem oſtentant oculi, quibus teſte *Aeliano*, & *Plinio* non minus noctu cernunt, quam die Vnde & caprino jecore ſi veſcantur nyctalopæ

viſui veſpertino reſtitui iidem aſſerunt. Cornibus ardentibus capra per urbem ducta ad expiationem apud *Iulium Obſequentem* C. Mario, Q. Lutatio, Coſſ. Non dubium apud me eſt extitiſſe plura ejus ſplendoris indicia, quanquam tecta incuria temporum & obſervantium. Singulari tamen Naturæ conſilio ævo noſtro aperuit fatum, quod hactenus involutum latuit, ut remoto involucro interioris luminis copiam apertius metiremur. Quam enim lucem in viventibus ovibus advertit nemo, mactata in macello non ſemel omnium oculis expoſuere. Quid ipſe in itinere Gallico obſervarim lectorem curioſum non celabo. Quippe raro ſeculorum ſpectaculo evenit, ut quum paucis ab hinc annis cum fratre chariſſimo *Caſp. Bartholino* Iuniore ad Montem Peſſulum concederem, omnis mactatorum caro in macello lucidiſſime ſplenderet, & totam viciniam clara lucerna illuſtraret. Cujus ut viſæ rei ſeries apertius explicetur, oſtendi hiſtoriam, ut tum amicorum quorundam in gratiam concinnaveram, bona fide enarrabo.

I. *Hiſtoria Carnis Lucentis in Monte Peſſulano,* Anno 1641. *viſa.*

LÆtiori jam facie renatus annus bono omine recurrebat, quum novo lumine inſtructus Phœbus orbem à frigore vix reſpirantem per conſuetos cœlorum gradus cum vigore ſimul & excitata luce reviſeret. Menſis erat Aprilis cum ſtatas temporum vices omnia repeterent, & torpore remiſſo, aperto redderentur. A tergo fumoſa villarum tecta videbantur, grata vice virentibus ſqualida

lida ædium commutata, ad odoratos campos exporrigebantur greges cum armentis, ex tenebris hyberni carceris eluctati renatum gaudium ex luce ſibi promittebant omnes, præter Aſinorum genus infelix ac Mulorum, quorum priorum pruriebat cutis ex futuri imagine, horum autem tintinnabula æternos labores ex conſueta lege metuebat. Nec armenta in publico orbis jubilæo frontem explicare potuere fati ſui certa, unde ſine mora ſeliguntur hyberni paſtus datura fœnus, quod quũ ſolvendo non eſſent ex creditorum voluntate & publica neceſſitate aciei jugulum ſuppoſuerunt. Ita fœnore corio proprio liberaliter ſoluto, in carnariũ reliqua caro vænum exponitur & ſine ulla novæ rei ſuſpicione ab emptoribus hinc illinc ære deportata lebeti communi voto adjudicatur. Arietem cœleſtem, ubi tum divertebat Titan, in miſerorum perniciem conſpiraſſe dixiſſes, vel certe aliquid ad miraculum influxu contuliſſe. Quid accidit? Mulier quædam quum emptam carnem propter alia negocia, adhuc calore congenito fumantem coquere diſtuliſſet, in tuguriolo ſuo ad ſequentis diei uſum ſuſpendit. Noctis advenerant umbræ quibus dies conceſſerat, quum mulier non ita pridem ſopita, (cubile enim, culina & procœton eadem contignatione claudebantur) neſcio quo inſomnio quiete excuſſa, & oculos graves huc illuc ægre circumducens, carnem ſuſpenſam media jam & intempeſta nocte in obſcuro angulo ita vidit lucentem, ut totam qua ſe diffundebat cellam illuſtriſſimo lumine repleret. Solem in tenebris mentiri videbatur illique ſuccenturiatas operas præſtare dum qui adverſa nobis

veſtigia premunt ad ſuperos eum remitterent. At-
tonita muliercula æternos ignes vel defuncti ma-
nes in bruto latitantes, milleque rerum ſpecies
dubio animo volvebat, ut *Pythagoræ* animarum mi-
grationem credidiſſet ſi per ſexus conditioniſque
infortunium tantum ſapuiſſet. Interim expenſas
dolens in re, ut putabat inutili factas, animo varie
angebatur. Modo defraudatum genium quereba-
tur, modo ad olus heſternum obliquos oculos
torquebat. Demum animus tremulæ, redibat,
ædiculas pauperrimas vel miraculo illuſtres vel
perpetua lucerna auctas indubie ſperans. Re ad
vicinos ſummo mane delata certam ſtupendi mi-
raculi fidem fecit. Hinc ad omnes perlata fama
deſiderio videndi cunctos pari ſolicitudine excitat.
Catervatim accurrunt emendi & ſpectandi gratia,
quos loci fœtor alioquin arcuiſſet, braccati ſimul
& togati; rem, ut dicta fuerat, vident pariter &
admirantur. Portiuncula autem lucens ad Illuſtriſ-
ſimum Principem *Henricum Borbonium Condæum*
Provinciarum iſtarum Chriſtianiſſimi Regis no-
mine Gubernatorum ſummum allata, illius con-
ſiderationem pariter & ſtuporem per aliquot ho-
ras meruit. Lux effulgens non ignea erat, ſed alba
ut ſtellarum, non æqualiter totum carnis pingue-
dinem irrigans, ſed hinc inde gemmarum lucen-
tium inſtar inæquali ſplendore diſperſa. Tempus
durationis cum putredine terminatum, cui lux
ſenſim extincta ceſſerat. Et notabant religioſi ocu-
latiores in lucis hujus declinatione formam ejus in
crucis ſanctæ acumen paulatim expiraſſe & deſiiſ-
ſe; quod ſicut pro comperto non habeo, ita quin
ex

ex lucis natura fieri poſſit nullus ambigo; ob radios enim ſcintillantes crucis forma imperfecta non male exprimitur, qualis & in ſtellis advertitur varios in corporum gyro cruces extremitatibus radiorum fingentibus. Extincta luce per putredinem accedentem tantus in carne ſucceſſit nigror quantus ante ſplendor, præter aliorum putreſcentium ſortem quæ in candorem ſolent facilius declinare. Hiſtoriæ hujus & Naturæ mirandum viderunt omnes de cauſa totidem dubias conjecturas ſparſerunt. Quid miraculo ſubſit in *Cauſis* excutiam operoſius. Res enim cui parem priorum ſeculorum ætas vel non habuit, vel non ſatis obſervavit, diligentioris ſtylum meretur & ingenium. Vnius tamen huic ſimillimæ meminit ſummus quondam Gymnaſii Patavini Anatomicus *Hieronymus Fabricius* ab *Aquapendente* in ſingulari Opere de *Oculo* viſus Organo, qui ipſe cap. IV. audiri meretur.

II. *Hiſtoria Carnis Lucentis Patavii 1592. obſervata.*

ANno 1592. quo tempore Chriſti Redivivi ſolemnia celebramus, tres Romani Iuvenes ſtudioſi & Nobiles agnum emerunt, ejuſque partem ipſo Paſchæ die comederunt; quod ſupererat, appenſum (ut fit) quodam loco ſervarunt: atque eo noctu quum veniſſent, candelarum ſpecie complures illius agni partes collucere viderunt. Itaque agnum ad me miſerunt: quem quum in loco obſcuro contueremur, carnem & adipem tantum, argenteo quodam ſplendore nitere animadvertimus:

mus: ſimulque obſervavimus particulam hœdinæ carnis, quæ illam agninam contigerat, itidem ſplendore perfundi. Quod ſi etiam aliquis eaſdem carnes digitis contrectaret, agninas inquam aut hœdinas, ſtatim digitis ejus ſplendor adhæreſcebat; nec digitis modo, ſed & faciei, & cujus denique corpori quod contrectaretur, & oblineretur. Neque id ego unus, aut domus mea, verum etiam plerique viri Patavini conſpexerunt.

De meæ Hiſtoriæ veritate teſtetur quoque Vrbs tota *Monſpeſſulana*, quam tum viſæ rei novitas turbavit, teſtentur animæ doctæ quæ in eam ſcrutabantur curioſius, interque eas Doctiſſimus Poëta & Medicus *Paulus Collinus de Troye* Campanus, amicus magnus qui in Triduanis, ut vocant, de hac Carnis luce Problema publice ex ingenio ventilabat. Similem quoque carnis ſplendorem annis retro viginti ibidem à ſe viſum bona fide mihi retulerunt Excellentiſſimi Viri, *Simeon Courtandus* facultatis medicorum Decanus, & *Petrus Sanchius* Regius ibidem Profeſſor non uno nomine mihi memorandus, ſed nullius tum nec obſervationem nec inquiſitionem diligentiorem impetraſſe. Quanquam autem eodem inſtantis veris tempore eadem luce effulſerint aliarum hoſtiarum corpora, agninæ tamen præcipue ſplendor eluxit, quod copioſius ibi ad menſas deſtinetur. An autem in omnibus quæ eodem præter propter tempore cultrum ſubierant eadem fuerit conditio & lucida facies, non æque conſtat. In pluribus certe apparuiſſe hunc Naturæ luſum teſtabantur quæſiti à me laniarii. At nullus, niſi facto à muliere indicio,

cio, quidquam tale animadverterat. Obſervantium ea culpa, non naturæ in reliquis defectus, illis enim inviſum, quia citius juſto ad ollam avida gula delegaverat, neque ob majus diei lumen illuſtriori loco ſulgere potuit imbecillius. Sed alia huc attinentia *ſequenti libro* opportunius expediam.

Cap. VII.

De Canis Luce & Vulpis.

SPlendorem tecte inſinuavit inter Græcos Inſignis Poëta *Theocritus*, quum canis alicujus meminit, cui à luce & facibus ſplendidum λαμπύρου nomen erat inditum. Ita enim *Idyll. 8*. eundem compellat:

Ὦ Λάμπουρε κύων, οὕτω βαθὺς ὕπνος ἔχει σύ.

O Lampure canis, tam profundus ſomnus habet te.

Ad quem locum *Scholiaſtes* vetus canem ſplendentem dici exiſtimavit vel ἀπὸ τοῦ λαμπρὰν ἔχειν τὴν οὐρὰν, ἢ πυῤῥὰν, quod vel ſplendentem habeat caudam, vel ruffam igneamve. Nam λάμπουρος adjective dicitur, qui lucentem caudam habet & cujus cauda fulget: vel deducit canem λάμπουρον, παρὰ τὸ λαμπουρεῖς ἴσως εἶναι, ἐπειδὴ κύνες εἰσὶν ἀλώπηξιν ὅμοιοι, *quod vulpium generis affinis ſit*. In eo tamen convenit conjectura, quod λάμπουρος dicatur à vero caudæ fulgore, quem vel pilo ſplendidiori vel lumine vero jactabat. Putarim tamen à mente *Poëtæ* hæc eſſe alieniſſima, ut ex connexione & inſimulandi modo facile elucet. Canem enim ſegnitie inertiæque incuſat & inſoliti ſomni, qui natura ſua ſit vigilantiſſimus. Vnde *Lampuron* dictum à naturali cuſtodia & vigilanti

cura qua per ſe eminet, omnino credendum, quam luci veriſſime aſſimilat, ſeu orbis, ſeu oculorum. Iuvat tamen Scholiaſten vulgare *Lexicon*, quod λαμπουρὰν, Vulpis genus albicante cauda exponit. Sed quibus latebit à *Scholiaſtis* fonte hunc in Lexico rivulum derivatum ejuſdem naturæ & ſaporis. Video tamen & apud *Scholiaſten* meæ conjecturæ veſtigium, dum addit: ἢ ὁ τῷ ἐπιθεμελῶς φυλάσσων. ἀπὸ τοῦ λάμπειν καὶ τοῦ ὠρεῖν ὅ ἐστι φυλάσσειν, *quod diligentius cuſtodiat & circumſpiciat.* De pilis vero calidis incaleſcentium notat *Parens* noſter deſideratiſſimus lib. de Met. Ignitis cap. VI. ſi manu pertrectentur adverſa & crebra attritione demulceantur igneum ſplendorem reddere. In Vulpeculis ex genere canum lucis inſitæ veſtigia obſcuriora. Apud *Heſychium* & *Scholiaſten* laudatum λαμπουρὶς ſeu λάμπουρις vulpes dicitur, quod nominis non tam à ſingulari ſplendore caudæ, quam ob vigilias fortaſſe impetravit. Accedit nihilo minus ad igneum fulgorem cauda, quo prompte ſuccenſi à *Simſone* ignis flammam ſuſcepit & per ſegetem Philiſtinorum ſuccenſam divulgavit. Quam ob direptas aves quoque vulpis pœnam fingit in Cerealibus *Ovidius* lib. 5. Faſt.

Captivam ſtipula fœnoque involvit, & ignes
Admovet, urentes effugit illa manus.
Qua fugit, incendit veſtitos meſſibus agros
Damnoſis vires ignibus aura dabat.
Vtque luat pœnas; genus hoc cerealibus ardet,
Quoque modo ſegetes perdidit, illa perit.

Aliam autem in vulpeculis his imaginatur cauſam *R. David Kimchi*, quod caudam ſuccendere & flammam

mam patienter adeo toleraverint, eamque ab illolorum natura petitam, qua ſponte ſemper retro verſus refugiunt. Vnde rupti, inter Abrahamum & Philiſtæos olim initi, fœderis luiſſe pœnas perfidos, qui vulpium inſtar à pactis receſſerant ex *Talmudico* Opere idem *Kimchi* refert.

Cap. VIII.

De Luce Felis & Hyænæ.

DE lucentibus noctu felium oculis adeo obviæ etiam aniculis res, ut negare deſipientis foret. Non enim ſolum interno oculorum lumine clarent ſed idem ad res viſibiles emittit, ut de nocte melius quam die cernant. Obvium id in tenebris apparet acrius intuenti. Nam latum lumen in ipſo oculo, ſive cryſtallino humore ſive cornea tunica ſit, diffunditur nigra in medio macula inſignitum, quæ pupilla eſt ex obſervatione *Aquilonii*, unde colligit Iridem tantum eſſe, nec ab interiori orbita oculi prodire, ſed in eo cum ſit purioris aquæ uber proventus ſpiritus igneos continere quamplurimos poteſt, qui diffuſi lumine ſuo pupillam ſæpius dilatare cogunt. Interiori quoque lumine vere donatos Cattorum oculos ex ſingulari cum Luna conſenſu probabile evadit, qui authore *Marcello Virgilio* tantus eſt, ut Lunæ notas & imaginem quandam in oculis referant, qui ad quotidiana luminum Lunæ incrementa & decrementa augentur ſimul & minuuntur. Etiam ad Solis periodos variari pupillam felis Ægyptii maris obſervatum narrat *A. Gellius*, ut in Ortu longa fiat, rotunda meridie, obſcura Sole ad occaſum declinante.

nante. Lucis oculorum conditionem exprimere Phyſici voluerunt in lapide Aſtroite ſeu Pſeudopalo cui *oculi Catti* nomen impoſuerunt ob æmulum reſultantis ex ſpecierum congreſſu in diaphano lucis fulgorem, qui talis in gemma iſta viſitur qualis fere ab oculis felium emittitur. Onychis vel Achatis potius ſpeciem arbitrantur Sapientes Naturalium rerum ſcrutatores, quam Opali quod illis relinquo decidendum, imprimis *Boëthio*, *VVormio*, & *Clavio* in hac palæſtra exercitatis. Satis hic, lucis ſpeciem ex utroque Cattis ſimilem efferri. Id vero ſingularis lucis indicium & cœleſtis benignæque naturæ, quod oculus Catti linteolo incluſus ea parte qua linteum arctius ad formam ſui compreſſit ſi igni flammæve extremitas illa glabra apponatur propius, ab ignis flamma in perpetuum ſervet incolumem, ſine dubio ob affinem per cœleſti luce ſplendorem qui à flamma illæſus perſiſtit, & quæ vult conſervat. A calore vero quem ſub ſuo dominio lux non coërcet, pedetentim impoſitum linteolum abſumitur. Felium autem lux adeo eminens quare de die obſcuretur indicat *Alexander Aphrodiſæus* Probl.67.Sect.4. quod habeant tenuiſſimum videndi Spiritum & fulgentiſſimum, qui nocte quidem mediocriter craſſeſcit, viſibiliumque comprehenſioni inprimis accommodatus. Interdiu autem ac in ſplendido lumine admodum attenuatus diſtrahatur ac diſpergatur. Quod de Hyænis & veſpertilionibus una pronunciavit ob affinem illis inſitam lucem, qua non obſcurius quam feles tenebras vincunt. Et revera ſimili oculorum fulgore *Hyænam* ſeu *Civettam*, ex

felium

felium genere, ſplendere in diſſecta à ſe Hyæna obſervavit non ita pridem Romæ *Petrus Caſtellus* antequam Meſſanam ſecederet, ut ipſe editi de Civetta libelli cap. I V. teſtatur, nempe ſub oculis nigras maculas, ipſos vero oculos ſplendentes & ſubrubentes. Ex ambobus vero oculis mortuæ Hyænæ eruit gemmas piſi ſiccati forma, & magnitudine, à nobis apud eum Meſſanæ viſas, orbiculares & anguloſas cryſtallo ſimiles, de quibus loquutus *Plinius* lib. X X X V I I. Nat. Hiſt. cap. X. Quamquam apud *Fabrum Columna* non ſplendendentes Hyænæ oculos viderit, ſed nigriores ex colore caſtaneo & flaveſcente miſto. Id quod ſiniſtro aliquo accidenti aut cauſæ præter naturæ conſuetum modum agenti non repugnanter aſcriberem. Interiores faces ex hyænæ catuli viventis diſciſſo pericardio in Ægypto vidit πολύτροπος *Veſlingius*, Naturæ ſingularis artifex, ut Cor igneo quaſi fulgore aliquantiper micuerit, mirante, qui diſſectioni curioſæ pariter & accuratæ tum favebat Illuſtriſſimo *Aloyſio Cornelio* Venetorum in Alcairo Conſule. Præter oculorum ſcintillantes faces ex pilis etiam felium nigrarum præſertim in dorſo, flammæ prodeunt, quas conſpiciet quiſquis vel levi frictione belluam pilis in adverſum reductis tetigerit, inprimis ſi ad ignem incaluerint, tum enim ſolum ſplendentes faces emittere *Geſnero* creditum.

CAP. IX.

De Muribus Lucentibus.

REmotis felibus ex ſuis demum prodit antris murium genus tenebris æternis & nocti damnatum, quibus, ſi aliis, certe faces erant à provida Natura concedendæ,partim,ut victum quæſituri in umbra felicius progrederentur, partim ut inſidias juratorum hoſtium facilius effugerent. Sed dum cautos Natura voluit,pleriſq; non lucem dedit,ſed obſcurioris coloris miſtura cutem temperavit ut in ipſis tenebris tenebroſo corpore eluceant ſimul & ob tutelam obſcurentur, non tamen & hic defuit Natura fulgens perpetuas miſerias aliquo ſplendore ſolatura. *Geſnerus* refert ſe in Germania murem conſpexiſſe majorem albiſſimum menſe Aprili captum, qui rubicundis & prominentibus oculis, barba multis & oblongis pilis hirſuta refertus erat. Qualem & vidit *Scaliger* Exercitatione LIX. ſplendidiſſimo candore, oculis igneis. *Plinius* lib.8. cap. 37. Ponticos mures duntaxat albos prodidit & ſi alias candidi proveniant, lætum oſtentum facere idem aſſerit. cap. 57. Cujus forſan generis erat mus albus in Palatio *Caßioni Putei* Equitis Romæ nuper ex rubro genere natus, quia mixta in rubro lux facile nova generatione in albedinem vergit. *Servius Grammaticus* murium exigui generis meminit, quod à nitendo Nitedulam dictam affirmat, forſan à nitore pilorum & cutis in agreſti genere ſeu campeſtri ab *Aldrovando* relatum. De quo *Cicero* intelligendus pro Seſtio: *Quum id etiam fatum civitatis fuit, ut illa ex repreculis extracta nitedula*

dula Remp. conaretur arrodere. Hyeme quieſcunt ut glires, authore *Plinio* l. 8. c. 57. de gliribus diſſerente: *Conditi enim & hi cubant: rurſus æſtate juveneſcunt, ſimili & nitedulis quiete.* Sed temporanea hæc ſunt & gratuita. Perpetuus in muſculorum familia eſt cum Lunæ lumine conſenſus interioris lucis alicujus certior index. De quo *Scaligeri* verba noto ex Exercitatione 215. *Muris pupillam creſcere ad Lunæ rationem haud eſt ſine ratione. Nam ſi pariter cum ipſius Lunæ incrementis turgeſcit cerebrum atque augetur, etiam uberiores exilire Spiritus, eſt neceſſe.*

Cap. X.

De Serpentium Luce.

SPlendidos in Indiæ ſolitudinibus olim videbat Alexandri miles, narrante *Q. Curtio* l. 9. de geſtis Alex. c. 1. ad interiora Indiæ jam progreſſi: *Cæli temperies ſalubris: quippe & vim Solis umbræ levant, & aquæ largæ manant è fontibus. Cæterum hic quoque ſerpentium magnæ vis erant, ſquamis fulgorem auri reddentibus.* Non diſſimiles Triptolemi angues, de quibus *Claudianus* l. 1. de Raptu:

Angues Triptolemi ſtrident, & ſquamea curvis
Colla levant aſtricta jugis.

Quo loco melius *Mſ.* meæ *membranæ*, *flammea* pro *ſquammea* legunt, quod cum auratis Hiaci convenit, de quibus ſtatim eædem:

—— & auratos in nodum colligit angues.

non, ut in aliis, *ungues*, quos in nodum colligere difficile, quanquam aurati eſſe potuerint ex luxu ſeculi, ſicut in Mumiis Ægypti vidimus. Fulgor autem, ſquammarum ne fuerit proprius an à radio-

rum

rum ſolarium incurſu velut ex ſpeculo effigiem lucis exceptus, pro certo non affirmo, quorum tamen utrumque eadem dicitur veri fronte. Nativum inferius l. 3. teſtatur idem *Claudianus* in pelle ſerpentis mortui:

——immaniaque oſſa
Serpentum paßim cumulis exanguibus albent.
Et rigidæ multo ſuſpirant fulmine pelles.

Et *Auctor Hiſtoriæ Mexicanæ* c. 58. l. de Rept. depingendum curavit Colubrum ab Ignala Provincia miſſum, qui nocturnis ſplendet ſub tenebris, & lethalem infert morſum brachii craſſitie & quaternos cubitos longus. Adventitium auri nitorem in colubro expreſſit *Poëtarum Princeps* l. 5. Æneid. pleno ſolaris lumine relucentem:

Cæruleus, cui terga notæ, maculoſus & auro
Squammam incendebat fulgor, ceu nubilus arcus
Mille trahit varios adverſo Sole colores.

Nec ſquamæ Solæ candentibus ſerenis enituere, verum & oculi plenas faces oſtendunt apud eundem *Maronem* 2. Æneid.

Fit ſonitus ſpumante ſalo, jamque arva tenebant,
Ardenteſque oculi ſuffecti ſanguine & igni,
Sibila lambebant linguis vibrantibus ora.

Ita & l. 5. Æn.

——ardenſque oculis & Sibila colla
Arduus attollens.

Quo ſpectant & Aquatici illi colubri Poëmate tertio ab eodem laudati:

Exilit in ſiccum & flagrantia lumina torquens
Sævit agris, aſperque ſibi atque exterritus æſtu.

Indulſit quoque Natura lumen linguis ſerpentum in va-

in varias venenati nitoris velut flammas diviſis, ut innuere videtur Summus Poëtarum 3. *Georg.*

Cum poſitis novus exuviis nitiduſque juventa
Volvitur aut catulos tectis aut ova relinquens
Arduus ad Solem, & linguis micat ore triſulcis.

Aliud ſerpentium genus ſtellionum fertur, ſive à ſtellarum luce vel figura, ſive notis maculiſque ſtellarum æmulis, quibus ab auctoribus paſſim & in iconibus *Matthioli Aldrovandique* ornatur. Hinc enim deſcribit dicacem juvenem Cæleum in ſtellionem mutatum *Ovidius* in Met.

Convivit os illi maculas, aptumque colori
Nomen habet, variis ſtellatus corpore guttis.

Forſan maculatus dicebatur ſtellio & ſtellatus quia corporibus mortalium maculas induceret rubicundas & puſtulas ex *Plinio* lib.28. cap. 4. quo reſpexit *Tertullianus* de Iudæorum cibis: *qui ſtellionis carnem comedit, & maculas exſecratur, prædam de aliena morte quærit.* Sed aliud ſtellionis vocem indicare poſt *Verrium* apud *Feſtum* monet θαυμάσιος *Salmaſius* in Solinum; non enim appellari ſtellionem quia ſtellis refertus ſit, illas namque denegare *Plinium*, ſed quia virus venenato ore corporeque ſtillet. Pro Tarantula cœperat *Matthiolus*, alii pro Lacertis viridibus, quas in pulverem comminutas inter Diuretica præſtantiſſima expertum ſe narrat *Hercules Saxonia* de Hydrope. *Scaliger* vero Exercit. 185. Stellionem Salamandram eſſe ex notis omnibus judicat, cui favet *Plinius* lib. 9. cap. 67. Salamandram vocans animal lacerti figura, ſtellatum. Quod ſi ſit, ab ignis tolerantia internoque luminoſi principio ſtellionem dictum aſſererem,

quod ſtellarum elemento luceque firmatus ignis & flammam & calorem pro alimento potius ut cognato, ſi vera fama, quam contrario, uſurpet. Falſam autem eam narrationem ipſi in Salamandra Romæ vidimus. Lacertarum genera non pauca maculis ſtellarum æmulis inſignita in ſilvis ſerpunt, quæ utroque etymo & à ſtellis, ut Salamandra *Plinii*, & ſtillando appellarem. Stillare enim virus videntur ut alia inſecta, ſepes exuſtas, de quo *Lucanus* lib.9. Pharſ. cecinit:

Parva loquor corpus ſanie ſtillaſſe peruſtum.

Et antea:

—— nigra deſtillant inguina tabe.

Quamvis ſæpicule ſtelliones nec virus habeant nec ſtillent. In Sicilia certe innocui feruntur teſte *Plinio* lib. 30. c. 6. & alioquin iis utuntur Medici parum alteratis. Imo etiam non venenata ſtillare dicuntur. Stillatio navium apud *Plinium Valerianum* lib. 28. alioſque Medicos uſurpatur pro fluore ſanguinis ſeu hæmorrhagia. Palumbes apud *Martialem* lib.2. Epigr.37.

Murænæque latus, femurque pulli,
Stillantemque alica ſua palumbum.

Vellus quoque in *Calphurnii* Ecloga 6.

Saxa quibus viridis ſtillanti vellere muſcus
Dependet. ——

Vnde & laxiori notione tranſtulit ad inanima *Symmachus* lib.1. Epiſt. 39. *Nolo litteras de ſummo ore ſtillantes*, hoc eſt, ab ore labiiſque non animo profluentes, nec multum diverſo ſenſu *Calphurnius* Eclog. 6.

—— qui vix ſtillantes arida voces
Rumpis,

Rumpis, & expellis male ſingultantia verba.

Lacertos vero ex nigris flaviſque maculis ita cute varia diſtinctas in *Monte Cælio* prope Patavium & in Helvetia his oculis vidi, ut ſingulari induſtria ſi concurrant pictores, iſtam tamen naturæ elegantiam nunquam aſſequantur.

Iam viperarum ſecundum genus ſi excutias plura in illo colluſtrati corporis veſtigia inveneris non tam oculis quam toti carni diſperſa. Oculorum faces celebrat *Arnoldus* lib. de Venenis: *Vipera ſerpens minimus oculos habens valde luminoſos, quos igneos alii dixerunt.* In quo Abenſina ſequutus l.4. fen.3. c.21. ubi Aſpidis ſiccæ vehementis luminis dixit oculos. Nec abſimile de aſpidis oculis prodidit F. *Ponzettus* l. 3. de Ven. c. 11. carbonibus ignitis ſimilibus. Sed iſta eruditum *Marci Aurelii Severini* Chirurgorum ſæculi Principis & Medici clariſſimi exſpectant commentarium, quem de Viperis orbi docto contexuit. Nobis interim de carnis uberiori luce erit cura ab aliis hactenus intacta, quam ex uſu ejus, colore & deſiderio naturali deduximus. Vſus viperarum vel manifeſtus ad ſanitatem vel occultus ad omen. De manifeſto ejus uſu auctor eſt *Porphyrius* lib. 1. de Abſtinentia pag. m.36.37. *Fuerunt qui viperæ eſu utriuſque oculi deperditam lucem recuperarint.* Quin & Crateri Medici familiaris novo & inaudito morbi genere correptus, quo carnes ab oſſibus abſcedebant, cum nullo medicamine juvaretur, appoſiti piſcium vice viperæ carnibus, ut iis veſceretur, poſt uſum autem carne cum oſſibus coaleſcente, priſtinæ ſaluti reſtitutus eſt. Eandem carnis viperinæ virtu-

tem experiuntur decrepiti Principes omnes ad protrahendum vitæ exactæ filum, ſed ejus virtutis cauſam prodidit, quod ſciam, nullus. Ab inſita lucis miſtura dependere credo, ſi ingenioſo eſſe liceat, quæ viperæ hominique communis alterius defectum facili negotio invicem compenſat. Argumentum lucis contraria juvant obſcura. Talparum terra viperarum morſibus inter prima commendatur à *Vegetio* Mulomedico lib. 3. Veter. cap. 79. Quid autem vel terra obſcurius, vel talpa magis cœcum? Illa tamen curationis ratio quia ſimilibus ſubinde perficitur, recte Claudius Druſus apud *Suetonium* edicto admonuit nihil æque facere ad morſum viperæ, quam taxi arboris ſuccum. Nam Taxus, auctore *Dioſcoride* lib. 4. cap. 75. & l. 6. cap. 12. pro exitiali veneno non injuria jactatur, quod in lucis affinitate aliqua conjecturæ ſpecie *Libro primo* poſueram. Omen ex viperis ſumptum imminentis belli Civilis, obliquo ductu ad ſplendoris documentum pertrahit, de quo *Iulius Obſequens* in Prodigiis Coſſ. M. Antonii, P. Dolabellæ: *Padus inundavit, & intra ripam refluens; ingentem viperarum vim reliquit, inter Cæſarem & Antonium civilia bella exorta.* Enimvero armorum Civilium ſplendorem furenteſque belli faces commodo augurio igneum viperarum genus Pado Latioque domeſticum portenderat, quod alioquin ſanguine viperino, ut cum *Lyrico* loquar, vitamus. Inſitam iſtam lucem neſcio an evidenti argumento prodat macularum varietas ſingulariſque candor, ſplendoris archetypus, quo in terris patriæ frigidiori Sole calentibus hæc reptilium pro-

pago

pago ſumma Alexipharmaci ſuſpicione colluſtratur, quales & in Germania reperiri cornua earundem albiſſima cervorum inſtar in ramulos diffuſa teſtantur, quæ nuper apud *Monachum Saltsburgenſem* Patavii obſervavimus. Sane ignoro an fallar candorem ut luci, ita veneno propiorem. In Baſiliſci capite id experimur, quod candidum ſimul & noxium ita deteſtatur *Solinus* Polyh. c. 27. *Serpens eſt pæne ad Semipedem longitudinis, alba quaſi mitrula lineatus caput: nec hominis tantum vel aliorum animantium exitiis datus, ſed terræ quoque ipſius, quam polluit & exurit. Denique extinguit herbas, necat arbores, ipſas etiam corrumpit auras.* Ad has enim, præſertim colluſtratas naturæ impetu quoque feruntur, viperæ & renovato florentis anni nitore, Sole aſcendente, virus ſuum novo augmento colligunt vel ventilant. De Ambhisbæna, reptilium peſte, venenatis ictibus mortifera ſcribit *Iſidorus* lib. 12. Orig. oculos lucernarum inſtar lucidos habere, quibus abſtinuiſſe Iehovam in caſtigando populo *Auctor Sapientiæ* c. 11. fidem fecit, quanquam huic inſecti generi in tenebris oculos ſemper hærere dixerit *Gellius* & ante hunc *Nicander*.

Alios ſerpentes ex ore ignivomo totoque corpore venenatos halitus ejaculari & fumos exemplo Chelydri demonſtrat *Lucanus* lib. 9.

Natus, & ambiguæ coleret qui Syrtidos arva
Cherſydros, tractique via fumante Chelydri.

Nec non *Macer* de Herb. Virt.

—— *His ſeu terga ſpirant ſpumantia virus,*
Seu cum terra fumat. ——

Diverſis ab his in Libris Legum ſignavit *Moyſes* &

flatu ignito & morſu urentes, quos in pœnam murmuranti populo vel creatos, vel, quod vero ſimilius, ex deſerto advectos immiſit ſcelerum vindex. *Num.21,6.* quum de aqua & pane impetuoſius obſtreperent: *miſit Dominus in populum ſerpentes ignitos, qui mordebant populum.* Poſt paulo ad frugem redeunte populo: *Dixit Dominus ad Moſen: fac tibi ſerpentem igneum, & pone illum ſuper ſignum, ut omnis qui eſt morſus, intueatur eum & vivat.* Vbi urentes ſerpentes vetus *Interpres* Venetiis olim editus exponit, de iis qui morſum ardentem infigebant, atque ſimul toxicum, quod corpus excuſſit, immittebant. Serpens autem igneus ille erat, qui urentem ſerpentem ſimilitudine exprimebat ſimili flamma læſa membra ſanaturus, eratque æreus ſigno Crucis appenſus (ut omnibus eſſet ſpectabilis) ſi credimus *Interpreti Doctiſſimo*, quanquam *Num.21.v.9.* de ære taceat *Legiſlator* ſolum שָׂרָף exprimens quod ardens notat ſerpentem, unde forſan colligerem ex ære quidem conflatum ſed in flammæ ardentis ſpeciem. Hinc quia flagrantis erat ſignum flagrantes quoq; ſerpentes primos fuiſſe eſt neceſſe, ut *Lyranus* & *Rabbinorum* plerique verba ſcripturæ ut ſonant, retinentes pro confeſſo habeant veras & lethales ſcintillas igneas per aëra ex ſerpentibus miſſas ſummo formidinis tormento conſcias animas terruiſſe. Qua quoque ſententia videtur Legiferi *Deuter. 8,15. Ductor tuus fuit in ſolitudine magna, atque terribili, in qua erat ſerpens adurens, & ſcorpio, ac Dypſas & nulla omnino aqua.* Cui adverſa fronte repugnat *Auctor Libri, qui Sapientiam* præfert, cap.11,18. ubi iter populi exponens Dei miſericordiam eo nomine

mine præſertim laudibus extollit, quod nec nova animalia nec ignitos ſerpentes in tormentum miſerit: *Non enim impoßibilis erat omnipotens manus tua immittere illis multitudinem urſorum aut audaces Leones, aut novi generis ira plenas, aut ignotas beſtias, aut vaporem igneum ſpirantes, aut fumi odorem proferentes, aut horrendas ab oculis ſcintillas immittentes, quarum non ſolum læſura poterat illos exterminare, ſed & aſpectus per timorem occidere.* Qui quidem Auctor in majus pio Zelo opera Iehovæ extulit, quum *Salomon* non fuerit, ſed, teſte *Hieronymo, Philo Iudæus,* unde & librum hunc ignorant Hebræorum volumina,& interPſeudoepigraphos numerat idem *B. Hieronymus.* Sane שָׂרָף ubique ardentis flammæque figura. Vnde Seraphim, de quo *Eſaiæ* 6,6. *Et volavit ad me unus de Seraphim, & in manu ejus carbo ignitus, quem forcipe tulerat de altari.* Hunc inſuper Seraphim aliqua Divinitatis luce os illuſtre monſtraſſe dicit *R. Ionatan,* ſervumque ſedis gloriæ fuiſſe quæ in cœlo ſupra Altare ſit. Sed *Ioannes Buſtamantinus* apud Complutenſes doctor lib. 2. c. 2. de Rept. S. S. contrarium Moyſis Salomoniſque ſenſum ſoluturus, Salomonem de ſerpentibus ignem ab internis ſpirantibus aut ab oculis emittentibus egiſſe fatetur, non tamen obſtante quin aliqui ſerpentes ab effectu alio igniti accenderint aërem & inflammarint oris ſufflantis turbore. Nempe ignitos vocandos, quia potentius igne, veneno cauſticæ & Epyroticæ naturæ urere poſſint, & comburere tandem incendio & æſtu, ut febris *ignis* vocatur, & *Ignis ſacer,* Eryſipelas, quod effectus ignis edant. Tales forte eſ-

ſent ſepe & ſalpinga ſerpentes, de quibus *Iſidorus*
libro laudato, aliique, & omnino communis foret
is omnium venenatorum effectus. De morſu ta-
men ſolo extant Scripturæ loca *Sap.*16,5. ubi mor-
ſibus perverſorum colubrorum exterminati di-
cuntur, parique fato 1 *Cor.*10,9. à ſerpentibus pe-
riiſſe. Vnde & *Rabbi Salomon* interpretatur, com-
buſtos fuiſſe eo tempore homines veneno dentium
illorum, quo ſententiæ flexu capiendum quoque
videtur quod *Eſaiæ*, 14,29. dictum: *De radice co-
lubri egredietur regulus & fructus ejus ignitus, ſerpens
volans.* Ad quem locum notat R. *Ionatan*, ex ne-
pote proditurum unctum, cujus opera in vobis
(ſc. Philiſtæis) erunt ſicut ſerpentis volantis, hoc
eſt, exitialia, quod in Ezechia impletum 4 *Reg.*18.
Coluber autem ſerpens eſſe debet, ut in origine eſt
נָחָשׁ pro Regulo ſubſtituendus ex eadem Baſiliſ-
cus, quem *Hebræorum Magiſtri* צֶפַע nuncupant, שָׂרָף
autem recte *Oſiander* ignitum vertit, per Analo-
giam vero effectus Abſorbentem appellavit vul-
gatus Bibliorum *Interpres*, ſed quo jure R. *Leon
Mutinenſis* in Lexico Rabbinico שָׂרָף apud *Eſaiam*
per Tigridem expoſuerit, ipſe Doctiſſimus nos
moneat. Cæterum hæc, ut dixi ex eventu ignito,
interpretatio, omnes ex æquo ſerpentes in popu-
lum immiſſos monſtrat, nec ad certum genus re-
ſtringit, quod alii felicius aggreſſi ſunt. De Vipe-
ræ enim ſpecie, quæ διψὰς vocatur, accipit *Paulus
Eberus*, cui ab effectu nomen quod ſitim iis quos
ſauciat & veneno ſuo imbuit, excitare ſolcat inex-
plebilem, qua velut ardenti flamma altiora viſcera
uruntur. Verum parum ad rem præſentem hæc
conje-

conjectura, quum expreſſe Dypſas ab illo qui flatu aduſſit, *Deut.* 8. diſtinguatur, nec ſitis ulla populum, quamvis antea ex more lamentantem, vexabat, quam tantam Dypſas inferre ſolet, ut teſte *Galeno* lib. 11. ſimpl. med. c. 2. *Nicandro* in Theriacis prius onere potus diſrumpantur læſi, quam à ſiti liberentur. Nec nomen viperæ convenit, nec natura. Non illud, quod שָׂרָף nuſquam viperæ accommodatur, צֶפַע quidem *Eſ.* 30,6. illi jungitur, ſed male per viperam reddidit *Interpres*, quia Baſiliſci eſt natio. Nec hoc, quum unum oviparum ſit animal, viviparum alterum, parvaque ſimilitudine ad ſe accedant apud *Galenum*. Preſſius rem tangit fortunatiſſimus in myſteriis veterum indagandis *Fortunius Licetus*, qui lib. 3. de ſpont. Viv. ortu cap. 11. Dracunculos ex corporibus Hebræorum moroſorum pœna Divina exortos credit, eoſque adeo malignos divinat, ut eorundem membra crudeliter eroſerint, eroſa inflammarint, inflammata dolore vexarint, ab effectu denique morboſo ignei denominationem traxiſſe. Hoc morbi genus inter Orientales populos ſæpe graſſatum, ut tanto Viro firma conſtet auctoritas, ex *Plutarcho* docemur, qui de Agatarchidis mente ſic lib. 8. Sympoſ. 9. loquitur: *Maris rubri incolæ affectionibus novis & nunquam auditis tentati ſunt, nam Dracunculi quidam parvi crura & brachia edentes eruperunt, qui ſi tangebantur, ſtatim emergebant atque muſculis infixi minime tolerabiles inflammationes pariebant*; hoc morbi genus prius nemo vidit unquam, neque poſterius aliis, niſi his ſolis contigiſſe ut alia multa. Conſentit *Actuarius* lib. 4. Meth. Med.

cap.16. in regionibus ſupra Ægyptum potiſſimum provenire Dracontia. Sed *Galenus* lib.6. de Locis Aff. cap.3. ulterius ad Arabiæ loca refert, & *Aëtius* Tetrab. 4. Serm. 2. c. 85. in Æthiopia collocat ac India, à quibus hodie Luſitanis, qui Æquatorem peragrant innotuit hæc morbi peſtis, ubi frequentiori noxa homines afflari narravit mihi eorum locorum gnarus *Samuel Chebibi* Hebræus Venetus, Medicuſque ſcripto de Venæ ſectione clarus. In Inſula Ormutii accurate depingit *Ioh. Hugo Linſchoten* c.6. Itinerarii. Vnde & ab Æquatore reverſi Europæi ſubinde ingratas has merces ſecum vexerunt, quas in nauta Belgico vidit olim Experientiſſimus *Ioh. Rhodius* noſtras, ex India reduce, cui ſura manifeſte verminabant. Male autem ex levi inter utramque affectionem forſan diverſitate, quæ vel nulla ex *Plutarcho Moyſeque* apparet, vel admodum exilis, diverſum hunc maris rubri morbum ab illo qui Iſraëlitas invaſerat, contra *Licetum* induxit *Ezechiel Caſtrenſis*. In minima quippe re non raro ludunt tam Natura quam Morbus, qui eadem facie vix ullum aggreditur. Scrupulum tamen injiciunt, *Galenus*, *Aëtius*, reliquique ad teſtimonium antea citati, qui pueris fere tantum uſitatum hoc morbi genus probant, nec ullum moleſtiæ aut doloris ſenſum inferre niſi abrumpantur. Seniores autem erant Hebræi & tormenta experti ſunt vehementiſſima. Sed nihil nos hæc à ſuſcepta opinione dimovent. Quippe puerili utplurimum ætati familiares Dracunculos concedo, provectiori rariores, non tamen inviſos, ut experientia poſterorum perſuademur, præſertim quando Na-

do Naturæ defectum Deus vindex ſcelerum ſupplevit. Nec exilitas vermium obſtat, quæ indifferens, aliquando enim quoque majores fuerunt apud *Aëtium*, & lumbricis latis ventris aſſimilati *Galeno*, *Aëtio* & *Actuario*. Tormenta primo affectionis tempore parva ſunt, at ubi inveteraverint Dracunculi liveſcit locus & ſuppuratur, teſte *Aëtio*, ut credere non poſſim in nervoſa muſculorum parte dolores abfuiſſe, nervoſos enim appellat *Galenus*, & ex *Sorano Paulus Aegineta* affert, nil eſſe præter nervi alicujus concretionem. Vnde excitatur inflammatio ſenſibilis partis & dolor urgentiſſimus, maximo auctus momento, ſi Iehova pondus adjecerit. Vbi notanda Clariſſimi Viri *Lazari Meyſſoneri* conjectura qui venarum quoddam eſſe excrementum ſuſpicatur c. 8. Morb. Nov. ſiquidem Dracunculi ſint, quos à ſetis *Les Soyes* Narbonenſes appellant. Ea quoque fere *Paræi* fuit opinio lib. 7. c. 21. à fervore ſanguinis deducentis. Tandem igniti vocabulum multis ex effectu attribui notius eſt quam ut demonſtrem, eo enim ad clypeum fortium utitur *Habacuc*. c. 2. idemque ſermoni Dei & eloquio applicat alibi Spiritus Dei *Proverb*. 30. & *Pſalm*. 118, 140.

Infeſtorum animalium agmen claudant ex *Lucano*:

Aurato nitidi fulgore Dracones.

Qui apud *Nicandrum*:

Magna ſub egregia ſcintillant lumina fronte.

Nec Crocodilus noxa & lumine non obſcurus, cujus oculos Orienti Soli comparabant Ægyptii, quia ut habet *Horus Apollo* in Hieroglyphicis:

πανὶ τὸς

παντὸς σώματος ζώου οἱ ὀφθαλμοί ἐκ τοῦ βυθοῦ ἀναφαίνονται: *Inter omnia animalia oculos habet ex profundis relucentes*, ſive de profunditate vaſti capitis loquatur, ſive locorum altorum, ejus certe lucem graphice depinxit nec minus eleganter *Philes* in Iambicis, cujus ſolam *Camerarii Berſmanniive* verſionem proferam:

Ad littus ergo prodiens è flumine,
Projectus iſtic Solis aſpicit jubar,
Hianſque contra pandit ignes luminis.

CAP. XI.

De Inſectis Repentibus cum Luce.

INſectorum Lucentium quatuor genera inſignia obſervamus. Alata duo, totidemque ſine alis repentia humi. Omnia *Noctilucarum* nomenclatura ſignantur, quod lumen maxime de nocte exſerant inſtar Lunæ, cujus hæc appellatio propria apud *Flaccum*:

Rite creſcentem face Noctilucam.

Et *Varronem* l. IV. de Lingua Latina. Aliter Cicindelæ & Lampyrides ab eadem lucentis ſpecie appellantur. Cicindelæ quidem, quod candelarum vicem præſtent itinerantibus, non ut *Calepinus*, quod lucerna ſit penſilis, quo reſpexit *Gloſſarium* Græco-Latinum, quum κανδήλαν Cicindelam expoſuit. Cicindulam *Iſidorus* l. 12. c. 8. appellat, ſcarabeorum genus, eo quod gradiens vel volans luceat. Lampyrides vero quod inſtar ignis λάμπουσι ſeu fulgeant, & quia ex cauda illud luminis, quod habeat, plerumque oſtendant, non Lampyrides ſed λαμπουρίδες alii vocare maluerunt ab οὐρὰ cauda, & eadem vocis notione à πυγὴ πυγολαμπίδες *Ariſtoteles*

teles ſignavit. Genus autem lucens, quod ab humo ſe non erigit, hujus ſectionis paginam occupet, Duplici magnitudine apparens, minori vel majori. Alterum in ſola cauda lucem, alterum vero tam capite quam cauda ſplendorem promit. Hoc in Inſula Hiſpaniola in India familiare deſcribit *Oviedus* lib. x v. hiſt. Indicæ cap. 2. in hunc modum: *Apud Indos in Inſula Hiſpaniola multiplices inveniuntur vermium ſpecies, nonnulli ad humani digiti magnitudinem: in quorum junctura brachiorum lux plurima emicat; at caput ipſum non minore fulgore coruſcat, quam ardens carbo.* Cui non abſimilis eſt alter apud Mexicanos, niſi idem ſit fulvus, teres, tenuis & parvus, quem in tenebris mirum in modum lucentem narrat *Hiſtoria Mexicana* cap. 23. de Inſect. De quo, quæ referam plura non habeo, adeo enim noſtro cœlo ſoloque inviſum ut albi corvi. Nec poſt *Ioannem de Laet* in Americæ deſcriptione accuratiſſima quicquam moliri poſſum. Magis nota lucentis altera ſpecies cauda ſola ſplendens, quam in Gallia, Narbonenſi & Italia ſæpe ſæpius æſtate de nocte excepi & contemplatus ſum, quod contra *Scaligerum* noto, qui Exerc. 94. omnes Cicindelas in Italia volare, in Vaſconia, ubi degebat ille, ſine alis eſſe Lucrambos vocatas, ut ab Italis Luciolas. *Geſnerus* de Lunariis pennatam à ſe nunquam viſam fatetur, ut in Helvetia vermis ſit erucæ forma. *Fabio Columnæ* de Aquat. & Terreſtr. c. 17. terreſtrium generi optime adnumeratæ Noctilucæ terreſtres, Græca dictione à fulgore clunium χυσολαμπεῖς dicuntur, *Aldrovando* Lampyrides Apteræ, quarum ex αὐτοψία facilis deſcriptio. Tota corpuſculi

puſculi compages ex articulationibus decem fere vel duodecim conſtruitur à capite ad ventrem accreſcentibus, à ventre autem ad extrema ſenſim attenuatis, quibus cauda candida & tricuſpis appenditur fulgorem viridem jam ab aliquot articulis deductum & continuatum proferens, adeo clarum, ut gemmarum inſtar & facium vicina omnia illuſtret, & viatoribus, ſi iter tenebræ clauſerint, poſteriori parte lumen præferat. De qua eleganti ænigmate luſit *Iul. Cæſar Scaliger*:

Non ignis, non ſtella micans, non candida Luna:
Me tamen in cœca non niſi nocte vides.
Sic ſcribit ſapiens, ſapiens tibi lumina præfert
At mihi ſic ſapio, lumina pone gero.

Duratque ſplendor etiam poſt mortem ſi ſplendida ſuperſit materia. *Scaliger* Exercit. 194. quidem cum ſpiritu vitali lucem hanc à Cicindelis diſcedere magis ex opinione aliorum quam rei veritate aſtruit: contrarium enim expertus F. *Columna* Naturalium Rerum indagator induſtrius, qui poſt mortem etiam lucere in obſcuro cadaveris nates quamdiu adſit humor fatetur, demumque exſiccato illo deperdi lumen In cujus experimenti fidem quum ipſe ſepoſuiſſem Noctilucam Apteron eventum viſurus, aſtu elapſa ſe cum luce ſurripuit. Niſi vero me fallat memoria ab auctorum deſcriptionibus non abluſit. Caput depreſſum obſcuriori colore planum parte ſuperiori & tegmine quaſi inſtructum inferiorem claudebat faciem à qua cini quatuor veluti cornua prominebant, & infra hos in ipſo, ut ita loquar, thorace pediculi ſex, quibus innixa Cincindela caudam pedi-

pedibus carentem trahebat. Magnitudo blattarum vulgata, unciam ſeu pollicem utplurimum longæ, quam variari non dubitem, ut & colorem totius, quem ex nigro purpuraſcentem vidit *Columna*, clariorem ego. Album collum quod notat *Aldrovandus*, meos oculos volantes ſubterfugit, ut & Capitis pars anterior rubeſcens à laudato *Fabio* detecta, quam intra teſtam abſconditam ad libitum modo exſerit, modo contrahit. Proprium hoc noſtris non eſt, ſed & Indis, qui ſicut Solem nobis antevertunt ita lucentium animalium gloriam invident laudis ſocii vel auctores. De Cicindelis enim, *Oviedi* verba interpretor loco citato ſequentia: *Sunt præterea vermes, alii noctu adeo fulgidi, ut etiam eminus lucem mittant, atque non minore intervallo eluceant paſſuum centum: is fulgor non à toto eſt corpore, ſed ab ipſis tantum brachiorum juncturis: ſuntque eiſdem pedes multi.* Internodia juncturarum per brachia indigitavit, quum quid brachia in verme fuerint alioquin ignorem. Niſi alas intellexerit volantium Lampyridum, quarum allapſu lucem excitari male *Plinius* tradidit. Tempus anni quo ſplendore illo illuſtres viſuntur totum æſtatis circulum complectitur, quo, ſine menſis certi decreto, Cicindelas repentes non ſemel cepiſſe memini. Erucæ quoque genus in montibus Guatimalenſibus reperiri *Herrera* annotavit in Nova Hiſpania, quod nemo impune ob veneni virulentiam contrectare audet. Habere vero lucem ventri innatam, qua veluti Lampada quadam viatores monet ut fugiant. Sed hinc repens ad alia volabo.

Cap.

CAP. XII.

De Inſectis Volatilibus cum Luce.

QVæ alarum miniſterio in aëra ſublevantur eodem Cicindelarum nomine inſigniuntur, ſed volatilium. Pennatæ dicuntur Cantharides, Lampyrides volantes, & præter communia ſibi cum repentibus nomina πυρολαμπίδες dicuntur ab *Heſychio*, ſine dubio ob ignis fulgorem quem æmulantur, ipſe autem exponit Ζῶον πτηνὸν ἐν σκότει λάμπον, animal volatile in tenebris lucens. Et alibi Κυσολαμπίς, hoc eſt, ἡ περιλαμπομένη ταῖς νυξὶ κανθαρίς, Cantharis nocte lucens. Interpretandum de hac Cicindela *Martialis* Epigramma lib. 14. Ep. 40. quod hactenus latuit:

Ancillam tibi ſors dedit lucernæ,
Tutas quæ vigil exigit tenebras.

Quanquam enim inſcriptionis loco vulgati libri *Candelam* præferant, ſenſu tamen id caret & acumine, quod reſtituit Codex Mſ. Florentinus collatus à Fratre chariſſimo *Bartolo Bartholino*, in quo pro candela *Cicindelam* legas. *Hadrianus Iunius* pro, *lucernæ*, ſeu *lucerna* reponit meliori, ut putat, intellectu, ſed placet lucernæ lectio, quia ſorte datam ancillam quandam lucernæ, ſeu cicindelam, quæ lucernæ ſuccenturiatur, exprimere *Bilbilicus* voluit. Hujus ſine dubio generis eſt *Theocuilin* cantharis, igneus vermis, & ab ignea & urenti natura nomen adeptus rubro capite, pectore ſmaragdino, & reliquo corpore fulvus, cujus in *Hiſtoria Mexicana Anonymus* à *Nierenbergio* illuſtratus c. 20. l. de Inſect. meminit.

De

De hoc volatili elegans Emblema apud *Ioach. Camerarium* videre eſt, ad quem curioſum Lectorem amando.

De hujus generatione diverſa ſentiunt Authores. *Ariſtoteles* de Hiſt. l. 5. c. 19. animal ex Erucis quibuſdam corpore piloſo & denſo non adeo grandi primum fieri Cicindelas illas ſine alis, quas ſuperiori *Capite* delineavimus, quibus deinde mutatis pennigera animalia gigni βοςρύχους nuncupata. Adeo ut ejus ſit ſententia conſtans, ex unius generatione alterum alterno & ſucceſſivo ortu dependere, quibus intercedere ova *Aldrovandus* putat. Quare autem βοςρύχους appellare placuerit, equidem ignoro, quod per Cirros ſeu cincinnos exponunt uno ore *Gaza* ejus Interpres, *Ariſtophanes*, & *Heſychius* in Lexico, niſi alarum elevatione tale quid oſtendant. Verum tametſi ſucceſſiva hæc ex Erucis in alata Inſecta non ſit à Natura abhorrens generatio, quam in Erucarum aliis obſervamus generibus, præſertim bombycibus varia illa metamorphoſi omnium ſenſu expoſitis; tamen in Erucæ noſtræ generatione aliud docent experimenta. Non enim unius in alium reciproca fit converſio, ſed ex Eruca aptera generatur & manet genita, ſine alis Eruca ſimilis, & verſa vice quam ſemel Volucris Eruca produxit ſemper à primo ortu volantem vidit. Vnius tamen ſunt ſpeciei, ſexu, quod mirandum, diſtinctæ, alata mares tanquam ad agendum & inſultandum aptiora, repentia vero fœminina viſa ſunt & paſſiva, quam diſtinctionem, magnum in Natura pondus, in congreſſu diligenter primus in Sicilia non ita pridem obſer-

vavit *Carolus Vintimillia* Panormitanus, qui ſingulari genio ductus uno eodemque vitro utramque Lampyridem commiſit, & ex conjunctione diverſa ſexus diverſitatem optime animadvertit. De quo experimento fideliter ad *Fabium Columnam* perſcripſit, alatas ejus loci Cicindelas à Noctilucis non differre, ſed eas eſſe mares, has fœminas, idque à ſe bis deprehenſum. Habuiſſe enim in vitro plurimas animi cauſa forte acceptas gaviſumque noctu ſpectare, quas pane madido alebat. Commodum vero cœnanti illi alatam ad lumen circumvolitando ſeſe obtuliſſe: hanc captam, & in vitro cum aliis adjectam, continuo illo ſpectante aliam ſubegiſſe, eique adhæſiſſe, ut bombyx ſolet, ab ea deinde avulſam, aliam atque aliam, ac ut poſtea intellexit, omnes compreſſiſſe. Hinc ſequenti die parere cœpiſſe, ſeminaque forma & colore milii ſeminis, minora tamen Bombycum ſeminibus dediſſe; poſt paucos dies una omnes interiiſſe. Semina ſive ova ſervavit quidem, ſed corrupta, & per medium ſciſſa reperit, forte quia locum humidum requirebant. Notandum autem de ovis, ea eodem ſplendore conſpicua quo Lampyrides, ut mihi *Stephanus Spleiſtius* aſtrorum peritiſſimus Baſileæ ſuggeſſit. Sed ex illa obſervatione naturæ miraculum deprehendit, *Vintimilia* quæ fœminis quoniam alas denegavit, vegetius lumen tribuit, mareſque noctu lumine advocarent. Mares vero exiguo lumine lucere, ac corporis mole multo minores eſſe. Sed animum meum curioſius inquirendi ſtudio adhuc ſuſpendet, qua ratione ex diverſarum formarum uno congreſſu modo alata pro-

prodeant inſecta modo repentia. Res difficilis exemplo animalium perfectiorum expediri poteſt, quorum ſemina diverſorum ſexuum commiſſa talem animalis ejuſdem ſexum producunt, qualem ſemen alterutrum in pugna ſuperius debuit. Si enim exſuperat maſculinum, oritur mas; ſi femininum, ſexus ſequior. Ita, ſicut & ſolvit dubium *Vintimillia*, ſi in coitu Lampyridum exſuperet mas volans, alatæ naſcuntur, ſi femina repens, impennes. Neſcio tamen an ex uno hoc experimento quidquam certi hauriamus, non enim coitus idem eandem ſpeciem, diverſum ſexum probat, quum & diverſæ ſpecies inter ſe committantur. Vt fortaſſe vero eſſet ſimilius, diverſam hanc alatam ab impenni eſſe, ex ſe ſemper generantem muſcas pari volandi promptitudine, ut verſa vice impennes ſemper repentes producere. Simile quid cum *Panormitano* obſervavit priori ſeculo *Scaliger*, marem nempe alatum in Vaſconia, ſed non lucere, ut innuit Exercitatione 194.

Volantium duplici magnitudine inſignia extant, majora & minora. Minoris generis muſcas æmulantur vulgares ſæpius in *Gallia Narbonenſi* & *Italia* æſtivo quovis tempore à nobis viſæ. *Plinius* lib. XI. c. XXVIII. non ante matura pabula, aut poſt diſſecta conſpicuas ad normam ſui cœli fruges citius maturantis pronunciavit, alibi enim locorum initio æſtatis utplurimum volitant, quanquam præſertim æſtatis quoque exordio in *Calabria* adnotarim volantes, & in *Hetruria* autumno imminente. Ob lucis claritatem ſæpe duces itinerum obſcuriorum, & pileis inſidentes lucernæ

ſplendentis faces mentiuntur. Vnde à ruſticis apud *Plinium* l.18. c.27. ſtellantes volatus appellantur, & adhuc ludentes rure pueri faciem hinc inde diſtinguunt Lampyridibus ſputo applicitis, quo colluſores terreant. Caput exile obſcurius ad inſtar muſcæ quam referunt, duobus oculis ſplendore gagatis tenebricoſo & dubio propter parvitatem prominentibus. Duplex utrinque alarum ordo invicem ſibi impoſitarum, triplex pedum eo loco quo muſcæ vulgares proferunt. Corpus reliquum exile, obſcurum donec in caudam longiorem deſinat, quæ lucidum humorem continet ad viridem inclinantem. In obſcuro ſplendet & ad candelam eodem viriditatis colore ſed obſcurius apparet. Extremum eſt corpuſculi quod in emortua Lampyride & à me exſiccata, ea parte lucidum ex flavo colorem nigriori corpori permanet, qua viva luxit. Mobilis vero in corpore eſt humor ſplendens, ut ſæpius ipſa retrahat ob timorem, ſæpius digito ſurſum ad libitum compreſſi ubi ob denſiores partes minus perlucere potuit, rediit in locum conſuetum ſibi relictus vel vi compulſus humor. Quod vero de lucis hujus qualitate ſcribit *Plinius*, l. XI. cap. XXVIII. nunc pennarum hiatu relucere nunc compreſſa obumbrari, nihil eſt. Quanquam enim poſticam partem dorſo æmulam tegant & amplectantur alæ binæ interiores reliquis extantibus, tamen neque illis remotis aut explicatis lux ulla à tergo averſo elucet, ſed nigrore totius ibidem ſervat & continuatam noctem, ſine dubio ob partis craſſiorem compagem, quæ tranſlucere contentam lucem non permittit. Vnde & in ſic-

in ſicco corpore obſcura pars averſa apparet tota. Melius *idem* ibidem, lucere ignium modo noctu, laterum & clunium colore Lampyrides prodidit. Ita enim ex *Mſis* optimis legendum, inter quæ de colore conſenſus eſt, quod in Membranis *S. Antonii* & *D. Marci* Venetorum obſervavi. In hujus vero ſcriptione *amanuenſis* imperitior erravit, dum loco *clunium dunium* colore ſcripſit à conjunctione litterarum facili errore. Alii in textu *Pliniano* legere amant *fulgore*, pro *colore*, faciliori ſententia, quod vero *Pincianus candore* ſubſtituit obſcurius eſt, quum non candore ſed luce viridiori clunes, ut ita cùm *Plinio* loquar, eluceant brevi diſparente & fere ſub manus meas exſtincta. Cujus exſtinctionis cauſam puto diſperſionem humoris per corpus totum vel potius conſumptionem ejuſdem abſumpto humido per metum & dolorem inſuetæ captivitatis. De hoc Cicindelarum genere forſan ſunt muſcæ in Inſula *Solebe* tam excellenter ſingulis noctibus ſplendentes, ut ſingulæ faces appareant, teſte *Libavio* l. 1. de Orig. Rer. A quibus non longe abeſt muſca illa, quam *Cælius Rhod.* l. 17. c. 11. ſcribit Toleti in macello unam per integrum annum comparere inſigni notabilem candore. Lampyrides grandioris molis Scarabæis non abſimiles nobis inviſæ apud Indos vulgatioris ſenſus, ut refert *Oviedus* citati libri Hiſtoriæ Indicæ capite VIII. cujus hiſtoriam accuratam non meis, ſed ejus verbis ſiſtam, qui Scarabæum lucentem & vidit & tractavit. Ita vero ille deſcriptionem orditur: *Excedit vulgarem admirationem illud Cicendularum ſive Noctilucarum genus, quod ibidem*

comperitur, forma muſcarum tantæ magnitudinis quantæ nux avellana vel quantæ Scarabæus noſter, nomen illi Coceoius; habet alas quaternas, more Scarabæorum, leves binas, totidem duriores: elucent oculi, veluti lucerna: noctu enim volitantes non minore coruſcatione aërem illuſtrant, quam quævis candela cerea ſolet illuſtrare. Quin ſi quis noctu manu hoc animal deferat, procul putabitur ab omnibus lucernam deferre præ manibus; facile enim quiſque falli poteſt dum ad eum accendendi luminis cauſſa acceſſerit, tantum veræ lucernæ procul ſpeciem præ ſe fert. In cubiculis ardentis luminis vicem reddit perſpicuam tum legentibus, tum ſcribentibus, aut aliud opus peragentibus. Itinerantibus per ſylvas aut alia quævis loca, tres; quatuorve noctilucæ hujuſmodi laternæ vicem præſtant. Sed etſi turma cohorſve proficiſcatur, omnibus lux hujus noctilucæ vias dirigit, nec itinere aberrare permittit. Solent enim plerique ſibi veſtes ex iis cicindulis conficere & collo appendere noctu modo torquium, atque ex ea copia tanta lux emicat, ut conſpici poſſint eminus non paucis paſſuum millibus imo ultra quatuor millia paſſuum; ſecuriuſque agitur cum hoc noctilucarum lumine, quam cum reliquis facibus ignitis; quandoquidem ventorum impetus obeſſe nil poſſit: totaque hæc lux ab oculis tantum micat. Habet autem præterea conſimilem lucem ab axillis, adeo ut volans longe fulgidius ſplendeſcat, quam quieſcens. Itaque hujus fulgoris lumine integra familia menſæ cœnæque accumbit. Quod ſi inteſtina confricentur alicui in facie, pectore aut alia quavis corporis parte; ibi præbent etiam fulgorem aliquem. Ejuſdem Inſecti Cucoji meminit & *Ortelius* in deſcript. Inſulæ Hiſpaniolæ, *Nierenbergius* Hiſt. Nat. l. 13. c.3. *Ioh. de Laet* in Ame-

ricæ

ricæ deſcriptione. Et *Cardanus* lucem illius vita longiorem agnoſcens, inde liquorem artis beneficio in tenebris lucentem promiſerat; quo nomine *à Scaligero* irridebatur. Viventes tamen ad deperditum oculorum lumen reſtituendum in collyrio, adhibent Practici.

CAP. XIII.

De aliis Inſectis Lucentibus incerti generis.

INferioris generis alia ſuperſunt, quæ, quia ad certam claſſem referri vix poſſunt, hic loci commode divertent. Digniſſimum eſt obſervatu ante metamorphoſin Erucas ſericeas quum ad juſtam magnitudinem pervenerint circa collum ſplendore ſingulari eniteſcere circuli inſtar, ut monuit *Carolus Offredus*, Vir doctiſſimus, quod ſignum eſt maturas jam ad ducenda fila, unde eo viſo folia amplius Mori nulla dantur, ſed ordine ſuo ad lanificium deſtinantur. Materiam credo eſſe puriorem & clariorem, quæ in ſericum educitur filum, qua extracta & ceſſare & opus, & lucem. Hinc in ſerica textura ſplendoris ſemper aliquam ſpeciem obſervamus, quæ à luce externa juvatur & promovetur.

Retulerim huc animalculum quoddam Ægyptiacum Cicindelis ſeu Lampyridibus parum diſſimile, φάλαινα apud *Nicandrum* in Theriacis dictum, quod ob ſingularem cum luce affinitatem ardentes lucernas ſolet circumvolitare. Rhodiis id quoque proprium pronunciat *Interpres Nicandri* Græcus, vocare φαλαίνας τὰ περὶ τοὺς λύχνους πετόμενα θηρία, quæ lychnos circumvolitant animalcula.

Quodnam ſit fueritque alias, quidem ignoro, præſertim quum apud *Galenum* varia ſignificatione veniat, jam quidem pro majoris molis beſtia, balæna ut lib. de *Vſu Partium* 6. c. 9. jam vero pro minutis quibuſdam animalibus ex cruſtaceorum genere lib. 3. c. 12. l. 8. cap. 4. & 5. Inſitum præterea lumen habere & Veſpertilio videtur reliquaque quibus de nocte ſenſus viſus vegetior innati ſplendoris beneficio. Ab iſto veſpertino lumine Veſpertilio Νυκτερὶς vocatur ab *Homero* Odyſſ. ω.

Νυκτερίδες μυχῷ ἄντρου θεσπεσίοιο τρίζουσαι ποτέονται.

De quibus poſt Ariſtotelem diſertius egit *Plinius* lib. 10. cap. 61.

Referenda huc erit Aurelia, ſeu Chryſalis ab aureo fulgore ita notatum inſectum, quod vidit pridem & ex viſu ad amuſſim deſcripſit *Fabius Columna* Obſervat. Aquat. & Terreſtr. cap. 20. *Animal informe, ſuperius monſtrum repreſentans, lave totum, paulatim decreſcens; capite vitulino fere obtuſo, nullis membris inſignitum, ſed colore aureo ſplendida hilari.* Scarabæum Ægyptiacum incolas eo nomine venerari ex *Porphyrio* de Abſtinentia notum; quod Solis ſit animata effigies. Cujus pilos lucentes ad effectus oculorum commendat *Marcellus Empiricus* c. 8. Locuſtæ quoddam genus depingit *Aelianus* l. 10. c. 13. χρυσοειδῆ, ſeu auri coloribus notis diſtinctum. Apud *Ieremiam* 51, 27. כילק סמר vertit, *Interpres* bruchum inflammatum, melius reddidiſſet *bruchum ſplendidum* aut locuſtam fulgidam judice *Arnoldo Bootio* lib. 3. Anim. Sacr. c. 3. n. 10. à qua interpretatione non abiit *Cl. Buxtorfius*, quia locuſtam coruſcam vocavit. Ad hunc ordinem quoque

quoque ducerem Athenienſium Cicadas aureas ſi in vivorum fuiſſent numero, & non magis colore ornaſſent quam vita. Tales enim in capite geſtaſſe Athenienſes ex *Dionyſio Halicarnaſſæo* obſervavi; qui in judicio de *Thucycidis hiſtoria* hæc habet: Τί δὲ ἦν ἀναγκαῖον περὶ τῆς Ἀθηναίων τρυφῆς, ἣ τὸ παλαιὸν ἐχρῶντο, λέγων, ὅτι κρωβύλους τε ἀνεπλέκοντο καὶ χρυσοῦς τέττιγας εἶχον ἐπὶ ταῖς κεφαλαῖς. Pertinere huc videtur & Apis electro incluſa alieno diaphano lucens, in quam ludit *Martialis* lib. 4. Epigr. 32.

Et latet & lucet Phaëthontide condita guttà,
Vt videatur apis nectare clauſa ſuo.

Cap. XIV.

De Avibus Lucentibus.

IN aëra ſublevor & cœlo & lucis origini vicinior, quorum ludibrium quo minus cum Dædalide metuam ſine arte effectæ tam alæ quam luces avium efficient, quorum auxilio pro lubitu terras legam. Avium conſtitutionem luce naturali temperatam non mirabitur qui domicilium & perſpicuitate & lumine plurimo illuſtre novit, quæ corpuſcula quoque aërea ad parem levitatem & volandi cupidinem diſponit. De Avibus Hercyniis retulit *Plinius* lib. 10. c. 47. illarum plumas ignium modo collucere noctibus. Clarius *Solinus Polyhiſtor* cap. 20. *Saltus Hercynius aves gignit, quarum pinnæ per obſcurum emicant & interlucent, quamvis denſa nox denſet tenebras.* Inde homines plerumque nocturnos excurſus ſic deſtinant, ut illis utantur ad præſidium itineris dirigendi, præjactiſque per opaca callium rationem viæ moderetur indicio

plumarum refulgentium. Hæ Garruli Bohemici à *Geſnero* deſcripti eſſe videntur, quorum cauda ſumma lutea extremis pennis cocco nitens, ſubluſtri nocte lucet. Pavonis pari pacto corpus pennatis veſtigiis flammeum rutilat. *Plinius* lib. 10, c. 20. *Gemmantes laudatus expandit colores, adverſo maxime Sole, quia ſic fulgentius radiant. Simul umbræ quoſdam repercuſſus cæteris, qui in opaco clarius micant, conchata quærit cauda.* Corruptus locus alio modo in *Mſ.* Canonicorum *S. Antonii* Venetiis legitur: *Cum formatum intellectum ejus & gloriam geminantes laudatus expandit colores.* Quod fere obſcurum locum obfuſcat. *Beſſarionis Mſ.* in Bibliotheca *D. Marci* ita habet lib. 9. *In his Pavonum genus cum formam, tum intellectum ejus & gloriam geminantes, laudatos expandit colores adverſo maxime Sole, quia ſic fulgentius radiat.* Vitioſius prima *Plinii* editio Romæ impreſſa 1470. *Laudatus expandit colores adverſo maxime Sole, q ſ. f. r. micant conchata quærit cauda.* Gemmantes colores apud *Mſ.* Codices, ut videtur, ſuſpectum, quod tamen & ſplendorem Pavonum graphice depingit, & ab aliis uſurpatum eſt auctoribus pro radiantibus coloribus gemmarum ſplendore & varietate æmulis, quo ſignificationis flexu de Pavone eodem adhibuit *Martialis* l. 13. Ep. 70.

Miraris quod & gemmantes explicat alas.

Et alibi, gemmantes lecti *lib.* 12. & gemmatum aurum lib. 14. *Calphurnius* Ecl. 2.

—— gemmeus undas
Fons agit.

Claudianus etiam de Nupt. Honorii:

Stami-

Stamine gemmato, picturiſque columnis.

Et *Epith.* in Pallad. & Celerinam:

Gemmatis alii per totum balſama tectum
Effudere cadis.

Item de 6. Conſ. Honorii:

Membraque gemmato trabeæ viridantia cinctu.

Apud *Statium* moles gemmata, pro Equi ſtatua undique auro fulgurante, judice C. *Barthio* l. 34. Adv. c. 5. Qua ſententia plane ſimili ſidera ſplendentia, gemmata dicuntur *Mart. Capellæ* l. 9. de Nupt.

Quo gemmata poli volvere ſidera
Suevit lege rata ſacra recurſio.

Nec ab uſu ejus abhorruit alibi *Plinius* l. 18. c. 7. quum radicem gemmeæ rotunditatis dixit. *Plinius Secundus* l. 5. Epiſt. 6. prata florida & gemmea vocavit. Lucis porro in Pavone indicium confirmat *Philes Iambicis* his de Anim. prop.

Σύνθετον φῶς, καὶ πτερωτὴν αἰθρίαν.
Ἀκτῖσι φυσικαῖς μειδιῶσαν σὺν ποσί.
Τοῖς δὲ πτεροῖσι καὶ τινὰς ἀθρήσεις τύπους,
Εἰς ὀμμάτων μέμησιν ἐκπεπλασμένων.

Quæ ita tranſtulit G. *Berſmannus* ſive *Ioach. Camerarius*, ſane eleganter imprimis:

Aethræque pennatam ſerenitatem agunt
Radiis comantes proprii fulgoribus;
Typoſque præ ſe luminum pennæ ferunt
Micantium, nutantiumque perpetim.

Huic ſimilis avis *Quetzaltototl* in Mexico criſtam habet plumis ſplendentibus atque pulcherrimis, pectuſque & collum inferne rubris & micantibus, ut c. 2. de Avi *Hiſtoriæ Mexicanæ* legere eſt quam

ex Bibliotheca Eſcuriali Illuſtriſſimus genere & virtute Eques *Caſſianus à Puteo* deſcribendam curaverat. Illuſtrior eſt colorum lucidorum ex aureo, rubro, flavo, igneoque mixtura avis *Ouriſſia* Braſilienſibus ita dicta, quia Solis radios imitatur, quam deſcripſit *Cluſius* in l. 5. Exotic. c.2. & ipſe omni deſcriptione elegantiorem vidi apud *Ioh. de Laet* naturalium rerum & humanitatis inſtructiſſimum Virum. Pſittacus à *Statio Papinio* eo habetur honore, ut Lux avium dicatur, ſive ob excellentiam qua etiam humanas voces, teſte *Plinio* & *Phile*, imitatur ſuumque χαῖρε diſcit, ſive ob colorum variorum temperiem quibus inſigni ſplendore non minus quam columbarum colla luxuriat. Fortaſſis & ob candorem lucentem. Auctor enim eſt *Scaliger* Excercit. 59. in ferventiſſima Æthiopia ultima India tum pſittacos, tum elephantes candidos reperiri. Merentur & illud tituli inſignes lucentium oculorum fulgores aurei coloris rubedine interſtincti, quales & Volucribus Diomedeis fulgore igneo micantibus aſſignat *Plinius* lib. x. cap. 44. *Iuba cataractas vocat eis eſſe dentes, oculoſque igneo colore, cætero candidis tradens.* Phœnicis caput collumque nihil niſi luminis varii indicium, quo ut Sol circumfuſis radiis emicat. Notior de ejus hac luce quam de vita. *Lactant.* Carm. de Phœn.

Hoc humeri pectuſque decens velamine fulgent (ſc. rubro)
Hoc caput: hoc cervix: ſummaque terga nitent.
Ingentes oculos credas geminos Iacinthos:
Quorum de medio lucida flamma micat.

Soli-

Solinus ſuum à *Plinio* c. 2. mutuatus, qui ait: *Aquila narratur magnitudine, auri fulgore, circa colla cætera purpureus, cæruleam roſeis caudam pennis diſtinguentibus. Solinus* cap. 36. Polyhiſtor. *Capite honorato in conum plumis extantibus, criſtatis faucibus, circa collum fulgore aureo.* Quid ſi *coronato* legamus ad *Lactantii* mentem. Sed nihil immutandum quia de eodem *Claudianus*:

Arcanum radiant oculi jubar, igneus ora
Cingit honos rutilo cognatum vertice ſidus;
Attollit criſtatus apex tenebraſque ſerena
Luce ſecat, Tyrio tinguntur crura veneno.

Auſonius de eodem ita:

Ales cinnameo radiatus tempora nido,

pro *nido* ſubſtituit *Ioſephus Scaliger*, *nimbo*, quod ſi de nimbo ſeu lumine Deorum capita cingente, ſicut id vocabulum cœpit *Servius*, interpretemur, Phœnici inprimis convenit ob coronæ variegatæ lucidæque ſimilitudinem, qua quum ad Solis radiatum caput, accedat, eidem, ſacra avis dicebatur, præſertim in Arabia. Id *Tacitus* de eo non abſurdum promſit l. 6. Annal. *Sacrum Soli id animal, & ore ac diſtinctu pinnarum à ceteris avibus diverſum. Lactantius*, ſi ille author, in Elegia Phœnicis toto capiti applicat radios:

Aequatur toto capiti radiata corona,
Phœbei referens verticis alta decus.

Ita enim legendum, non ut in membranis *Mſ.* meis:

Aequataque noto capiti radicatá corona.

Et probat *Achilles Statius* lib. 3. de amore Leuc. & Clit. circulo hoc lucido coloroſo imaginem Solis re-

lis referri cui eſt ſacer Phœnix. Similitudinem autem hanc in pinnarum projectionibus & criſtis faciem caputque Phœnicis plumeo apice ſecundum *Plinium* l. 10. c. 2. cohoneſtantibus, ſitam conjicit *Hieronymus Aleander* Iunior in expoſitione Tabulæ Solis. Cui non magno conatu refragabor, modo concedat fulgurantes colores, qui Soli magis proprii quam pinnæ fictitiæ majorem utrique nexum conciliare & naturæ affinitatem. De Aquilæ genere quod haliactam vocant, *Plinius* l. 10. c. 3. *Clariſſima oculorum acie, librans ex alto ſeſe: viſoque in mari piſce, præceps in eum ruens, & diſcuſſis pectore aquis rapiens.*

Tandem nulla ex genere volatilium avis tantum cum luce conſenſum alit quantum gallus gallinaceus qui cantu vigili Solem & demerſum ad Antipodas, & ſtatim rediturum præſcia quaſi voce proſequitur. Vnde ex merito lucis avis ſalutatur à Muſa lepidiſſima *Martialis* l. 14. Epigrammate ultimo:

Criſtatæque ſonant undique lucis aves.

In toto utique corpore criſta inſignis ſanguineo coloris ſplendore lumen vel proferre videtur vel æmulari inprimis ſi Chinenſis. Radiata ea dicitur à *Plinio* lib. x. cap. x x i. & revera radios ejaculatur dum apud *Veterem Poëtam*:

Criſta riget radiis, ignea barba micat.

Non ſolum ob eminentias ſed earum eminentiarum colores vividos, &, ut Solis, vere igneos, ab elementorum lucidiſſimis temperatos. Vnde Sol eadem criſta ornatur à *Claudiano* l. 2. de Raptu:

Invalidum dextro portat Tytana lacerto,

Nec-

Necdum luce gravem nec pubeſcentibus alte
Criſtarum radiis. ——

Et hinc traducta ad galeas criſta ex æquo ibi ſplendere dicitur *Silio* lib. 1.

—— *ruit ocyus amens*
Lymphato curſu, atque ingentes deſerit actus
Lethiferumque micant fulgentes vertice criſtæ,
Crine ut flammifero terret fera regna Cometes
Sanguineum ſpargens ignem, &c. ——

Solis aves & Athenienſes denunciarunt, quum poſt devictos à Themiſtocle Perſas, pugna publica inter ſe committerentur galli, de qua ſolenni lucta *Aelianus* lib. 2. cap. 28. Μετὰ τὴν κατὰ τῶν Περσῶν νίκην Ἀθηναῖοι νόμον ἔθεντο, ἀλεκτρυόνας ἀγωνίζεσθαι δημοσίᾳ ἐν τῷ θεάτρῳ μιᾷ ἡμέρᾳ τοῦ ἔτους. Cujus inſtituti quanquam verbis ſequentibus aliam rationem credat, ad Perſas tamen eludendos gallos credo ſubornatos, quorum utriſque Sol adoratus. Ad Romanorum tempus hæc pugna duraſſe videtur ex *Varrone* l. 3. c. 9. Rei Ruſticæ, ubi Tanagricos ac Medicos & Chalcidicos, pulchriores ad præliandum inter ſe maxime idoneos laudat. Et ſervato ad nos more apud *Anglos & Batavos* Gallorum pugna inter jucundiora ſpectacula perſæpe, graphice & ad majeſtatem antiqui carminis olim depicta à *Paſſeratio* quum munus ſolenne Calendis anni amico mitteret. Veram totius corporis lucem Gallus gallinaceus *Monſpelii* ſuperioribus annis aperte exſeruit, eodem prope tempore quo omnis mactatorum caro in macello fulſit, ut id indubitato teſtimonio mihi retulit mulier Monſpelienſis primæ carnium lucis obſervatrix, quum ea de re diligentius

gentius cum Amiciſſimo *Iacobo Sena* Middelburgenſi Med. Doctore inquirerem, quem & de relatorum fide compello non repugnaturum. Huic gallo interioris lucis prodigo accedat gallina à *Scaligero* exterioribus plumis fulgere viſa, ut toti inde lucentes prodeant pulli. De gallina ille Exercit. 174. ut vidit, narrat: *Ad montem Bellum in excubiis militaribus, procul in arbore viſa eſt lucis ſpecies. Senſim acceſſi, miratus immobilem. Gallina erat candida, quæ metu ob tumultum, rapinamque Germanorum peditum conterrita ex villa cum aufugiſſet, ibi pernoctabat.* Ex *M. Varrone* lib. 3. c. 9. R. R. notandum ad partiones fœcundam gallinam cenſeri quæ rubicunda ſit pluma. Cauſam non addit, quam ex lucis temperie deduco, qua ad generandum diſponuntur cuncta. Vnde de Gallo prodidit *idem* ſalacem eſſe rubenti criſta, galea rubra ſubalbicante collo vario aut aureolo. *Albertus Magnus* 2. in Anim. tr. 3. c. 12. *Viderunt jam quidam ovum gallinæ lucens; & quidam gallos tales, & cicadas, & hujuſmodi animalia.*

Aves alias alio lumine conſperſas addat Lector ſi occurrant, meque erudiat quænam *Avis Incendiaria* ſæpius malo augurio apud Romanos viſa, teſte *Iulio Obſequente* in Prodigiis Coſſ. Sergii Galbæ, M. Scauri, & C. Lælii, L. Domitii. Nam ex *Servio*, ſi ea de buſto ſudem ad tectum detuliſſet, incendium portendebat: *ſi cujus ædes inſediſſet, & vocem miſiſſet, ſignificabat mortem.* Quæ autem ſit nec reperit ipſe *Plinius* lib. x. cap. 13. nec traditum invenit. Refert tamen quoſdam putaſſe incendiariam eſſe quæcunque apparuerit carbo-

carbonem ferens ex aris. Quod ſi ſit, lucis quendam conſenſum habuit, quo appetiit ab aliis repudiata.

Cap. XV.
De Piſcibus Lucentibus.

IN liquida hac piſcium officina ſplendoris radios non obſcurioris famæ emicare, quanquam incredibile nonnullis & inter paradoxa reponendum, non mirabitur tamen qui aquarum iſtum orbem præter lucidorum mixtionem etiam ſubſtantiæ ſuæ raritate perſpicuum accuratius intuetur. Aquam marinam ſua luce ſplendere in *Cauſis* dicemus, qui id non raro & vidimus & mirati ſumus, nunc ex iſto elemento, ſi vera antiquorum opinio, compoſita piſcium corpora pari fulgore eluceſcere re ipſa oſtendemus. Et ne quis viventes ſolum ab anima fulgere credat, etiam jam putreſcentes lucent apertiſſime, ut in ipſa corporis ſtructura luminis illud hærere appareat. Res etiam aniculis obvia piſcium putridorum ſive ex capitibus, ſive oſſibus emicare in tenebris lumen, præſertim cartilagine gaudentium. Quod ne ſapientibus latuiſſe putemus, en *Ariſtotelem lib.2.* de Anima aſſeverantem nonnulla in lumine non videri, ſed in tenebris, & apparere ignea, & fulgere ut cornu, fungum, piſcium capita, ſquammas, oculos. *Cardanus* eodem experimento in Scotia vidit in ſpinis quorundam piſcium noctu lucem inſtar prunarum ſcintillantem, quæ quinto circiter poſt die evanuit. Id quod ipſe in variorum piſcium ſpinis nocte expoſitis ſæpe ſæpius contemplatus ſum.

Idem lumen in recenti Iuru ucapeba ſive Itacara piſce ſquammoſo in Braſilia obſervavit *Georgius Margravius* in Hiſtoria Naturali quæ per Cl. *Ioh. de Laet* brevi lucem videbit. Nec mirum ſane in hoc, quia ſquamis ita inter ſe complicatis lævis apparet. Eſt præterea totius piſcis color ruber ſatis, in ventre autem ex albo & rubro maculatus: in lateribus maculis puniceis conſtantes nigras varias habet majores minoreſque, & pinnæ omnes rubro nigroque colore tinctæ. In cruſtaceis res eſt certa & idem Romæ vidit *Leo Allatius* Vir Eruditus, ut ejus ad *Licetum* Epiſtola teſtatur quam de Pomaro Studioſo conſcripſerat. Noctu enim quadam in angulo muſæi luces advertit, quas curioſus captans frigiditate quadam ac mollitudine in ipſo tactu digiti commotus idem abjicit, & advocato lumine omnibus in angulo examinatis, fruſta & reliquias Gammarorum fluviatilium majores minoreſque animadvertit, illis in tabella collocatis, lumen extraxit, & ſe cum iis inter latebras obſerat, idque optime ceſſit. nam ſtatim eædem illæ Gammarorum reliquiæ lumine emicabant, majore minoreve ad normam ſuæ molis, & quale nobis ſulfur accenſum, aut aqua redderet ardens, fractis tamen obtuſiſque radiis, lucidum nec ita vividum enitebant, quod adventu intenſioris luminis perdebant. Illud quoque expertus erat; ſummoto candelæ lumine, eo ſolo minutiſſimos quoſque characteres legi poſſe, quos ipſemet ſæpiſſime nulla offenſione percurrit, ſicut ad lumen Lunæ, applicato tamen eo cuilibet ſyllabæ, quum illud non ita effuderit ſe, ut unico aſpectu paginam totam illu-

illuminaret. Conchæ quædam in inteſtinis piſcis, quem lingua vernacula *Graneau* vocant *Narbonenſes*, reconditæ ſeu deglutitæ lucem ſimilem *Monſpelii* proferebant, ut & inteſtina ipſa piſcis ejuſdem, ita narrante mihi eadem muliercula quæ carnes lucentes obſervaverat prima. Sive quod ab inteſtinis conchæ, ſive hæ ab illis ſplendorem mutuatæ ſint. De *Dactylis* enim idem è concharum genere poſterorum memoriæ prodidit magnus Naturæ author *Plinius* lib. IX. naturam illis in tenebris lucidiſſimam: *Concharum è genere ſunt Dactyli, ab humanorum unguium ſimilitudine appellati. His naturam in tenebris, remoto lumine, alio fulgore clarere, & quantò magis humorem habent, lucere in ore mandentium, lucere in manibus, atque etiam in ſolo atque veſte, decidentibus guttis.* Paulo aliter Mſ. *Canonicorum Regularium* Venetiis habet: *quanto magis humorem habeant lucere in ora cernentium.* Cui ſimile in ſuis legit *Iacobus Dalechampius.* Firmat *Plinium Lippius*:

Dactylus illuſtrat radiato lumine pontum;
Appoſitus menſæ lumine menſa nitet.

Et *Olaus Magnus* lib. XX. cap.ult. ex *Plinio*, cujus tamen nomen hic diſſimulat, de Dactylo ſimilia recitat ſeq. lib. c. 5. repetitum, niſi quod Piſcem vocet quam *Plinius* concham appellaverat. A ſimilitudine pallæ rectius Venetiis vulgari idiomate *Cappa longa* venit nuncupata, Græcis σωλὴν à canali, δόναξ ab arundine cava, in qua tamen nihil uſquam lucis ſive in ora cernentium ſive ore mandentium conſpexi, ut reliquis *Plinii* placitis hoc ſit annumerandum. *Athenæus* ſane maribus cæruleum tantum

aſſignat colorem, feminis unicolorem. Dactylos tamen manu tritos lumen velut ſcintillas quaſdam ex ſe ſpargere Melitæ, in Sicilia, Calabria aliiſque locis obſervavit Magnus *A.Kircherus* lib.1. Part.1. Artis magnæ Lucis c.6. §.1. Idem cap.7. experimento didicit, humor ſiquidem aſpergillo in tenebroſum aërem diſperſus, mox igneam quaſi pluviam oſtendit, manus veſteſque & quicquid lucentis humoris glutine inficitur, non minus ac ſcintillis flammiſque corruſcum reddit. In Pulmone marino ſimilem liquorem obſervaverunt *Bellonius* & *Kircherus*, qui virgis nigris illitus eas non ſecus ac ignea coruſcas in tenebris exhibet. Reperiuntur etiam in mari Norvagico, quarum conchæ magnitudine inſigni conſpicuæ, longitudine dodrantali, craſſitie pollicis in Muſæo inſtructiſſimo ſummi Viri *Olai VVormii* omnis Antiquitatis & Naturæ inſtauratoris feliciſſimi, inter alia extant, in quibus tamen lucis nihil deprehendi ingenue fatentur datæ ad me nuper litteræ πολυμαθέστατ). De Oſtrearum ſplendore *Aelianus* pariter: *Ruſæ ſunt in Hiſpania, fuſcæ in Illyrico, in mari rubro flammeis ita diſtinguuntur Zonis, ut varii coloris temperatura ad Iridis accedat ſimilitudinem.* P. *Bellonius* non obſcuriorem concham Nautili piſcis declarat: *Omnes non excedunt craßitudinem membranæ pergamenæ, ſtriiſque in oblongum ductis ad oras erenis laciniatæ ſunt in formam rotundam abeuntes; foramen autem per quod Nautilus alitur, atque exit de concha magnum eſt, hæc fragilis eſt, lactei coloris, lucida, admodum polita.* De conchis aliis, præſertim margaritiferis nihil vulgatius ob varium lucidorum colorum ſplen-

ſplendorem interioris elementi lucidi afferre nobis argumentum. Sed ex viventibus majus luminis documentum deſumitur. De Muranis Galliæ *Plinius* l. IX. c. 23. *In Gallia ſeptentrionali muranis omnibus dextra in maxilla ſeptenæ maculæ, ad formam Septentrionis, aureo colore fulgent, duntaxat viventibus, pariterque cum anima extinguuntur.* Ad quas forſan reſpexit Matron apud *Athenæum* lib. 4. quando Murænæ ἀγαλλομένην περὶ δείρην, ζώνην φέρειν, lætabundam cingulum circa collum geſtare ſcripſit. Fertur ex piſcatorum relatione apud *Rondeletium* L. de Zoaph. c. 24. Penna piſcis mentulæ alatæ perſimilis quæ ſtellæ modo, præſertim noctu ſplendeat. Confirmat *Philes* in Iambicis, cujus tamen verba deſunt in editione *Camerario-Berſmanniana* typothetæ incuria:

Quod profluit Pinnæ humidum de viſcere,
Qui fulgur æquet, fit Lapillus lucidus,
Sed uniones induit tandem jubar.

Illuſtris ad hunc ſplendentium ordinem celebris erit Lucerna piſcis, re & nomine lucens. Nomine cum Milvo *Plinii* convenire exiſtimant, quo titulo etiam *Rondeletius* lib. x. cap. 8. tractavit, quia à Provincialibus belugo appellatur, ſimili ſignificatu quippe *belleguo* favillas notare. Sed de ea hæc tradit *Plinius* l. IX. c. 27. *Subit in ſumma maria piſcis ex argumento* (legendum puto, *argento*) *appellatus Lucerna, linguaque ignea per os exerta tranquillis noctibus relucet. Attollit è mari ſeſquipedanea fere cornua, quæ ab his nomen traxit.* Quam decantavit Epigrammate *Lippius.*

Eſt lucerna mihi nomen, quod lingua refulget,

Si noctu aſpicias, lumina vera putes.

Quem preſſe imitatus eſt *Malateſta Fiordianus* in opuſculo ſuo de piſcibus Italico ſermone conſcripto: *Carm. 5. de piſc. rotundis & rubicundis:*

Queſto quando di eſtate piu ſerena
Splende la notte, e l'onda piu tranquilla
Vibra la lingua ſua da Cui Balena
Vn fulgor che ſu'l mar ſpeſſo sfavilla.

Quanquam autem noctu præſertim viva adhuc luceat, ejus tamen quoque mortui oculos in tenebris lucere obſervavit *Geſnerus*, à qua non multum abludit Luna piſcis tum forma ſinuata tum cœleſti lumine argenteoque colore nocturnam ætheris Lunam referens, quam ſplendentem noctu obſervarunt *Geſnerus* de Lunariis & *Rondeletius* lib. xv. de Piſcibus c. 7. Lumen non toto corpore ſed oculis emittunt alii, ut paſſim notamus. In quorum cenſu *Delphinum* retulerim oculis radiantibus conſpicuum, quem inter alios noctivagos reponit *Oppianus* lib. 2. ἁλιευτικῶν:

—— διὰ γὰρ βέλος ὥς τε θάλασσαν
ἵπτανται, φλογόεν τε σέλας πέμπουσιν ὀπωπῆς
ὀξύτατον. ——

Hoc eſt,

—— *nam teli inſtar per mare*
Volant, flammeumque lumen emittunt oculis
Acutiſſimum. ——

Idque adeo acutum, ut piſcem in caverna abditum cernat ex eodem *Oppiano*. Cujus luminis medio non ſolum Apollini amicus olim habitus Delphinus, verum & reciproca metamorphoſi in hunc Apollo mutatus credebatur, quod docent antiquorum

quorum nummi quos tractant *Antiquarii* Delphinum tripodi ſuperpoſitam oſtendentes, à quo etiam δελφίνιον cognominatum Apollinem probat *Porphyrius* lib. 3. de Abſtinentia à Carne. Niſi ob velocitatem qua in peragendo diurno penſo Phœbus eminet, cum Delphino velociſſimo in comparationem veniat. Delphinus enim ocyor volucre & telo, teſte *Plinio* l. 9. c. 8. feſtinantiſque idea, quam emblemate ſuo expreſſit *Aldus Manutius* anchoræ Delphinum circumducens, à qua per mare quaſi volitans ſiſtitur, ejus velocitatem ſane mirati ſumus, quum *Siciliam* navi peteremus, qui plenis ventis & mari incitatum curſum ſæpius antevertit.

De aliis inuſitatæ in Oceano Norvagico magnitudinis inuſitati & nominis piſcibus micanti oculorum face conſpicuis ſermonem habet *Olaus Magnus* lib. 21. hiſt. Sept. c. 5. edit. Baſil. *Oculorum ambitus 8. vel 10. cubitos excedit: pupilla vero unius cubiti, rubeum & flammeum colorem referens, qui à longe in tenebroſis temporibus inter undas, veluti ignis accenſus, piſcantibus apparet.* Similem adducit *Thevetus* l. xx. Coſm. tom. 2. in Dania noſtra à ſe viſum, quem poſt eum accurate deſcripſit *Paræus* lib. 24. limaci ſimilem, dolium corporis mole æquantem, arboreis cornibus cervum, extrema cornua in orbiculos circumgyrata unionum inſtar ſplendere cervice craſſa, oculis accenſæ candelæ modo micantibus. In deſcriptione Iſlandiæ ſimilia tradit *Bleſbenius* monſtrum eſſe in ejus mari nominis incogniti, ſed balænæ ſpeciei. Cum caput ex mari oſtendit, homines ita perterrere, ut fere exanimati deci-

dant. Corpus nigrum & atris pennis obſitum, ſi quando noctu conſpicitur oculos igneos eſſe, ut totum caput, quod ex mari exſerit, illuſtret. A quibus parvo diſcrimine ſeparari putem *Vitulum Marinum*, animal magnæ molis, cui oculos non ita pridem in nundinis Patavinis adeo rubenti igneoque colore ſplendidos vidi, ut fieri vix poſſit, quin in tenebris ſub lucentis facie non prodeant. In eo præterea animali, ut hoc ſtrictim prætereundo addam, cum *Ariſtotele Plinioq;* vidimus in ſicco quoque degere modo ex aquis elatum & ſupino ſitu dormientem, modo arctiori fluctu ſubmerſum. Mammas nullas, ab aliis viſas, obſervare potui. Vmbilicum vero in corporis medio habuit, & quatuor alas, pedes vocatas, vel ut *Plinius* pinnas, prope caput duas, ad caudam totidem caudæ in modum extenſas, in quibus ſpecie digitorum interſtinctiones numero digitorum pares ungulis ſuis ornata conſpiciuntur. Nares vitulinas relicta rima arctiſſime clauſit ne illaberetur aqua, rurſum ad excipiendum aëris refrigerium pro neceſſitate eas reſerabat. Oculorum denique igneorum nigredine temperatorum acie fixa præſentium obtuſum fere avertit. In Aſello minore oculorum nimbum adeo adverti ſplendidum, ut fidem piſcatoribus non derogem, noctu in mari conſpici poſſe currentem. Cryſtallinum etiam Clariſſimum omnia diſtinguentem videas, ſed ſphæricum & rectas ſpecies exhibentem, niſi tunicam dextraxeris. De Harengo piſce teſtantur piſcatores noſtri & refert quoq; *Ioh. Ionſtonus* in Thaumatographia Piſcium, tam magnis ſimul agminibus natare, ut præ multitudine ca-

ne capi nequeant. Ventribus verſus ſummum æquor obverſis lucere in aqua,& tantum de ſe emittere ſplendorem, ut non ſolum mare fulgurare videatur, ſed & vicinus aër illuminetur, ut inde uberioris piſcaturæ indicium fiat certiſſimum. De oculis eorundem ex recentiorum ſententia idem *Geſnerus* tradit, quod pluribus fatetur commune. Inter Recentiores illos *Olaus Magnus* eſt, qui lib.xx. hiſt. c. 29. de Patriæ noſtræ halecum piſcatura narrat: *Oculi ejus inſtar luminis noctu lucent in mari: imo quod magis eſt, hujus piſcis maximo motu, & reflexu vaſti ſui agminis, quaſi fulgura & coruſcationes per æquora excitata apparent, fulgura halecis communiter nuncupata.* Sed quia de patria ſermo incidit, Magno Olao apponam *Olaum VVormium* illo & majorem & veriorem, qui de Scorpio piſce hanc à ſe viſam hiſtoriam mihi ex Vrbe patria tranſmiſit ut inſtitutum meum, ut ſolet, promoveret: Emerat in foro piſcario nuper ancilla mea inter alios piſces ſcorpium marinum, Schonveldio ſic dictum, nobis vulgo *en Vlk*, hunc quum excoriaſſet, ac exſuvias cum capite, in locum ſordibus excipiendis deſtinatum projeciſſet, poſt dies aliquot illac circa crepuſculum tranſiens famulus, vidit inſolitam lucem in tenebris ibidem micantem, quæ terroris haud parum ejus animo incutiit, unde domeſticos reliquos convocans oſtentum demonſtravit. Qui attoniti cum aliquandiu lucem hanc aſpexiſſent, ex iis animoſior quidam propius ſe admovit, quid ſubeſſet rei exploraturus. Offendit vero caput & corium piſcis exenterati, quod in diem ſequentem ſtudioſe aſſervavit. Mane me convenit ac rei

geſtæ hiſtoriam pluribus expoſuit circumſtantiis. Iuſſi corpora luminoſa adferret, quæ ſemiputria in angulum Muſæi abdidi. Aliquoties vero in diurno lumine verſanti ac tractanti, nihil tale animadvertere licuit. Veſperi vero ingruentibus tenebris, rem, ut narravit; comperi: diligentius vero & accuratius obſervanti, quatuor quaſi diſcretæ luculæ oculis obverſabantur, ex quatuor diverſis capitis partibus emicantes ſupra quemvis oculum una, ad inferiorem mandibulam utrinque una. Hæ autem partes unde lux emicabat, per candelam luſtratæ, non ut corium reliquum, nigræ, ſed candicantes & mucoſe obſervabantur. Spectaculo hoc per noctes quatuor aut quinque diverſis temporibus oculos pavi, aliiſque id monſtravi, donec calore ambientis exſiccatum caput, paulatim lumine diſtitueretur. Humidum igitur illud lentum & mucoſum in ſubjecto niveo ad putredinem diſpoſito, ad hujus lucis naturam multum contuliſſe arbitror. Hactenus de Scorpio piſce Magnus *VVormius*. Eadem veritate Lucii piſcis caput ſplendere & cutem aſperam Soleæ marinæ *Lingnata pallaja* Neapolitanis dictæ, locorum illorum incolæ obſervant, ut & oſculum Erinacei marini. Idem de cauda Paſtinacæ marinæ decantat *Rondeletius*, quæ eam fortaſſe ob cauſam adeo venenatos ictus infert, ut ne in forum Neapolitanum inferre, lege ſit cautum. Cauda quoque *Sturionis* ex lapidibus ſæpe ignem fertur elicuiſſe, innata dubio procul ignium virtute.

Verum & aliam præter evidentem in piſcibus lucem latere ex ſignatura lucis quam gerunt nonnulli,

nulli, colligerem. Sunt enim piſces quidam in certos apices ſtellarum in modum diffuſi ut radios ſi non lumine, figura ſaltem exprimant. Horum genera innumera ſecundum numerum tantum radiorum diſtincta, Stellæ marinæ appellatione venientia; quarum quædam carnoſiora in æquales cirros exporrecta à piſcatoribus *Venetis* quotidie in foro expoſita, quædam ad eſum ob teneritudinem inepta ſenſus delectant potius quam ſatiant. Ab eminentium radiorum numero diverſa modo in quinque tantum pinnas, modo octo, modo decem ampliantur, modo alia fertilitate radiorum luxuriant, quorum tractationem accuratam concinnavit *Rondeletius, Aldrovandus, Beſlerus, Imperatus*, aliique. De ſtellis marinis octo decemque radiorum eductis *Fabius Columna* in Obſervat. Aquat. & Terreſtr. c.3. brevis eſt ſimul & accuratus. Octoradii ſtellæ inæquales à centro radios ducunt, quatuor nempe breviores triplo, reliquos longiores atque magis impares, ſemipedali diametro, radios ex umbilico craſſos latoſque admodum obtuſam habentes aciem proferunt, colore ſuaverubente. At δεκασπασυαχλινοειδῆς, ſeu, ut à colore Neapolitani nuncupant, Zaffurana, decem apicibus croceum fulgorem promit, quo in aqua etiam dulci conjecta vivens illam ſuo colore diluit & quæcunque deinceps madida tangit. Vario colore diſtincta reperitur velut maculoſa partibus quidem cirrorum luteſcentibus, aliis albicantibus, rubentibus aliis, aliis denique pullo colore. Quinis radiis ſtellam ipſe ſervo in arenis maris Mediterranei ſublatam quum Latium petiturus ab inviis Sabaudiæ monti-

bus

bus paululum deflecterem. A centro ejus æquales eminentiæ porriguntur adverſa parte albicantes & lævo quaſi filorum contextu inductæ, averſa vero obſcuriores & terrenas ſordes monſtrantes, dentibus filorum ita invicem applicatis ut precantium digitos cancellatos æmulari videantur. In ipſo centri medio quaſi oculum ſplendentem præfert, ſive is natura ſive caſu ibi natus, arenulam enim fulgentem vel talei fruſtulum non male irrepſiſſe diceres. Similem ſtellæ piſcis in ſuos diſpartitæ radios ſubſtantiam in lapideam duritiem converſam in Muſeo celebri ſervavit *Calceolarius*, ut in rei fidem teſtatur ejus Muſei diſcriptor *Andreas Chioccus* ſect. 3. qualem quoque ex montibus Vicentinis erutam apud *Ioh. Dominicum Salam* Patavini Gymnaſii Theoricum ſummum Præceptorem olim noſtrum pridem ipſi vidimus. Quanquam vero externum hoc ſtellæ piſcis ſignaculum lucis tantum fictam ſpeciem & imaginem nudam repræſentat, duorum tamen nos admonet, vel ut internum lumen adeſſe credamus quod monſtrat ſignatura, magnorum effectuum alioquin magnus index, vel ut corporis ad accipiendam lucem conſtans temperamentum & promptam vim imaginemur. Signatura cœleſtium expreſſam imaginem exhibet quoque *Ericius* marinus ſtellatus in radios bacillorum forma & magnitudine effuſus, quem ex mari rubro advectum nuper Patavii apud *Franciſcanum monachum* videre licuit. Nec diſpar conditio Piſcis magnæ in Gaditano Oceano apparentis, quam ſimilitudine Rotam appellant quaternis diſtinctam radiis ex *Plinio* l. 1 x. c. 4. Signaturæ

turæ etiam ipſæ lucis ignitæ effectus conjungitur in ſtella marina minori apud eundem cap. 60. *Huic tam igneum ferrorem eſſe tradunt, ut omnia in mari contacta adurat, omnem cibum ſtatim peragat*, cujus meminit & *Olaus Magnus* lib. 21. cap. 37. quam diverſam oportet ab illa in ſuffimenti compoſitione pro peſtilenti aëre à *Mulomedicis* adhibita, ut auctor eſt *Publius Vegetius* lib. 4. Veter. cap. 12.

Cæterum ſatis de Brutis, quibus nemo mirabitur minoris quam hominibus divinioris ortus faces eluxiſſe, quia anima æterno lumine radians horum propia dicitur, non brutorum quibus anima non niſi pro ſale data, atque eorum, in ſanguine vita omnis & oritur & abſcedit. Hæc autem, ut *Caßiodori* verbis utar lib. 1. de Anima cap. 1. quoniam immortalis eſt, anima recte appellatur, quaſi ἄναιμα, ſeu longius à ſanguine diſcreta, ſine quo ſoluta vinculis corporeis perfecte & operatur & ſubſiſtit.

Finis libri ſecundi de Luce Brutorum.

THO-

THOMÆ BARTHOLINI

Caſparis Filii

LIBER TERTIVS DE CAVSIS LVCIS ANIMANTIVM.

CAPVT I.

De Cauſa Materiali Lucis Animantium ſeu ſubjecto ejus primario.

LVx ex genere inhærentium ſine receptaculo, quod ſubjectum à Philoſophis appellatur, nec ſubſiſtere poteſt, nec operari. Subjectum in duplici pono differentia, vel enim primarium eſt vel ſecundi ordinis. Illud voco quod tanquam in radice lucem continet à qua etiam radicativum diceretur, ſi barbaris eſſe liceret. Secundi generis ſuſceptivum lucis erit, quod primarii illius influxum recipit à quo dependet. Ea in univerſi luce ratio & ſplendoris derivatio. Primarium Sol, in quo, ut ſubjecto primo, ſtabulatur lux & radices agit. Ab hoc in univerſas ſubjecti mundi plagas diffunditur lumen quod oſtentant & immiſſitio radiorum ſplendore obſcuriores partes illuſtrantur. In corporibus animatorum quodnam primario officio lucis originem ſuſtentet non æque expeditum erit definire. Pro corde tamen grandis ſuſpicio, quod ut caloris omnis eſt promptuarium à quo per medios Spiritus

tus in ſubjecta membra pro neceſſitate diffunditur, ita vero ſimillimum erit cum calore lucis ſplendoriſque in corpore efflореſcentis individuum fulgorem emittere. Ejus ſententiæ patronum appello *Chryſippum* Stoicæ ſectæ principem, quem accipimus ſtatuiſſe, viſionem hoc pacto fieri, quod à principali parte animalis, quam ἡγεμονικὸν appellant, Corde ſcilicet, recurreret igneus quidam Spiritus ad oculorum pupillam turbinis figura, qui ex oculo egrediens per alteratum medium ad objectum ferretur. Cujus veritatis evidens argumentum præbent vehementiores animi offenſi motus, quibus in corde turbati Spiritus & ebullientes latentem lucem cum calore fervido in vultum diſpergunt, unde fervent ora ex *Senecæ* Oedipo:

Ardent minaces igne truculento genæ,
Oculique vix ſe ſedibus retinent ſuis.
Violentus, audax vultus, iratus, ferox.

A quo fomite os rubere & oculos flammeo vigore efferveſcere in ira probat *Alexander Aphrodiſæus* Probl. 104. Sect. 4. Quoniam ira ſanguinis & Spiritus fervor eſt circa Cor, à quo in oculos elevantur cum Spiritibus ardentes fulgores, quos in amore & ira medios deſcribit *Ariſtænetus* lib. 1. Ep. 7. τὸ ὄμμα, καίπερ ἀγανακτούσης, ἡδύ. ὥσπερ καὶ τὸ τῶν ἄστρων πῦρ· φῶς μᾶλλον, ἢ πῦρ: *fuit oculus quamvis excandeſcentis ſuavis, veluti ſiderum ignis, lumen magis, quam ignis.* Aliquid ſimile vidit *Galenus* 2. de rat. victus t. 44. in coruſcatione oculorum, quam ab evaporatione quæ à ventre fit propoſuit. Quem luminis fontem ex ſupra relatis exemplis deducerem, ſi ſingula ad has partes vocare eſſe operæ.

Æſtuans

Æſtuans circa præcordia ardor ex pugnæ fervore Lucium Marium illuſtrem ſtitit. Et generoſi Tullii, Aſcanii, Vbambæ Spiritus in ortus cœleſtes exſurgentes futurarum dignitatum prænuncii contineri in cordis ſinu non potuerunt quin exſurgerent & latentis animi, cœleſtis lucis, ſecreta maturo indicio panderent. Non uſquam autem locorum, niſi in corde, ſtabulantur generoſæ ſcintillæ & micantis pectoris fervores. Reliquorum viſas luces ſi eadem lance expendas cordis aliquo calore ebulliiſſe, ſive ab ira excitato, ſive amore, ſive eminenti intelligibilis facultatis ſplendore, cujus Cor fundamentum ex ſententia Philoſophorum. In brutis par ratio, niſi quod à ſola caloris abundantis ſede lucis ſenſibilis ſubjectum in illis Cor exiſtimemus. In cujus ſubjecti ſenſum ducit laudata ſuperius experientia Hyænæ diſſectæ, cujus Cor ſcintillis emicuit. In reliquorum autem inſectorum genere, cordis veri vices quum gerant analogæ quædam partes, eædem quoque nativæ lucis fundamentum erunt. In Cicindelis & muſcis cauda, cordis æmulum, & pulſat & totius lucis ſedes habetur. Quum autem animalium corda duplici ſubſtantia conſtent, ſpirituoſa una, altera craſſiori, Spirituoſam pro ſubjecto lucis proximo & primo amplectimur, Spiritus enim lucent primi & in totum corpus delati cum calore vitalem fulgorem diſpergunt. Quod non ignoravit *Alexander* in Problemate laudato, quando ob tenuitatem ſurſum in ira ferri à Corde Spiritus & exhalationes ſanguinis ſubtiliores vultum oculoſque rubicundo ſplendore perfundere propoſuit.

Hæc

Hæc pro corde ſi cerebri ſocietatem excludant, miſere laborabunt. Cerebrum pro ſubjecto principe animalis lucis non pauca agnoſcunt ſi perpendamus. Princeps quippe membrum nobiliſſimæ qualitatis receptaculum primum eſſe merebatur, & quum in reliquis expreſſam cœlorum imaginem præferat, in luce defeciſſe infra partis præſtantiam fuiſſet. Ab ea lucis prima ſede diviniſſimum apud *Platonem* nuncupatur & vere ἱερὸν *Homero*, quod, ut Deus cœlumque, lucem in ſe primario officio conſervat. Spiritum quoque animalem generat lucidiſſimum quo oculos illuſtrat & totam ſubjectæ compagis ſubſtantiam preſſa ſignificatione irradiare & illuſtrare à Medicis dicitur. Accedit pro receptione primaria lucis aptiſſimum eſſe cerebrum ut in ſublime elatum, quo naturali ſua levitate lux fertur, quanquam imbecillius hoc pro cordis ſede æque militat, à quo, ut centro, quaquaverſum, inſtar Solis lucidorumque corporum, radii diſſeminantur. Evenit tamen non raro in Syncope & lipothymia ceſſante à corde influxu & impedito illius ſplendoris excurſu, illuſtrari nihilo ſecius nativo colore vividoque fulgore corpus, indicio evidenti omne illud à cerebri irradiatione dependere. Pro corde in Apoplexia aliiſque cerebri affectionibus à cerebro intercluſo aditu, ſplendoreque, idem momentum applicaret, quippe ſine cerebro vita adeſt & eluceſcit ſuo ſplendore ſolito animalis ſtructura. Vehementiora cor urgent alia, quæ in ſubjecti poſſeſſionem caput aſſerunt. Enimvero vitales Spiritus à Corde fabrefacti exiguo, vel ſane nullo lucis veſti-

gio clarent, quum cerebri animalis Spiritus ipſa luce clarius ſplendeat. Et hiſtoriæ lucidorum repugnant, quæ in corde nihil ſimilium affectionum edunt, in muliere enim Veronenſi cor ne tantillo quidem febris calore fervoreque tentatur, ſuntque ſplendentium corporum exempla reptilium aquatiliumque, cordis perfectione deſtituta. Ipſam in cerebro omni lucem, manifeſtius obſervamus micantis forma in cranii recentis apertione nullo in cordis anatome ordinaria lucis fulgore. Ita conjecturarum diverſitate de ſubjecto varie ambigi poteſt, quam amicitiæ ſtudioſus de facili compoſuero, ſi dixerim utramque partem in ſubjecti ſocietatem venire duplici reſpectu, vel lucis inhærentis diverſitate, vel majoris minoriſque ſubjecti ratione. Cor ſubjectum princeps dici poteſt non omnis animalium lucis, ſed tantum craſſioris, quæ igneæ flammæ majorem miſturam habet, ejus enim naturæ eſt fervidior ſanguis quem in vultum iratum irructat,

—— magno veluti cum flamma ſonore
Virgea ſuggeritur coſtis undantis aheni,
Exultantque æſtu latices. ——

Vt canit *Virgilius* lib. 7. Æneid. Elegantem ejus rei hiſtoriam ex nupero Compendio Phyſico *Ioh. Danielis Horſtii* diſp. 4. th. 9. depromam: Vxor enim paſtoris cujuſdam in vicinia indignabunda aliquando marito extrema quum minaretur, flammam circa caput fertur concepiſſe. Nam in corde ſuſcitatæ irarum ſcintillæ ad caput delatæ ibidem prodierunt. Quæ lux vitalis alia eſſe non poteſt ob ſubje-

ſubjecti calidioris domicilium. Vnde colligeret fortaſſe aliquis ſcintillantem & urentem ſplendorem in plurimis viſum ex corde, ut ſubjecto, emanaſſe. Cerebrum vero purioris & ſincerioris luminis & author & ſubjectum naturali fulgore vultum oculoſque illuſtrat ſine urentis ſpecie, cujus lucis ſinceræ veſtigia circa caput plerumque, ut proximum ſubjectum apparuerunt. Placet tamen conſenſus alter, utramque partem ſubjectum lucis noſtræ appellandam ſecundum majorem vel minorem ordinem, quem Philoſophi analogicum ſubjectum nominarent, ut uni magis competat appellatio quam alteri. Redit interim difficultas, quam notavi, utri harum primarii ſubjecti dignitas & prærogativa debeatur. Arbitrii mei ſi eſſem facilius ut me ſalvarem, pro Cerebro facerem primo omnis animalium lucis ſubjecto. Perſuadent antea adducta & indicia non tralatitia. Ad ſubjectum lucis perſpicuitas cum craſſitie & ſplendidius temperamentum requiritur, quod candido ſuo calore lucis amiciſſimo cerebrum oſtentat, non Cor obſcuriori facie triſtius, quod nec in omnibus reperias, quæ lucent, nec ſi adſit quidquam præfert ſplendoris. Aquatilium & inſectorum pleraque vero corde deſtituuntur, cerebro nulla. Et ſequioris ſexus homines lumine illuſtres cor quidem habent, ſed imbelle nullis ferventium luminum ſcintillis emergens, cerebro autem abundant ubi plerumque lucem advertimus. Ita igitur habendum arbitror. A Cerebro, ut ſubjecto principe, emanare lucem ſinceram partes inundantem, in corde vero in animi motibus, ean-

dem incendi & in flammam craſſiorem converti, qua ſcintillantes oculi, inquinata luce animali, pro tempore mutantur.

Cap. II.

De Subjecto Secundario Lucis noſtræ.

Ex primario ſubjecto emanans lumen per ſingulas diffuſum partes novæ inhæſionis rationem induit, quæ in ſubjecto ſecundario conſiſtit. Manifeſtativum apta nomenclatura vocatur, quod vel in ſubjecto primario latens lux, vel in toto diſperſa, in certa parte manifeſtata eluceat. Manifeſtationis cauſa obſcura non eſt, quam in cœleſtibus orbibus obſervamus & illorum luce. Diffuſa enim hæc per omnes mundi angulos, inviſibilis manet, & in ſubjecto communi, donec ad proprium aliquod per condenſationem determinetur, ubi apparet quæ ob raritatem manifeſta non erat. Ita lucem noſtram per totam creaturæ compagem æqualiter diffuſam ad unam particulam determinari condenſationeque viſibilem fieri agnoſcimus, ut ſubjectum manifeſtationis exſurgat. A qua autem cauſa vel condenſetur lux vel ad particularem partem cumulatim ex toto impellatur dictu difficile. Quicquid ſit vel eo trahitur vel pellitur, ſponte enim illuc ferri vix videtur quia indifferens lux & indeterminata quaquaverſum ſe diffundit. Pelli poteſt à Spiritibus vectoribus, qui in certas partes ſubinde irruunt, ut in inflammationibus eſt videre, quod præcipuo munere fieri videmus in iis qui ſpiritibus abundant ut centro ſuo contineri non

non poſſint; efferuntur enim ob copiam & tenuitatem, ſurſum verſum deorſum illuſtrando. Ad quam pulſionem pondus addere imaginationis vim credo, quæ in ſpiritus lucemque cognatam imperium exſerit, unde melancholici non pauci & mulieres ad fingendum imagines apta corpora ſæpius in parte aliqua externa lucem prætulerunt. Trahitur ab ipſis partibus quæ illuſtrari amant. Amant luce inſigni perfundi ob perſpicuitatem, quæ omnis lucis eſt ſubjectum & gratum & neceſſarium, naturalique inſtinctu omne Diaphanum lucem appetere fertur, ut cognatam à quo perficitur, quia ſecundum Philoſophum, lumen eſt perſpicui actus, ut perſpicuum in ſe lucis potentiam tanquam coævam habeat, quæ ad actum ſuum ſemper aſpirat & perfectionem quam ex luce trahit. Ejus rei veſtigia in diaphanis corporibus elucent, gemmis lucentibus & perſpicuis, aliiſque rebus quæ ob raritatem ſubſtantiæ pellucidæ lucem in ſe ſemper & concipiunt & manifeſtant. Hinc tamen ipſa lux videri poteſt ſponte quoque ad partes determinatas copioſius fluere ſi ſint diaphanæ. Actus enim feruntur in ſuas potentias. Partim ut perficiant, partim ut evidentius ipſæ videantur, quæ in obſcuro corpore, ut carcere, ſopitæ jacent & ignotæ. Non ſolum autem ſubjectum particularius lucem manifeſtat quia copioſius eo lux influxit, ſed requiritur interdum ejuſdem lucis condenſatio, quæ per lucidorum atomorum in raro ante diſperſorum arctiorem copulam fit & congreſſum. Ita enim lucis condenſationem exerceri imaginor. Hæremus autem, à qua

 cauſa

cauſa violenta vel naturali conſtipatio atomorum lucis inſtituatur, & certe diu dubiam mentem traxit, nec adhuc ex difficultate eluctatus ſum. Concurſum fortuitum cum *Democrito* inducerem ſi per ordinatam naturæ legem liceret, quia nuſquam certa ſede elucet lux, ſed ubicunque in unum concurrunt atomi, ſubjecto tamen apto, ibi ſplendor partis emicat. Non ideo naturæ ordinatum curſum everto, qui in ipſo atomorum concurſu eſſe poteſt nobis inſciis, & ex defectu rationum confuſionem fingentibus. Quid ſi ad cœli imperium confugiamus, quod inferiora omnia ſolo nutu moderatur? Sed veritatem hoc pacto modeſte ignorabimus dum longius remotas cauſſas accerſimus. Rudius loquar ut rem propius tangam. Nuda appoſitione lucis cum luce augetur lux & illuſtratur in partibus, quæ ſucceſſivo temporum intervallo abſolvitur. Non enim eo momento condenſatum fuit lumen quo apparet, ſed ultimum denſitatis gradum expectat, qui per ſucceſſionem partium ſponte & naturali impetu ad Diaphanum concurrentium acquiritur. Qua partium lucidarum diuturna appoſitione ex via Lactea ſeu potius cœleſti materia ignitas ſtellas, quas Cometas Græcia vocat, & novas alias exſurgere arbitror, ut novas creari infra naturæ perfectionem eſſe videatur, & Dei majeſtatem, quæ operum ſuorum terminum dudum poſuerat, quanquam ex præexiſtente jam materia aliam quandam formam de novo producendi libertatem ſibi ſervaverit, per quam pro inſtanti neceſſitate alia ex aliis elicit ſuppoſita ſibi, quæ ante erat, materia. Id enim mundi

mundi ejuſve operum perfectioni detrahit nihil, quia mutata leviter forma externa manet communis materia brevi ad priſtinum recurſum, quod contra Doct. *VVendelinum* in Phyſicis Contemplationibus Sect. 3. cap. 10. n. 9. notandum, qui in Parentem noſtrum p. m. levi illa inſtantia inſurrexit. Neque ex Magorum novo ſidere magnum ſententiæ contrariæ momentum eruet, quod exemplo caret, ut & ſæculum idem in quo humanis rebus divinitas juncta admirandos eventus produxit nunquam imitandos. Neque ad opera redit creationis alias unquam Iehova, quia quievit ab omni opere ſuo quod creavit, ut faceret, qua particula omnium actionum creationis ſequentium finem impoſuiſſe denotavit Moyſes non ſolum dierum ſeptem. In quam interpretationem egregie diſſerit *Rabbi Iſaac* in Opere Achedad Iſaac Introd. 4. ubi creationis triplicem gradum conſtituit, primum ex nihilo primi diei, maxime miraculoſum, ſecundum ex aliquo reliquis diebus factum ex ſuppoſita materia primo die creata, tertium quotidianam creationem includere ſeu generationem reliquis perfectiorem, quia finis operum, minus vero miraculoſum. Incepiſſe autem hanc creationem initio ſeptimi diei, quia ſexto die dictum fuit, *Et finiti ſunt cœli & terra*, quam creationem quies ſeptimi diei ſucceſſit, in qua opus erat ſine opere ceſſandoque laborare Deus dicitur, quia non operando fecit ut reliqui operarentur. Vnde illud explicat quod ſubdidit Moſes: *Vt faceret*, referendum eſſe ad Naturam, Deum enim quieviſſe ut reliqui facerent quod ante quie-

 tem

tem nequiverunt, hoc eſt, generatione ſucceſſiva multiplicarentur, non creatione prima. Hinc addidiſſe in clauſula ſeptimi diei, factum ex veſpere & mane diem, quia motum tempus ſupponit, qui nullus erat ceſſante motu creationis, talis quidem qui primis fuerat dictus. Quodnam vero fuerit opus ſeptimi diei ambigunt non pauci, quum ceſſatio ſeu quies non minus ſit opus quam motus. Ejus dubii ſolutionem *Rabbi Iſmaël* filius Ioſeph à Patre habuit, ut refert *R. Iſaac* idem ex *R. de Medras Rabba*, ingenioſam ſatis quantum conjicio. Sicut enim faber, v. g. in diei ultimo momento elevans malleum, proximo noctis primæ puncto quieſcere ſine actione dici poteſt ſi ſuo pondere ſinat malleum delabi, ita & Deum ſex diebus attollens malleum, ſeptimo ſponte ſua deprimendo ceſſaſſe dicit, omniumque operum ſuſcepiſſe creationem, ut ſeptimo die cum ejus quiete ipſa motiveri motu generationis, non amplius creationis, auſpicarentur. Sed ad luminis conſtipationem regredior, quæ in aëre à ventis vaporibuſque non raro oritur, unde ad lucem arctam accedens ignis in materia accenſili flammam excitat & Meteora ignita ſplendentia producit. Negandum vero non eſt ad concurſum hunc luminis, impulſum ſiderum poſſe plurimum, tam in majori mundo, quam noſtro minori, quod innuere viſus eſt *Theophraſtus* lib. Metaph. c. 2. quum circularem inferiorum motum à cœli motu ordinari dixit, ſubditque, quod primum eſt ac diviniſſimum, quæ optima ſunt, velle omnia. Nihil autem luce luciſque præſentia melius, quam idcirco perfectiſſimum

cœlum

cœlum pro viribus promovet. Externa cauſa violenta etiam ſuas hic partes agit, quæ oculos ſplendere facit micantibus luminibus, ſola manus attritione & luminis interni per palpebrarum anguſtias coarctatione. Denique ad certum ſubjectum membrorum determinatur nativa lux per remotionem ſubjecti inhabilis & impedientium rerum. Attrita enim metalla duraque corpora, ut dentes, ſcintillas non alia ratione emittunt, quam per rarefactionem craſſa removentem obſtacula quibus lux interna & impeditur ſimul & clauditur. Quæ cauſa eſt, quod ad cutem prorumpant ſcintillæ in Veronenſi Muliere & aliis à levi frictione & manuum tactu, ut & ex pilis equorum feliumque, quod leviter remotæ ſordes & excitatum turbatumque ſubjectum abundantem interioris corporis lucem poſſit proferre. Ita & in Carne Monſpeſſulana & Patavina lux, niſi abraſa pelle, detegi nequiverat. Ad hunc plane modum Moyſes ſplendorem faciei produxit poſt jejunium, & Salvator divina luce transfiguratus emicuit, quia humorum terreorum tenebris expedita lux in ſe reducta clarius producta, ut non obſcure innuunt *Caballiſtæ*. Vnde ingenioſi alii primos homines diviniori ſplendore luxiſſe arbitrantur ante lapſum, quia herbis veſcebantur, non carnibus pituitoſis humoribus magis ſcatentibus. Non alia ſane ratione aqua vitæ, quo purior, eo ardet facilius & tinctis linteis flammam conciliat. Impurior autem ob phlegma ſubſidens difficilius ardet, ſecus ac *Anthonio Santorello* Viro Docto l. De Sanit. Natura nuper viſum eſt. Ad ſubjecti vero manifeſtantis

eſſentiam neceſſaria eſt perſpicuitas & corporis ſui raritas ex partium conſtituentium tenuitate, ut diſpoſitam jam lucem per diaphanum corpus tranſmittat. Quemadmodum lucernis noſtris inclusum lumen tranſparet per perſpicuum corpus appoſitum, laminas corneas, vitreas vel chartaceas: ita & ex noſtris animalibus ſplendor emicat in partium tenuitate.

Ad cujus effati veritatem operoſiori opera non indigemus, quum ſenſui nihil æque compertum quam à medio denſiori tranſeuntium radiorum curſum ſiſti. Media contra diaphana, qualia aquæ, & aëris & cœli tanta promptitudine lucem & imbibunt & tranſmittunt, ut non medium ſubjectumve videantur ſed ipſius lucis promptuarium & ſedes. Sat erit juſta ſerie lucis animalium ſingula ſubjecta huc advocare, quæ id commune habent omnia, ut ſi ſponte ſua ſplendeant, diaphana ſint & rarioris ſubſtantiæ. Ordine expendamus ſingula. Lucentes homines ex duplici præcipue ſubjecto lucem evibrarunt, cute & pilis, utroque ſua raritate perſpicuo ut eorum interior Anatome propalat. Cutis & externo lævore ad lucendum apta, & pororum frequentia emittit facile lumen vel oſtentat. Pili illuſtri colore eminent, quod cavi tanquam canales lucem continere ſimul & efflare ſint apti. Frequentius perſpicui oculorum orbes fulgoris ſubjectum cenſentur, ex quibus continuo ſere fluxu emanat. Organicum autem hoc membrum ex pluribus partibus coagmentatum certam quandam particulam ad ſubjecti conditiones diſponet, quæ qualis ſit, incertum. Cryſtallinum humo-

humorem in animalibus noctilucis Galenus voluit, *Lactantius* pupillam *Aquilonius* tantum Iridem. *P. Vegetius* l. 2. Vet. cap.16. in Equorum ſuffuſione, membranulam lumen continentem indignatione caloris diſrumpi cum dixit, ſubjectum una indigitavit, quod tunicam putavit corneam, quam inter & uveam ſuffuſiones fiunt ex *Celſi* mente l. 7. c. 7. vel ſolum corneam, ex opinione *Aegineta* l. 6. c. 21. Pro tota oculi orbita Spiritus facit, qui per totum diffuſus omnia illuſtrat. Sed commune hoc ſubjectum, proprium inter oculi particulas non excludit, quod ut inveniam tria fundamenti vice præmittam & ſupponam. Primum erit, ſubjectum in tali parte conſtituendum quod naturæ ſuæ origine ſit perſpicuum, id enim ad recipiendum & proferendum lumen requiſivimus ſupra. Secundum: ne inventa pars perſpicua viſionis primarium ſit organum, quia quum ſenſuum inſtrumenta ut ſenſibilia percipiant pura eſſe debeant nulla externa qualitate infecta, ſi lucem primarium organum primo reciperet, viſibilia omnia non ſub ſpecie propria, ſed aliena lucidaque ſine diſcrimine videret. Tertium denique ſuppoſitum ſit: in oculo illud primo luminoſum eſſe quod mobile, molle & tactui cedit. Quod extra oleas noſtras videbitur. Neceſſitatem tamen inde colligo, quod ex oculis per compreſſionem lux exiliat. Compreſſio vero ejus partis ſit quæ ſine noxa premi poteſt, & ob fluxibilitatem huc illuc dimoveri. His poſitis de ſubjecto noſtro judicium ferat Lector. In primo convenit cryſtallinus, aqueus & vitreus humores, ut conſpicui principes, deficit Iris & aliæ

aliæ partes non æque lucidæ. A ſecundo autem cryſtallini humoris prærogativa labat. Quippe ad organi primarii dignitatem cryſtallus concurrit qui vitiatas ſpecies intellectui offerret ſi à lumine inſito primus tingeretur. Nec in compreſſione hic patitur aut atteritur, cui partis nobilitas repugnat & teneritudo. In orbita autem oculorum dictis conditionibus quæ prædita ſint præter aqueum humorem inveniuntur nulla. Quod ſubjectum idcirco lucis oculorum ſtatuere poſſumus, juvantque ſuffuſiones ſeu Cataractæ, quibus depoſitis cum aqueo humore non parum lucis expirat. Voluit fortaſſe aliquid non abſimile Empedocles quando non ab membranis, ſed, ut à laterna, interius exire lumen dixit, & per circularem pupillam diffundi. Nervum Opticum ad hanc claſſem referrem ſi per conditionem ſecundam permitteretur. Quando quidem continuo Spiritu animali turget lucido, & illuſtratur, quin pro ſubjecto ſupponi poſſit non dubitarem. Difficultas ab *Aquilonio* cryſtallino oppoſita ex æquo nos premit. Intuentibus Cattorum oculos lumen latum apparere circulare affirmat, nigra in medio macula inſignitum, quæ pupilla eſt cryſtallino objecta: hanc autem ſolam coruſcare ſi ab intimis oculi receſſibus lumen proſiliret. Notandum autem ex umbra vicinorum colorum in Iride hanc maculam fingi præſertim uveæ tunicæ adeo variæ & mobilis, ut à felibus pro lubitu contrahatur ad pupillam vel ab ea dilatetur. Et dicat mihi *Aquilonius*, quare ab Iride ejus ſplendente adeo vicina, exigua illa pupillæ macula non illuſtretur & obducatur? Pro ſe re-

ſe reſponſum objectioni reponam, quare videlicet ab interiori luce egrediente in medio macula relinquatur, ſcrupuloſius enim rem excutere inſtituti operis non feret ratio. Videtur enim patulum eſſe debuiſſe eo loci oculum, ut vel abſorberet lumen vel emitteret. *Lactantius* hic excuſandus, quod pupillæ vocem laxius ceperit pro interiorum compage quæ ex pupilla elucet. Iridem in Cattis ſolam ſplendere ab experientia probat Opticus Clariſſimus. Quod uti non negaverim de apparente & reflexa ab interioribus luce, quippe varia colorum diverſorum mixtura facile inumbratur & lucem reverberat: ita de reali luce & permanente ſi interpreteris amplecterer quidem, ſed ab Iridis natura alienum clamarem quæ in apparentibus acquieſcit. Lux autem Catti viſa permanens eſt ſine reflectione eodem ſitu firmata, quæ in oculis ab interiori ſubjecto dependet. Accedit diverſas in diverſis eſſe Irides ob uveæ tunicæ varietatem, lucem vero plerumque eandem, unde ſtabilitatem ſubjecti eadem facie ſemper apparentis poſtulat, quam & in nervo, & humoribus obſervamus. Binis aliis rationibus contra cryſtallini humoris claritatem agit *Aquilonius* quæ authori Doctiſſimo defendenda relinquam. Vna earum hæc eſt: Si cryſtallinus haberet lumen, ipſum extra oculum proſiliet, idemque reflexum denuo ad cryſtallinum redibit, quare idem ab eodem patietur. Altera vero: Lumen à cryſtallino emiſſum aut jam fortius redibit, quum ſit lumen ipſum oculo inſitum, ſicque hoc obruetur, ac fruſtra erit. Aut debilius, & ita ab innato lumine vincetur, & ſic nil

oculus

oculus unquam perſpicit. Vtraque id habet vitii, quod omne lumen emiſſitium ad viſionem emitti ſupponat, quum effluere poſſit quamvis ſpecies non revehat, ut in tenebris, nempe ubi ut innatum lumen non ut viſivi radii exeunt. Sed eo conceſſo abſurdi nihil prius argumentum infert, idem enim ab eodem patitur & pati aptum eſt diverſis temporum ſpiramentis & modis, lociſque, quæ latitudinem habent. In altera diverſum lumen innatum imaginatur ab eo quod ad videndum ejaculatur, nec denique advertit lumina invicem non abſorberi minora à majoribus, ut à balena piſciculi, ſed amico nexu jungi intendive. Sunt tandem inter ſubjecta manifeſtativa lucis animalis internæ, & membranæ & pinguedo, & caro quævis tenuiori ſubſtantia diducta. Raræ membranæ & tranſparentes, pinguedo, & alba & poroſa. In pinguedine agnina maxime obſervata lux Monſpelii, ut & membranis pinguedinem continentibus circa Renum regionem pinguedinis feracem, ut & in membranis pleriſque reliquis oculis cerebroque communibus, horumque circa angulos obvolutis. Caput enim agninum experiundi gratia quum in ſubterranea loca tenebricoſa importaſſent nonnulli, tantos circa oculi orbitam & capitis pleraſque partes membranoſas radios, tantum lumen conſpexere, ut diem inferius ortam & lucernam ſplendidiſſimam tenebras eluſiſſe juraſſent. Non abſimilis lucernarum facies & ſplendor per diaphanam membranam medium externum illuſtrans. Maxime tamen in pinguedine agnina hærebat, quæ etiam à carne ſua ſeparata lucebat ſplen-

ſplendore manibus aliiſque rebus vicinis communicato, ut fidem una fecerat muliercula. Scilicet eſt hoc ſolenne luminum receptaculum & fidus cuſtos, ob oleoſitatem & lentorem, unde hinc ſcintillàs è muliere Veronenſi bono corporis habitu prædita per cutem exſilire à ratione alienum non eſt, qua pinguedine humorum & crines ſplenduerunt in aliis & accedente flamma cognatæ naturæ, arſerunt. In hoc ſubjecto frequentius luminum faces accenduntur, & prope patibula, cœmiteria oleoginoſaque loca elevati vapores pinguedinoſi imbibita luce Meteora ignita efformant quæ ignes fatuos à viatorum errore vocamus, & in antennis ab exhalationibus ſive marinis ſive incluſorum navigantium oleoſis ignes labentes hærent quos Dioſcuros ex fabulis antiquorum nuncuparunt, lucida ſidera *Flaccus*, marinos fulgores igneſque *Arnobius*, *Xenophanes* nubeculas motu reſplendentes. Pinguedo autem eſt quæ flammæ & ignitæ & lucentis firmius ſubjectum. Ex quibus in promptu ratio, quare in exſtinctis agnorum corporibus lux tamen per ſequentes dies eadem facie remanſerit? Huc nempe tranſlata lux viventis arctiori & tenaciori pinguedinis ſubjecto irretita ante ſe extricare non potuit quam cum toto pinguedinis compages diſſolveretur. Elegans autem dubitatio apud curioſam mentem enaſcitur, à qua materia pinguedinis ſubſtantia ad ſubjecti firmioris conſtantiam diſponatur? Ab oleaginoſo illo omnia dependent, quod inſtar glutinis viſcique aves implicat. Oleaginoſum ab aëre mutuatur viſciditatem, quo abundat, ſi authoribus noſtris credimus,

dimus, non quod viſcoſus ſit aër, ſed quod eo a-
bundans pinguedo pororum raritate & crebrita-
te illuſtretur & ad retinendum velut in loculis diſ-
ponatur. Vnde ad ſubjecti lucis conſtantiam fir-
matur, quæ in perſpicuitate radices agit. Poteſt
tamen & aliquid albicans pinguedinis color lumi-
nis & æmulus & filius, cui lumini debet quod flam-
mæ ſit propior. Candida autem in corporibus
noſtris omnia fere, ſi perſpicuitate vel tantilla pol-
leant, animalis luci pro ſubjecto lubentia ſe ſub-
mittunt, ut cerebri albiſſimos gyros ſubinde efful-
ſiſſe ratio conſtet. Perſpicua pro ſubjectis fre-
quentiora docent lucentes clunes Inſectorum, qui
diaphana raritate à toto corpuſculo lumen abſor-
bent & oſtentant. Ab hoc tamen ſubjecto diver-
ſum ſentit *Plinius* lib. XI. cap. 28. l. 18. c. 28. in hia-
tu pennarum lucere Lampyrides quod ad ſenſum
apparens in *Plinio* ſuperius reprehendimus, cujus
authoritate deceptus *Baptiſta Mantuanus*, alas vo-
cat ſplendidulas. Ecl. I.

Splendidulis jam nocte volant Lampyrides alis.

Denique in perlucidis humoribus tutius requieſ-
cit lux, concharum exemplo & piſcium, quos,
quum pro Cauſis lucis æſtimentur ab aliis, ſuo lo-
co reſumemus. Quippe verſatur maximus aliquo-
rum in eo error, ut lucis ſubjecta pro cauſis ven-
ditent confuſione vix excuſanda, unde tam pin-
guedinem, quam alios humores huc advocant pro
lucis principio. Sed de ſubjecto apparitionis hæc
breviter. Subjectum appropriatum eſt totum cor-
pus, quod lucem diſperſam quidem ſinu ſuo fovet,
non ſecus ac mundi congeries aërem cœlumque
per

per omnia continuata ſerie diſtributum, ſed ob raritatem non oſtendit niſi ad certam partem condenſetur, inuſitatum quippe eſt, ut antea notabamus, totum corporis ſubjectum appropriatum, ad proximum determinari, quum tanta in mortalibus non ſit cœleſtis materiæ ubertas, ut ubique ſibi ſimilis ex æquo omnes partes illuſtret.

Cap. III.

De Subjecto Lucis Externæ.

PRæter interioris lucis interiora ſubjecta extrinſecus incurrens Lumen, parum diſpar ſubjectum amat, in quo reflexum hæreat, & radios reddat concreditos. Receptum lumen duplici modo recipitur ab ſubjectis, authore *Averrhoë* com. 49. l. 2. de Cœlo. vel per reflexionem vel penetrationem. Reflexio fit in ſuperficie nuda repræſentante extrinſecus lumen per radiorum recurſum. Per penetrationem in interiora patula recipitur lumen, quod ut ſuum per tempus referunt. Poſteriori modo Lunam recipere lumen à Sole putat ob inæqualitatem partium abſorbentium lumen. Vtroque vero viventia externi luminis irradiationem recipere exiſtimo. Per hunc quidem ob patentes corporum inæqualium hiatus, per illum ob externam levitatem. Ex horum genere ſunt fulmine percuſſi, qui lumen quaſi imbiberunt, non ſecus ac Minerale illud Bononienſe per eandem penetrationem externum lumen refert. In illorum numero externa ſunt corporis animantium integumenta incurrentis luminis primi inhiatores, cutis nempe, pilus & ſquama. De cute

facici Moyſis diſerte ad veritatem Linguæ Sanctæ, Antiqua Pentateuchi verſio Venetiis 1551. cum Rabbinorum commentis edita, Exod. 34. *Et Moyſes neſciebat, quod in modum cornu radiaret Cutis faciei ſuæ, &c. Videbantque filii Iſraël Moſi, quod radiaret cutis faciei Moſi.* Quo referendi quicunque à nobis Libro Primo cutis ſplendore emicuiſſe ab externa luce dicti ſunt. Pilos pennaſque excipiendo reddendoque fulgore promptiſſimos antea quoque ſuo loco expoſitum, & avium pleraque genera atteſtantur, quæ variata colorum apparentium diverſitate commiſtum lumen intra pennas alterant. Eadem felicitate idem adventitium lumen experiuntur ſquammæ in piſcibus non paucis reſplendentes. Subjecti hujus ad recipiendum illatum lumen promptitudo à lævore dependet & aſperitate ejuſdem, quod, ut contraria, fronte prima effectum idem producere non videntur. Componam tamen utrumque parvo negotio. Corporum glabrities, & nullis inæqualitatum eminentiis aſperitas lucem facile admittit & celerrime quaquaverſum excurrentem diffundit non ſecus ac in plano ſe expandunt cœleſtes radii & facili impetu vicinam planitiem inundant gurgites extravaſati, cum hac tamen cautione ut in planum vibrata lux ob ampliorem ſubſtantiæ ſuæ expanſionem minoribus radiis recurrat, & ſplendoris ſui vehementiam parum augeat, niſi lævori cavitas accedat, quæ ſucceſſiva inæqualitate ad aſperum declinat. Tale erat Archimedis famoſum ſpeculum, & clypeus Thraſonis, de quo ipſe apud *Comicum* Act. 1. Sc. 1.

Cura-

Curate, ut ſplendor meo ſit clypeo clarior
Quam Solis radii eſſe olim cum ſudum eſt, ſolent.
Vt, ubi uſus veniat, quod conſerta manu
Oculorum perſtringat aciem in acie hoſtibus.

Talis quoque galea apud *Claudianum* in Nupt. Hon. qua

Solitas galea fulgere comas.

Et alibi:

—— *procul igneus horror*
Thoracum. ——

Lævorem hunc corporum ob ſubjecti forſan aptitudinem pro fulgore ipſo traduxerunt antiqui formarum ſpectatores, unde lævia ora fulgere dixit *Tibullus*, & depiles genæ lævi pueritia ſplendicare *Apulejo* placuit, quid? quod docebat *Ariſtoteles* lib. 1. de ſenſu & ſenſ. lævia quælibet participare aliquid luminis, & ſplendoris. Alibi tamen noſtræ doctrinæ objiciebat polita terſaque apta quidem eſſe ad producendum fulgorem, ſed non ad mittendam lucem, exemplo animalium quæ noctu perpolita dum volant, aërem nocturnum terendo fulgent, ut & gemmæ, diaphana perpolita apta ſunt ad fulgorem non lucem. Vera hæc, ſed quum de lævibus diaphanis ſermo ſit, quod ipſe de aqueis & aëreis explicat, quæ lucem non figendo ſed tranſmittendo fulgorem ſolùm retinent, nobis nihil officiunt. Quippe ſubjecta noſtra lævia cum glabritie ſoliditatem miſcent quæ incurrere lucem non tranſire patitur, ut in ſpeculis res manifeſta. Aſpera parum diſſimili ratione ſplendent, inæquali enim ſuperficiei eminentia receptum lumen intra anfractus colligunt, collectum multi-

plicatis per crebram alliſionem, ſeu, ut Optici loqui amant, repercuſſionem, radiis fecundius remittunt. Doceant id aſpera montium juga & ſolidorum inæquales parietes qui cum fenore duplicatum lumen expendunt. Aſperitatem non nudam ad ſubjecti externi dignitatem introduco, quæ in corporibus animantium vix occurrit, ſed aliquo lævore interſtinctam omnis inæqualitatis in nobis ſociam, ut ex miſto hoc aſperitatis & lævitatis commercio diſpergatur lumen ſimul & clarius emergat. Quia à corporum aſperitate ſola, ut inquit *Vitellio* l. 15. th. 1. ſunt pori & foveæ, quas ſubintrans lumen redit quidem, ſed cum umbra permiſtum. In iſta qualitatum tertiarum copula non acquieſco, ſed præter lucem neceſſario admiſcendam, aliud ad ſubjecti lucentis perfectionem deſidero. Lux interna ſubjecti cum aliis principiis in efformanda accuratiſſima ejus mixtura primas partes egit, & ea promptitudine informavit ad cognatam ſibi lucem inbibendam, unde pro hujus quantitate illuſtrius ſubjectum facilius imprimentis luminis ductum ſequitur, candidaque, lucis plena, ad ſubjecti ſplendorem faciunt plurimum, & cana ſenum capita ætatis decora ſplendent quum ad futuram obſcuritatem reliqua emarceſcant. De candido equi colore, muriſque antea retulimus, & in Cauſa Efficiente fuſiorem calamum inſtruemus. Sed aliud eſt quod in ſubjecto luminis capace miramur, exquiſitam illam inæqualitatis æqualitatiſque cum luce mixturam, qua temperatum temperamento exactiſſimo ſubjectum, ad reverberandum & retinendum fulgorem diſpo-

diſponitur magis hoc quam aliud. In omnibus enim temperamentorum generibus medium quoddam eſt perfectiſſimum, quod ab utroque latere diſcedens in mediocre degenerat, quale in qualitatibus primis eſt temperies ad pondus omnium mixturarum trutina. Eandem mediocritatis exquiſitam ſpeciem in ſecundis elementorum formis imaginari quid vetat, quæ cogitari potius quam digne exprimi poteſt. Imitantur eam preſſius perſpicillorum ſpeculorumque artifices, qui varias angulorum eminentias, & , ubi opus, planities vitris exquiſita manu inducunt, ut ad recipiendam lucem variis anfractibus reddant aptiora. Præluxit iis ipſa Natura & lineamenta accuratiſſima duxit in pretioſorum lapidum anguloſo ſplendore, avium pennis, & animalium pilis, qui mirabili colorum varietate lumen immiſſum reddunt. Quod elegantis temperamenti medium quiſquis in ſubjectis negaverit, vulgatos lapides & ligna rudiora intueatur, quibus contemplatis non dubito quin diverſitatem reſilientis luminis in utroque æquo judicio diſcernat. Cui ſimilem vel certe majorem in facie *Moyſis* temperaturam imaginor, accurato ſubjecto efformato ad ſummæ lucis receptionem. Lucem hinc fœnerabitur omne viventium Lucis ſubjectum, cui vulgo exprobratur quod in omnium corporibus quibus idem ineſt, non tamen eodem ſemper ſplendore emergat, quum infinita ſint viventium individua, quæ nec in toto, nec in partibus luceant. Sciendum enim ad productionem luminoſi corporis non ſubjectum ſolum ſufficere, ſi reliqua cauſarum genera emanant,

neant, ſed concordem omnium concurſum de-
ſiderari, tam internorum quam externorum, &
præter concurſum, inſuper & concurrentium ju-
ſtam efficaciam. Lux ſubinde & plerumque
parcior illuſtrando ſubjecto non ſufficit, niſi
vel augeatur, vel condenſetur, quod difficili la-
bore & raro fieri nemo ignorat, niſi ſi ab ortu tan-
ta lucis ſit copia, ut, dato idoneo ſubjecto, o-
mni tempore ebulliat. ſæpius à ſubjecto obſcu-
riori impeditur fulgor, & obſtaculis præfixis ſopi-
tus jacet. Nonnunquam cœli poſitus abeſt ad in-
feriora neceſſarius ut latentes in obſcuro vires lu-
ceſque excitet. Tandem ſubjecti temperies ex-
quiſita illa, quam deſiderant, rarior temperamen-
to ad pondus, & in idem medii punctum vix ali-
quot ſeculis truditur, ut, quod de campanis vulga-
tum, inter mille formas vix una alteri, quoad ſoni
ſimilitudinem ſeu identitatem, ut barbare loquar,
ſit ſimilis, propter diverſitatem ex minimis ſur-
gentem, id quod in facierum innumerabili varie-
tate cum ſtupore admiramur, quam & loquela,
inceſſus, ſtatura & alia, eadem diverſitate in ſin-
gulis diſcrepent.

CAP. IV.

De Lucis Animantium Eſſentia.

SI quid in lucidiſſimo Animantis mundo obſcu-
rum, lucis certe ejus eſſentia ſeu Forma inter ſe-
cretiores tenebras immerſa latet, ut, quod de
Tempore dixit ille, potiori jure huc quadret; in
luce & cum luce vivimus, quid autem ſit lux igno-
ramus. Dicendum tamen aliquid, ne operis mu-
tule-

tuletur perfectio, idque ex Doctorum ſententia, quippe & nos; quod de Stoicorum doctrina dicebat in Hermoteno *Lucianus*, Peripati etiam placita didicimus; ac ſi ſecundum ea philoſophari vellemus, ſed quæ dicuntur ab aliis non ignoramus, imo quid reapſe ſit, ignorare non pudet, quia majorum exemplo ignorantur. A priori, ut vocant Philoſophi, fere nullius naturæ formam ſcimus, unde ab Effectis in cognitionem ejus ſæpius irrepimus. Lux autem Animantium neutro modo patet, quia utroque latet; nec niſi obſcuriſſima ſui veſtigia reliquit. Ad duorum generum alterum refertur, vel primi ordinis, quem ſubſtantias vocant, vel ſecundi, qui Accidentis eſt ſeu Eventuum, ut Latinius *Lucretius* loqui amat. Subſtantiis accenſeri non meretur, quia ſui juris non eſt, ſed ab altero ſuſtentetur ut in ſubjecto, quod contra ſubſtantiarum majeſtatem per ſe exſurgentem clamat Peripatus. Accidentium igitur ſeu Eventuum ordini reſtat ut ſe adjungat in claſſe Qualitatum, à quibus tale corpus dicitur, nempe lucidum. Qualitas eſt, non ex primis ſecunda, ſed prima ex latere Caloris, frigoris, &c. quia ſui generis eſt à nulla primarum reliquarum dependens nec à commixtione illarum, orta, ut colores, quod falſo quidam aſſeruerunt, quanquam ſine aliqua qualitatum primarum vix eluceat. Subſtantiarum ex cohorte, aliqua evincunt, & ponderoſa quidem rationum momenta, quæ, ut palam fiet, animum ad neutram aſſeverantium partem ſuſpendunt. Animantium enim formam Subſtantialem ſi dixeris, neſcio quomodo effugiemus.

Probatur. Quo poſito ponitur animalis vita, ejus cenſenda erit forma, adde & quo ſublato, tollitur. Id de Luce Animalium inſita verum experimur, qua præſentia vitam, abſentia mortis tenebras trahit. Et hoc tanto magis, quanto pro Animæ Luce fortius probavimus. In Anima enim præter lucem vix admiramur aliud, quæ & motum & perennitatem habet ex natura lucis, abſente autem anima obnubilatur corpus & deſtruitur. Præterea nobiliores conditiones inter ſubſtantias lucem noſtram evehunt, quippe, ut hæ, qualitatem injurioſam ſibi adverſam habet nullam, unde omnis corruptionis nube exempta vi naturæ ſuſtinetur. Probabilia hæc aliaque afferuntur, ut probabiliter ſolvantur, in quo deſudabo. Formam viventis non eſſe lucem animalia Montiſpeſſulana & inanimata plura evincunt, quæ in mortuis corporibus lucis ſervarunt fulgores. Oggeri hic poteſt, reliquias fuiſſe præcedentis lucis animati, quæ firmius ſubjecto viſcido irretita poſt vitam remanſit, non aliter ac incluſi ſubinde arctius Spiritus abſciſſo & capite, & corde ſæpius amputatum membrum & corpus totum moverunt ſummo aſtantium ſtupore. Id Amſtelodami quum eſſem cuidam capite truncato eveniebat, qui horulæ ſpatio erectus nullum ante caſuri ſignum monſtrabat quam à Carnificis manu deturbaretur. Non abſimile *Verulamius* in Hiſtoria Vitæ & Mortis exemplum refert cujuſdam exenterati & per rotam diſſecti, qui aliquo poſt tempore loquutus eſt corde exempto & partibus à toto ſeparatis. Paria quoque experiuntur bruta, galli decapitati diutius ſubinde poſtremam iteran-

iterantes ſaltationem. Simile quid Luci in mortuis accidiſſe indicio erit, quod extinctæ illorum luci, ut formæ reliquiis, ſubita putredo in partibus ſucceſſerit. Solvo duplici reſponſione. Primo alia eſſe, & plurima, noctilucentia in ipſa putredine, ut ligna putrida, & ſquamæ & capita & oſſa piſcium putreſcentium, ſine vitæ reliquiis. Præceſſerunt fortaſſe & in carne Monſpelienſi putredinis gradus, de quo ſuo loco. Deinde dum Spirituum exemplo utimur & huic dubitationi & priori ſatisfiet, quum vita conſiſtit non in ſola luce, ſed lucis ſubjecto, quod Spiritus ſunt, quos comitantia lumina vitam ponere & auferre ex parte dici poſſunt, vel ſi ad rem propius loqui velis, conſiſtit vita in luminoſo Spiritu qui includitur & lucet. Non tamen eo ſenſu quaſi ſine vita lux eſſe nequeat, quæ & in lapidibus & emortuorum quiſquiliis emicat, ſed quod in corporibus animantium Spiritus ſint prima lucida & omnis lucis, etiam in eorum imaginibus, fontes. Vnde quum remaneant ſubinde partibus detruncatis firmius incluſi Spiritus, non mirum etiam lucem ſupereſſe idoneo ſubjecto ſuffultam. Anima vero ſi lux ſit, neceſſario lux noſtra eſſentialis formæ & ſubſtantiæ vices gerit. Diſtinctione unica rem expediemus. Anima enim vel ſanguis eſt Spirituſque ſolum naturalis & animalis in ſanguine, quæ brutorum propria; vel præter hunc altiorem quendam gradum Divinitatis aſſequuta, ut ſupra ſanguinem, Deum ſapiat ejuſque originem, quæ ſuperioris Numinis beneficio hominibus contigit. Si de priori anima ſit ſermo, jam extra difficultatis

aleam ſumus, lucem eſſe & ſubſtantiam, ſed ſubje-
cti ſolius reſpectu, qui Spiritus eſt, ſinu ſuo lucem
complexus. Si de hac quæratur, nec illius lucem
inficiamur, ſed à noſtra luce mortali mortalibuſ-
que aliis communi diſtinctam, divinioris Origi-
nis & ſupra ſubſtantiarum ſortem fere evectam.
Ab hac enim homines dicimur, ut parte altera
principe, quæ cum vita terminatur etiamnum in
crudo cadavere ſuperſtite calore, ab illa, ut qua-
litate lucida, lucidi. Contrarietatis ſenſus oppoſi-
tus non jugulat, quæ qualitatum non ſubſtantia-
rum in gratiam lucis ſubſtantiæ eſſe propria pro-
nunciatur. Non tamen hoc conatu à Qualitati-
bus eximitur Lux, ſed ſingulari privilegio dona-
tur, ut, tanquam cœleſtis qualitas, cœli conditio-
nibus particeps, contrarietate elementorum va-
cet. Si quidem nec in ſublunaribus novum Qua-
litates quaſdam ſine contrariis emergere, ut exem-
plo ſpecierum ſenſibilium & intelligibilium, nec
non viſibilis figuræ, contrario carentium docet *Pa-
rens* noſter p. m. in Aſtrologiæ Theoremate VIII.
n. IV. Ratum ergo ſit Animantium lucem inter
qualitates obtinere locum, à quibus ſubjecta, talia
dicuntur. Augereque primarum qualitatum nume-
rum, ut quinta ſit ſui ordinis & conditionis, neque
enim calor eſt, neque frigus, neq; ullius humidita-
tis ſiccitatiſve per ſe efficiens, ſed peculiari eſſentiæ
ratione à reliquorum conditione ſeparata. Quam
ſi quæras in quo conſiſtat, primo ſi nolo, ut apud
Comicum eſt, non reſpondebo, quia de ea tacent
alii. Quod ſi ſilentio ignorantiam male tueor, idem
de hujus qualitatis proprietate edicam quod de
vulga-

vulgatis Philoſophi, qui quærentibus quid caliditas, frigiditaſque ſit, reſpondent qualitatem eſſe calefacientem, frigefacientemque idonea objecta. Parili enim pacto lucem dicam qualitatem eſſe quintam diſpoſita ſubjecta illuminantem. Sed in eodem mecum luto hærent dum ab effectu, non eſſentia, quæſitæ rei explanationem deducunt. Latet forma & profundo merſa, quam quæcunque eduxerit ingenioſior manus, hæc demum ſuo

Sit felix Domino, notaque Cæſaribus.

In Controverſiam Doctorum immittam, quod de eſſentia lucis eſt reliquum, utrum à cœleſti differat quam corporibus noſtris clauſimus? Negandi partes audacter ſuſtinebo, niſi in contrarium flectant feliciora ingenia. Lucem enim inferiorum eadem facie prodeuntem obſervamus, Origine eandem & parem effectu, nec ulla ad diſcrimen neceſſitate pellimur. Lucet & alia illuſtrat, ut cœleſtis, & ab hoc defluxit, ſicut utraque ad idem creationis momentum ſpectat. Diverſa ſunt tamen gradus excellentioris exceſſu, qui in cœleſtibus eminet, imbecillior noſtra & ad illam collata exilis, quarum gradus diſpares non magis luces diſtinguunt, quam calores. Id vidit quoque *Soſigenes* præceptor *Alexandri* 3. de Viſu, quum de Noctilucis diſſerit: *Flammulenta hæc quadantenus naturam ætheris & quinti elementi participant.* Videor inſtantiam pati poſſe ex vi majoris argumenti. Enimvero ſi cœlorum luces inter ſe ſejunguntur, ut alia ſit claritas Solis, alia Lunæ, alia Stellarum, ex Oraculo D. *Pauli* 1 Corinth. 15. majori profecto veri ſpecie ab illis lux inferiorum diſtingui-

ſtinguitur, & noſtræ inter ſe luces, ut alia ſit claritas ſentientium, alia Vegetantium, alia hominis, ignis alia. Sed in eandem differentiam concedo, modo idem reſpectus. Gradibus omnia inter ſe, de quibus Apoſtolus, non eſſentiæ ratione recedunt, qui claritatem ſingulorum ad diverſam perfectionem determinant. Vna tamen omnibus lux ut Soli Lunæque, ita animantibus ignique quamvis gradu inter ſe contendant. Proprietates eſſentiam lucis comitantes, cenſentur; Contrarium non habere, &, quod ſequitur, corruptionis omnis expertum eſſe. Quippe contrarietas in elementorum cadit naturam, quæ repugnanti actione invicem adverſantur, idque ut generationis & corruptionis viciſſitudines redeant. Cœlum autem æternorum corporum nutrix, ſimplici naturæ proprietate contrariantes actiones fruſtra exercuiſſet. Vnde quæ luci objiciuntur, vere adverſa non cenſentur. Neque enim Tenebræ aut Opacitas luci contrariantur, partim quod privatio ſint, & abſentia tantum ſeu defectus lucis, partim quia perſpicuitati, ut medio, non luci, opponatur opacitas. Hæc ex Peripateticorum decreto, à quo ſi experiundi genii gratia, paulum deflectamus, dicendum vel hac ratione nullam qualitatum elementarium contrarium habere nec conſequenti paſſione generari aut corrumpi, vel ipſam lucem animalium contrarietatis capacem & interire & regenerari. Qualitates enim elementares non generantur ſed educuntur occultæ, nec corrupuntur, ſed expelluntur ex ſubjecto, ut caliditas cum igne ab adventante frigore aquæ non patiatur corruptionem, ſed expul-
ſionem

ſionem è ſubjecto alterius qualitate imbuto, neque annihiletur aër, ſi effluat, neque terra ſi alteri cedat. Hinc tamen diſtinctionem elicio, ex duplici ſtatu elementorum. Vel enim conſiderantur ut mixtorum partes, vel reſpectu propriæ eſſentiæ. Ad miſtum collata, interire dicuntur quando ab eo ſeparantur vel dominio ſuperioris occultantur, ad ſe vero ſine miſtionis temperamento conſiderata, nullius interitus ſunt capacia niſi cum Vniverſi deſtructione. Par lucis animantium conditio & immortalitas in ſe conſideratæ, interitus quoad mixtum quod intrat, à quo ſubinde per vices vel expellitur, vel occultatur & extingui dicitur modo tardiori, modo maturiori exitu, diſſiparique verius & à ſubjecto excludi, quod frequentes tenebrarum & lucis viciſſitudines in animalibus teſtantur. Nec abſonum rationi foret, æqua lance cum elementorum qualitatibus ponderari lucem noſtram in aliquo contrarietatis ſenſu cui expulſa cedit. Suadet rerum ordo in variarum qualitatum perfectione conſtitutus, & crebræ mutationes quas in utroque mundo noſtro experitur. Imaginatione potius quam oculis cerno lucis claræ contrarium, quod diligentioris alicujus ſtylo & diligentia relinquam primas umbras duxiſſe contentus. Dicam quod veri ſpeciem habere videtur. Sint luci Vmbræ contrariæ quibus impeditur ſplendor, obſcuratur lux & tingitur colore noctis luminoſum, quarum in animantibus & pleriſque ſublunaribus vis præcipua, ut lucem habere quam oſtentare verius de illis jactetur. Ab obſcuriorum elementorum connexione & miſtura hæ in

lucem tenebræ effluunt, à quibus expedita, ut carceribus, ſuo nitori redditur & fulget; proque illorum quantitate & miſtionis firmitate clariori vel obſcuriori luce excellimus, & quæ plus umbrarum tenebricoſarum admiſta habent fortius luci adverſantur, quæ minus debili lucem obſcuritate tingunt. Hinc colorum in corpore varietas, pro vario lucis umbrarumque congreſſu & inter ſe conflictu. Id quod ex ſimili *Vitellionis* doctrina eruo, qui lib. 2. Opt. pet. 7. Lucem res coloratas pertranſeuntem illarum coloribus colorari docet, ut patet de luce tranſeunte vitreas feneſtras, quæ illorum vitrorum coloribus informata, ſecum formas illorum defert. Quod in colore obſcuro lucem tingente, ab experientia docemur, ab umbra quoque fortius obſcurari, umbræ corporum docent in luminoſo aëre nebulas generantes & averſas nigriori facie imagines fingentes. Clarius ad mentem noſtram *Alhazen* lib. 1. Opt. c. 3. de rebus lucidis: *Si fuerit aliquod iſtorum corporum in loco obſcuro, & non fuerit in eo niſi lux parva valde; apparebit illud corpus obſcurum, & non diſtinguit viſus colorem ejus, & videbitur quaſi niger.* Lunæ obſcuratæ in totali immerſione coni terræ exemplo quotidiano manifeſtior veritas, quo à tenebroſa terrarum umbra obruitur lux ſideris nocturni & quaſi extinguitur, donec illa imminuta ad ſe redeat & tenebras eluctetur. Eandem luminis moderationem in Iride à nebuloſis vaporum umbris ſuſtinent radii ſolares, & alias in aërem non ita ſincerum incidentes ad ruborem cum nigredine mixtam obnubilantur. Effulget quippe exigua ſua luce mi-

nus

nus in obſcuro medio Choaſpites lapis, authore Iſidoro lib. 16. c. 7. & fulgidum in nigro aut per nigrum, colorem facit puniceum ex *Ariſtotele* in Meteorologicis. Quam niſi contrarietatem vocemus, quid ſit contraria, ſcire optarem, à qua deſtruitur lux & occultatur, nec unquam in eodem ſubjecto perfecta eſſentiæ ratione concurrent. Dices umbras & tenebras eſſe privationem tantum lucis in ſubjecto perſpicuo, vera autem contraria hic deſiderari. Sed præter privationem umbras aliud includere ex operatione reali liquet, quod partim obſcura corpora reddat, partim ſenſus vere lædat in nimiis tenebris extinctos. Nec ſola perſpicui privatio, quod indifferens eſt nullius per ſe neque lucis, neque tenebrarum proprium. Erunt igitur tenebræ oppoſitum luci, illi ſuccedens & officiens, propriamque naturæ eſſentiam, luci contrariam, inſtruent, quam, ut alia, ignorare me fateor. Nigredo à contraria parum abludit, quam reale quid eſſe non dubitamus. Luci præterea animalis, alia lux ejuſdem generis adverſatur ſola, ut puto naturæ diverſitate non quoad eſſentiam, ſed conditionibus quibuſdam contraria. Conditiones illæ in lucis puritate vel impuritate, nobilitate vel ignobilitate, tenuitate denique vel craſſitie, ſeu denſitate vel raritate fundantur, à quibus variatur lux & lucentium rerum fata dependent, quanquam luce ipſa hæc magis ſint obſcura à nomine facile explicanda. Hinc occultæ amoris & odii ſcintillæ ſuſcitantur ſine cauſa notæ, de quibus Vates *Catullus*:

Non amo te, Voluſi, nec poſſum dicere quare,

Hoc

Hoc ſaltem poſſum dicere, non amo te.

Et à cœleſti non raro patitur, præſertim in fulminibus animalem lucem deſtruentibus, quam & invenimus ſupra, ob ſimilitudinem ſubſtantiarum evocari, unius conditione ad alteram vel eandem gradu tendente, vel diverſam, ad illam quidem ob naturæ paritatem, ad hanc vero ut alterutra perficiatur. Denique extinctio lucis cum vita celebratur quæ Contrarii eſt Actio, non naturæ, ſed ſubjecti, quando ſine luce vel externis cauſis expletur cum vehementia agentibus. Conditionum autem diverſitatis ſeu majoris, ſeu minoris, in manifeſtis fulminum, luminum, venenorumque incurſionibus manifeſtæ. Diverſitatem ſummam utriuſque lucis animalis à cœleſti argues, quæ nec corrumpitur, nec contrariis infeſtatur, probatum vero eſſe à nobis nuper naturæ ſuæ ratione neutram lucem ab altera differre. Sed in cœlo generationes corruptioneſque Cometæ inferunt, quas ibidem & natos & denatos obſervationes accuratiſſimæ Nobiliſſimi *Tychonis* noſtratis jam olim probrarunt, non diſſentiente Scriptura, quæ in *Pſ. 103, 19.* Solis occaſum ſeu interitum agnovit, & perituros cœlos ſicutque veſtimenta veteraſcere docet *Pſ. 101, 26.* Contrarietatem quoque in cœleſti natura cadere in Syſtemate Mundi credidit *Galilæus* quia in cœlo motus contrarii, ſurſum deorſum, &c. ad cœli perfectionem facere videntur. Adderem ego effectus contrarios ab aſtrorum luce & influentiis defluentes naturæ aliquam contrarietatem vel conditionum, indicare, quam ingenii vitio non naturæ ignoramus, ſi minus ſuperiora doctis ariſe-

riſerint, ut ſperare oportet in tantis obſcuræ naturæ tenebris.

CAP. V.

De Differentiis Lucis in Animatis.

DIfferentiæ à forma ſumuntur ex *Porphyrio* in Iſagoge. Vnde Qualitatis hujus primæ à cæteris differentiam à nota forma deſumam quæ in ſplendore conſiſtit puriſſimo, non ſemper actuali, ut loquuntur Philoſophi, ſed utplurimum potentiali ob diffuſos in tenuiſſimo atomos, facile ad actum reducendos.

Diviſio varia eſt, ab Accidentalibus tantum differentiis deducta, lux enim, ut probatum, una eſt eademque quæ & cœlum & elementa & animantia inſtruit ſimili forma & eſſentia. At accidentibus & qualitatum gradu in diverſa dirimitur. Quoad graduum diſtinctionem, Lux animalis alia clara eſt, alia imbecilliori ſplendore fulget, cujus diverſitatis occaſionem præbet cœlorum lux, quæ in Sole clarior, Stellis minor, Luna tenuior, de quo graduum ordine *D. Paulus* intelligendus, quando aliam Solis claritatem pronunciabat, Lunæ aliam, aliam denique Stellarum. Vnde apud Vatem ſacrum *Eſaiam* cap. 30, 26. populo pœnitenti ejecto Aſſyrio promittit Iehova parem luminarium ſplendorem. *Et erit, lux Lunæ ſicut lux Solis, & lux Solis erit Septempliciter, ſicut lux ſeptem dierum.* Hæc autem lucis diverſitas à copia inſitæ vel inopia, aut puritate dependet. A Colore exoritur alia lucis animalis differentia, inter lucem albam, viridem, rubram & fulgentem, quarum ſin-

gula ſuis aſtris debentur. Cum fulgore color albus, ruber & viridis conjungitur in nonnullis, alibi ſeparata ſplendent. Albus in agnina carne eluxit & Equo *Scaligeri* gallinaque, in Lampyridibus viriditatis ſpecie prodit lux, & aliis ab igneo colore rubedinem induit. Singulorum luces ex ſuis hiſtoriis petantur ordine ſuo relatis. Albam lucem Leoni quoque aſſignat *Martialis* l. x. Epigram. 62.

Albæ Leone flammeo calent luces
Toſtamque fervens Iulius coquit meſſem.

Et alioquin lucis naturalis hic color putatur, quia purus ſincerusque materiæ alienæ admiſtione innoxius. Soli proprius apud *Homerum* Il. 22.

Λαμπρὸν φάος Ἠελίοιο.
Albus ſplendor Solis.

Quem oculis inimicum doloris cauſam pronunciat *Galenus* lib. 4. de Sympt. Cauſis cap. 6. *Sicut cœruleus color jucundiſsimum eſt oculis ſpectaculum: ita ſplendor candicans, qualis in Sole cernitur, maximum ipſis dolorem inferre poteſt.* Quia tenuior protinus ipſam diſcriminat diſcutitque, ut paulo poſt idem explicat. *Cardanus* quoque in Subtilitatibus & Aſtrologia ſingulorum Planetarum colores depingens, Soli lucidum dat ac purum. Quo referendus Sacer textus *Prov. 4, 18. Iuſtorum autem ſemita quaſi lux ſplendens procedit, illuminavit uſque ad ſtabilitatem diei.* Qui ſplendor albicans Soli primo attributus in gradu excellentiori, Lunæ quoque proprius ſed inferioris ordinis, à quo ab Hebræis לְבָנָה Lebanah alba dicitur, & noctu claram candidamque lucem orbi obſcuro fundere decantatur in Amphitruone *Comi-*

Comici Act. I. Sc. 3. ab ipſo Iove adultero ob moram nocturni ſilentii:

Nunc te Nox, quæ me manſiſti, mitto, ut cedas die,
Vt mortalibus illuciſcas luce clara & candida.

Quanquam & de Solis luce explicari poſſit cui Noctis ater color cedere jubebatur. Apertius de Luna *Muſæus* in Leandro:

Οἷα λευκοπάρηος ἐπαντέλλουσα Σελήνη.
Qualis albo ſplendore exurgens Luna.

Splendorem candidum à ſideribus ad homines deducebat *Ovidius* in Epiſt. Leandri:

Quantum cum radiis fulges argentea puris,
Concedunt flammis ſidera cuncta tuis.

Ipſum æthera candidum clamat *Rutilius Numatianus* lib. I. Itinerarii:

Sed cœli plaga candidior, tractuſque ſerenus
Signat ſeptenis culmina clara jugis.

Quamvis enim ex *Scaligero* Exercit. 325. Lux neque ſit alba, neque albedo, quippe in aëre quoque videretur, atque viſum terminaret: hanc tamen illi albedinem accommodamus ob naturæ vicinæ puritatem, quum revera albedo non ſit quam in aſtris animatiſque videmus, ſed ſplendida & nitidior lux, nullis miſta nebulis. Vnde nitorem potius & micantem ſplendorem albedini ſimillimam Salvatoris veſtimentis attribuit *D. Marcus* cap. IX. verſ. 3. Καὶ τὰ ἱμάτια αὐτοῦ ἐγένετο στίλβοντα, λευκὰ λίαν ὡς χιὼν, οἷα γναφεὺς ἐπὶ τῆς γῆς οὐ δύναται λευκᾶναι: *Et veſtimenta ejus facta ſunt ſplendentia candida valde ſicut hyems, qualia fullo ſuper terram non poteſt candidiora reddere.* Quæ ſignificantius *Lucas* c. IX. verſ. 29. λευκὰ ἐξαστράπτοντα *cum fulgore intenſo alba expreſſit.*

Ab albida luce proxima eſt viridis & cœrulea, (Veneri appropriati colores juxta *Cardanum* l. d.) in animantibus diſtincta ſpecie effulgens, vel conjuncta. Ad hanc accedit Lampyridum ſplendor ſæpius à me viridis cum aliqua cœrulei miſtura viſus, & deſcriptus ab *Aldrovàndo* de Inſectis verbis rem acu tangentibus: Alvum habet anuloſam, in cujus extremo guttulæ duæ ignis inſtar pellucidæ, ſed è lucido igneo ad viride, ſeu ſubcæruleum tendentes, qualis nonnunquam flammæ eſt ex ſulphure incenſo color. Cœrulea fax oculis pleriſque inſidet, quando igneos radios ejaculari non obſervantur. Indicium inde capio, quod ſimilia à ſimilibus afficiantur grata receptione, cœruleus autem color, authore *Galeno* & experientia, jucundiſſimum oculis ſpectaculum exhibet, quia mediocri lucis obſcuritatiſque temperamento moderatam affinemque oculorum lucem non offendit, nec viſum ſpecierum tenuitate diſgregat, ſed unit. Ab igneo ſplendore denique lux animantium calidorum nonnunquam & rubet & flavet, præſertim qua Iovem Martemque ſymbolica ſimilitudine æmulatur, quas ſyderum ſcrutatores eo colore obſervarunt. Ab igneo prædominio flavedinem lucentem in partibus apparere author eſt *Ariſtoteles* putaticius cap.1. de Coloribus: τὸ δὲ πῦρ, καὶ ὁ ἥλιος, ξανθά: *Ignis autem & Sol, flavi.* Vnde & metallorum nobiliſſimum Aurum fulgore ſimili illuſtre advertimus, ob Solis affinitatem, igniſque & vilius à dilutiori colore album aurum λευκὸν χρυσὸν nuncupavit *Herodotus*, & chymicorum libris celebratum fertur, de quo ex varia eruditione plura

Caſau-

Caſaubonus de Coloribus & in Epiſtolis non ita pridem divulgatis. Differentiarum harum diverſæ ſunt cauſæ ab accidentibus depromtæ. Diverſitatem in ſideribus ad creationem primam referunt quamplurimi, quæ aliis cœruleum, album aliis, aliis rubicundum fulgorem implantavit. Subinde tamen ab illo deflectunt aliud mentientia aſtra. Idem de Lucis noſtræ varietate judicium fiet, quæ & inſita & adventitia, inſitam enim præter candidam in pleriſque & igneam, viridem in Lampyride obſervamus, adventitia fulgorem inſitum in aliam faciem mutat & coloris ſpeciem, vel per alterius materiæ coloratæ admiſtionem, vel per medii interjecti tincturam variam. Medium lucem variat, ut coloratorum vitrorum exemplo docemur, quæ lumen ſua ſpecie colorata infectum tranſmittunt, & pro vario colore tingunt. Hinc Iridis in nubibus variegatis differentiæ, & radiorum Solarium diverſa facies, modo alba, modo flava, modo purpurea. In quam rem aperta *Ariſtotelis* extant commenta 3. Metaph. c.3. de Iride: Apparet fulgidum per nigrum, aut in nigro (differt autem nihil) puniceum & per caliginem & fumum Sol apparet puniceus. Cui acclamat *Alexander* Quæſt. Nat. l.1. c.2. Ignem & Solem eſſe albos, fieri tamen flavos, Solem à vaporibus, quos lumen penetrat; & ob quos mane quaſi purpuraſcit, cum meridie flaveſcat magis. Nam matutino tempore vapores craſſiores humidioreſque ſunt, & minus diſſipati, meridano autem exiliores, quo fit etiam ut meridie lumen ſit ſplendidius, & Sol candidus appareat. Sed in animalium

luce crebrius permiſcentur vapores quam objiciuntur, unde cum illa miſti, ſive à generatione, ſive alio accidenti eodem coloris ſplendore tingunt quo ipſi depicti ſunt. Hinc in flamma rubicundus & flaveſcens fulgor à fumorum admiſtione & humidi pabuli, teſte *Philoſopho* laudato l. d. *Videre enim licet viridium lignorum ignem*, quod rubram habeat flammam, propterea quod fumo multo miſtus eſt ignis, fulgidus ex iſtis & albus. Quod & confirmaturus *Aphrodiſæus* l. d. ignem per ſe album flavum tamen emergere ratiocinatur, à fumo & humido cui permiſcetur, & in quo ſtabulatur. Non aliter ac Lunæ lumen cono terræ immerſum in rubedinem & obſcuritatem vergit, de quo nuperum de Lunæ obſcura Luce in Eclipſibus & Noviluniis Opuſculum Clariſſimi *Liceti* omnino legendum, qui hoc argumentum contra ſummum *Galilæum* ſumma diligentia tractavit. Nos alias Lucis noſtræ partitiones ſubnectamus. A Tempore ſplendoris, alia noctu tantum micat, noctu & interdiu alia. Prioris generis ſunt oculi ſcintillantes animalium omnium, Lampyrides, caro agnina, ſquamæ piſcium. Mulier Veronenſis non niſi noctu aut obſcuro loco ſplendens, & alia. Ad poſterioris ordinis claſſem referendi igniti Moyſis ſerpentes, piſces non pauci, ut Dactylus in ore lucens, omniaque noſtra ex quibus ſcintillæ per alliſionem excutiuntur, ut dens *Sojeri*, pili equorum, &c. Quæ eo ſenſu accipienda non ſunt, quod de die extinctum lumen ſit aut noctu accendatur, quum utrobique eadem in ſubjecto remaneat lux; ſed quod à fortiori majoris lucis ſplendore ſupprimatur

tur minor & abſcondatur, ut in diurna ſtellarum luce & Lunæ in conjunctionibus palam eſt, quod explicabat *Scaliger* ingenioſus Exercit. 71. n. 2. *Nihil patitur lumen minus à majore, ſed utriuſque producitur ſpecies. Et recipitur in medium minor ſpecies, quanquam à majori jam illuſtratum.* Sed nihil fit novum. Iccirco non videtur, quia non immutat, quod jam immutatum eſt. Et ad veri ſenſum *Franciſcus Patricius* l. 6. Panaug. lumen majus abſorbere in ſe minus & ſibi unire, & oculis proxime circumquaque circumfuſum ſeſe oſtentare, eoſque ſua claritate implere. Vnde non impeditis nec faſcinatis à circumjecto aëre lucido oculis in umbra nocturna & diurna puteorum, inter majus lumen apparent ſtellæ immerſæ, quas nobis vicinus aër diaphanus ſubduxerat. Rurſus ex ſuperioribus emergit Lucis Animalis diſtinctio magis vulgata & ad rem propior, nempe in lucem puram, ſcintillas & flammam, quo digitum intendebat Divinus *Plato* quando ignem (quo lucem ſignificat) triplicem inveheret, luminoſum, urentem & carbonem. Vrenti igni flamma reſpondet, ut ſcintillis carbo. Lux pura ex facie Moyſis effulſit, carne Agnina, Muliere Veronenſi & cæteris lucentibus omnibus, ſed non eadem forma, quippe in aliis continuato fluxu lumen diſtendit, ut in Moyſe, gallina Scaligeri, &c. in aliis interrupit & ſcintillarum effluvia figurat, inæquali lumine, unde ſcintillæ oriuntur carbonibus reſpondentes niſi quod ob materiæ raritatem non urant. Tales inæquales ſplendores ex muliere Veronenſi & oculis per vim eliciuntur & in carne Agnina fuerunt conſpicui, ve-

riuſque dicuntur micantes nitores quam ſcintillæ ignitæ quia vicina non comburunt. Si tamen ſtellarum inſtar ſcintillare dicamus ut inæquali lumine fulgentia, abſonum à ratione vix erit, quum eo nos ducat agninæ carnis tremulus ſplendor. Sed diverſitatem urgebis ſtellarum ſcintillantium ab oculorum è longinquo oppoſitorum fallacia aërisque tremuli ventilatione factam, qualis in vicina carne noſtra fingi non poteſt. Excuſabimus ſimilitudinem ſi cum *Scaligero* ſcintillationem in ipſa luce leviter mota ſtatuamus. Ita enim ille Exerc. 63. Scintillationem eſſe ex vi luminis non ſine quodam motu ſeſe ſpargentis, & ſub motu iſto ad viſum noſtrum delati. Iterum premit nos difficultas, unde motus ille luminis? *Scaliger* l.c. propriam iſtis ſideribus affirmat ſparſionem luminis cum motu ex eorum natura. Et ego in noſtris lumen neceſſario moveri puto, vel quia continuato fluxu ex luce procedit, vel quia ob ſubſtantiæ tenuitatem agitatur. In Schola Philoſophorum id parum tutum, quum lumen vel lux agitantis venti impetum non ſequatur, ſed ſolius ſubjecti motum cui inhæret. At immota caro agnina, ut ſtellæ mobiles, pari pacto ſcintillavit. Præterea admiſſo motu ſive ſubjecti ſive inhærentis, æqualis ſibi motus luminis oritur, non tremulus & vacillans. Scintillans hoc lumen à copia lucis coloratæ derivavit *Alhazen* lib. 1. Opt. c. 3. *Iterum invenimus, quod colores corporum denſorum coloratorum coloribus ſcintillantibus, ſicut Lazuleis, vinoſis & cœleſtibus, quando ipſa fuerint in locis obſcuris & lucibus debilibus apparent turbidi; at quum fuerint in luce forti,*

appa-

apparent colores eorum ſcintillantes & clari: & quanto magis augmentabitur lux ſuper ipſa, tanto magis augmentabitur ſuper ipſa ſcintillantis coloris claritas. Et *invenimus iterum, quod quando lux fortis oritur ſuper corpora denſa alba, augmentantur in albedine, & ſcintillatione apud ſenſum.* Vt vel nimia ſubjecti lux vel albedo ad ſcintillationem concurrat ex ſententia & experimento *Albazenis.* Vnde ſtellæ majori lucis albedini ſque miſtura variantes, ſcintillationi ſubjectæ eſſe debent. In carne Agnina lux & multa & clara, à qua ſi ſcintillet, videat curioſior. Ego ex ingenio addam quod forte occurrit. Motum in lucidis dari poſſe non ex natura lucis, ſed ſubjecti leviter moti, non aliter ac flamma ignis lucernæque à pabulo ſubminiſtrato & continua appoſitione pinguedinis humoriſque abſumendi continuo mutatur ſpecie motus apparente, quam ſubjecti mutationem in genere diminutionis per ſucceſſivam putredinem & reſolutionem partium in carne Agnina omnino imaginor. Ab hac vero ſubjecti lucidi mutatione ſeu motione, movetur & inhærens ſplendor, cui motui jàm demum accedit partium ſubjecti inæqualitas à reſolutione inæquali, ſicut & in igne ab appoſitione ſimul & abſumtione inæquali ſubjecti aſperum redditur & inæquale. Vnde in aſpero ſubjecto lux aſpera inæquali radiorum emiſſione ſcintillare videtur quum certatim invicem ſuperemineant, ut in coronis tori & campis tumuli. Quam conjecturam ut probabilem arbitrio Doctorum committo donec faciliorem aliam invenerint. Scintillæ ex Monacho Carmelitano, Muliere Veronenſi & oculis per vim le-

vem excuſſæ à ſuperioribus differunt nihil quoad lucem, niſi quod ab Objecto denſiori, cute piliſve continuitas cum atomis deferentibus abrumpitur, quæ continuato fluxu in humidioribus remoto obſtaculo flueret. Compacta enim temperies & ſicca illorum corporum eo modo ſcintillarum micas efflant & exprimi ab interiori luce patiuntur, quo colliſa corpora duriora fruſtulatim ſplendent. In ſcintillis autem id miraculi vicem tenet, quod cum ſonitu & crepitu erumpant Mulieri Veronenſi ut & flammæ ſpecie crepitantes ex dorſo brachiiſque Antonii Cianfii Piſani. Eadem ſine dubio hic ratio, quæ in igne nonnumquam crepitante obtinet, cui injecta ligna & ſalia cum ſonitu tonant, ab incluſo Spiritu rarefacto per calorem, exitum per vim quærente. Attenuatus enim per levem frictionem Spiritus intra cutem duriuſculam, magno conatu & ſtridore, quia loco anguſto contineri nequit, cum luce inhærente exſilit. Quam ſententiam juvat Mulieris temperies compacta, hepar calidius ſicciuſque bilioſo atroque ſanguine abundans, à quo & artus firmati & Spiritus compactioribus terminis anguſtati conſtringuntur. Quo vulgatus pyrii pulveris ſonus ſtridorque collineat, qui ab ejus Salenitri bombum edit authore *Lemnio* de Occult. rer. mir. l. 2. *Hujus qualitas illum in bombardis ſtrepitum efficit: nullo autem ſonitu nec tam valide explodi glandem contingit, ſi is eximatur.* Quæ cauſa magni ſonitus Veſuviani incendii fuit 1631. ut optime pertractavit *Vincentius Alſarius. Claudianus* ſulphuri affingit, in Ætnæ incendio lib. 3. de Rapt.

Crevit-

—— Crevitque favillis
Aetna novis ſtridentque admiſſo ſulphure rami.

Sonus tonitruum huc ſpectat, & ignearum partium colliſio, quæ in ipſo lumine per fulgores communicato remanere templi ſui viſione teſtatur *Geſnerus* de Lunariis. Denique, ut hinc nos extricemus, luci innatæ portiones pingues admiſtæ & vapores oleaginoſæ flammam excitant in animatis, quæ nihil eſt niſi ignis lucens. Aërea enim ſunt pinguia & ignis capacia, à quibus rarefacto corpore uſtibili prodit lux latens & per omnia diſperſa emergit, & fumis miſta vaporibuſque, flammæ denominationem mutuatur. Hæc Laviniæ Novercæ circa caput viſa ejus ornamenta combuſſit, ut decantat *Maro* l. VII. Æneid.

Atque omnem ornatum flamma crepitante cremari,
Regaleſque accenſa comas, accenſa coronam
Inſignem gemmis: tum fumida lumine fulvo
Involvi, ac totis Vulcanum ſpargere tectis.

Pinguiores ſolito tum crines habuiſſe Laviniam, ut facile flammam, à luce conceperit, arbitrantur Viri Doctiſſimi, quippe olei inunctio illo ævo, quam alias frequentior, & quum Gothorum Rex Bamba oleo inungeretur, minutiſſimas de ſe ſparſit flammas, judice Funccio in Chronologia. Alii à bitumine vel naphtha Laviniæ flammam accenſam conjectant, quod ſuis authoribus defendendum relinquam quum ab uſu ævi parum videatur abhorrere. Poterat ab internis oleoſis vaporibus ad caput, ut ſolent, elevatis per ſe inflammari caput eo quo explicavimus modo. Flammatus ſplendor

dor in animalibus ſubinde à veneno dependet natura ſua lucido, quod in Verme ſepticubito invenimus, de quo *Philes* in Iambicis de Draconibus Æthiop. Indiciſque:

Hunc ſi quis ad Solem in caput ſuſpenderit
Adverſus hoſtes colligent flammam humidam.
Incendii ſator ille namque mortuus,
Ceu ſuccinum, de naribus ſtillat adipem.
Cujus rigata guttulis ligna illico
Ardent ut igni: quin & hic muros liquor
Perrumpit ictu fulminis potentius.
His & liquoris Indiæ rex ignibus,
Abſumit urbes arduas incendio,
Tributa prorſus quæ recuſat pendere.

Ab eſſentia Lucis Animalis deprompta videtur ejus diviſio in Lucem, Lumen & ſplendorem, quæ in corporibus noſtris diſtincta viſuntur. Lux in fonte & origine per ſe lucido ſeu Cor id ſit, ſive Cerebrum. Lumen in partibus diaphanis ut illius imago receptum. Splendor imaginis lucidi ex Lumine, imago lucida. Hæc utut ab authoribus rigoroſis pro diverſis habeantur, eadem tamen vocum notione uſurpamus, qui unicam tantum in Animatis lucem credimus ambitu ſuo omnia uno ſignificatu comprehendentem. Lumen enim quid niſi lux continuâta per partes ſingulas per quandam à fonte, ut vocant, emanationem? quamvis enim in ſede aliqua reſideat lux, tanquam parte principe, tamen ſecundum radicationem id intelligendum ut de anima notant, quæ in ſingulis partibus eſt eadem & tota, licet in Corde radices primas jecerit; ita lumen, quod à luce in partes pro-

ductum dicitur, lux eſt à luce principis ſedis continuata. Splendor denique præter lucis continuatæ reflexam imaginem, vel, ſi preſſius liceat mentem explicare, duplicaturam eandem lucis nihil indicat, ut ad diviſionem nulla nos cogat urgens neceſſitas, quod & advertit *Scaliger* Exercit. 75. n. 4. Lumen, nitor, ſplendor, claritas, fulgor, diverſas habent vocum cauſas. At re una ſunt. Lumen obſcurum eſt lumen, clarum in ſe, cum re obturbante fulgorem miſtum. Vnde à *Varrone* l. 4. de L. L. ignis per ſplendorem fulgere dicitur, à quo fulgur ortum luminoſi ſplendor, de quo ex varia eruditione ſua diſſerit orbis literati miraculum *Claudius Salmaſius* in Commentariis ad Solinum. Præterea dividimus Lucis Animantium ambiguitatem in Veram lucem & Apparentem. Illa corporibus ineſt, hæc ab externo extrinſecus inducitur certa radiorum incidentia efformata, quæ in collis columbarum, pennis Pavonum, ſquamis piſcium aliiſque apparentibus reflectitur, fulgoris, nitoris & coruſcationis nomenclaturam parit temporaneoque ſplendore ad lucis externæ præſentiam terminatur, niſi ſingulari angulorum diſpoſitione & diaphani capacitate diutius receptum lumen cuſtodiatur quale in Lapide Bononienſi præparavit Natura. Subjecti externi aptitudinem ad reddendum reverberatam lucem hujus loci non eſt tractare, ſed Opticorum foro ſervatur, qui in apparente lumine operoſi ſunt. Hic ſufficiat de Coruſcatione teſtimonium Authoris, quem *Ariſtotelem* credunt, libelli de Coloribus cap. 111. *Coruſcans nihil eſt aliud niſi continuitas luminis, & denſitas,*

ſitas, fit enim aureum quando flavum & Solare denſatum, vehementer coruſcat. Quare & Columbarum colla, & aquarum guttæ, aureæ apparent, cum lumen repercutitur. Vbi denſatas ſubjecti partes requirit ad accipiendum & reddendum ſolare lumen, quod & rationi & experimento firmatur. Et ut claram omnium vocum ſimilitudinem faciam, coruſcatio pro luce ipſa adhibetur, & micatio. Ita *Solinus* Polyhiſtor de fulmine, coruſcationem per micationem exprimit, quod *Apulejus* lib. de Mundo apertius indicat: *Quando perfracta nubecula patefecerit cœlum, igneſcunt penetrabiles Spiritus, emicatque lux clara, hoc dicitur coruſcatio.* Differentiarum ultima ſit in Divinam & Animalem Lucem partitio. Divina illa eſt quæ & eſſentia Divinum ſapit, & à Deo immediate influxit, in quo cenſu Moyſis ſplendentes vultus & Salvatoris illuſtrata facies numeranda veniunt. Animalem voco à primo ſtatim ortu mortalibus inſatam ut eorundem fatales tenebras interſtincto lumine illuſtraret, quam ſingula Opuſculi hujus membra reſpiciunt. Dicet ingenioſior utramque lucem non niſi excellentiæ quodam gradu ſejungi, quum ex æquo à Deo fluxerit. Idque ex commentis Rabbinorum Libro Rabod dicto videtur mihi emerſiſſe, ubi *Rabbi Simeoni* de materia primævæ lucis interroganti reſpondiſſe *R. Samuel* introducitur, ſplendorem ex veſtimentis Dei exiviſſe, qui totum mundum illuſtravit, hancque eſſe qui in naturæ orbe permanſit. Ex nihilo tamen ſimili omnium principio lucem creatam à Moyſe didicimus, & diverſam ab hac eſſe æternam illam quam inha-

bitat

bitat Deus credere cogimur. Hinc merito Divinam illam lucem pro miraculo æſtimamus, modo hanc intra debitos terminos aſtringas, quos tranſiliunt qui ſine ulteriori ſtudio indagandi plus in Naturæ clauſtris miraculo quam neceſſariæ ejus legi tribuunt.

Cap. VI.

De Qvantitate *Lucis in Animatis.*

AD Differentiarum ordinem complendum copia addenda quam pro cujuſque animantis indigentia vario pondere ſingulis expendit Natura. Diſpar autem ejus moles ab exordio miſtis acceſſit pro cujuſque modulo & neceſſitatis conditione, quam augeri minuive ex re nata perſpicimus. Hujus determinatam quantitatem ab operationum diverſitate metimur, quæ prout nobiliores eſſe debuerunt, ita ſufficienti luminis principio exornatæ, multumque ætheris in animo gerunt, quos altiores divinioris genii curæ exercent, corporis vero claritatem ita moderatur Natura, ne vel copia nimia altius quam par ſit, evehatur, vel defectu infra generis cognati dignitatem ſubſidat. Quare in aſſignanda luminis menſura vel ſpecierum earundem inter ſe fiat comparatio vel ad diverſas conſideratio deflectatur. In humano genere lucis quantitatem vel ex tota fabrica vel ſingularum partium ſerie juſto pondere expendimus. Ratione totius variat lux inſita pro Rerum, ut vocant, Naturalium, Non-naturalium & Præter Naturam diverſa conditione. Naturalia vel eidem comparantur vel aliis. Illa cuique propria varietatem

rietatem lucis propalant pro ejuſdem conſidera-
tione diverſa ſeu Ætatis ſeu ſexus. Ætatum infan-
tia ad reliquos gradus collata ſplendore majori elu-
ceſcit per naturam conceſſo, ſi quidem & origini
claræ vicinior, & in parvo habitaculo compactius
lumen conſtrinxit, quod aucta corporis mole di-
latatum, minus apparet quam ſubjecti requirebat
amplitudo, quod quaſi per nebulam vidit *L. Du-*
retus Vir naris emunctæ, quum ἔκλαμψιν in pue-
ris frequentiorem induceret ob caloris nativi ſplen-
dorem, cujus ſupra verba ex Coacis attulimus.
Iuvenum autem recentiora corpora clarioribus fa-
cibus illuſtria & facies vividioribus coloribus ni-
tens, & fulgentes comæ manifeſte probant, quo-
rum ætatum incremento decreſcit nitor vel retra-
cto, vel diſperſo luminis connati principio, donec
commutationum aſſiduarum nubilo citius in mo-
roſo ſenilis ætatis termino ſubducatur, quam reli-
quo alioquin corpore excluſus in arcem denuo re-
collectus decorem per ſplendidos crines oſtentat.
Hinc prudentiam ætatis provectæ propriam æſti-
mandam arbitror cui operas confert copioſius in
caput elevata lux, tanto ſplendidior, quanto ex-
tinctioni propior, cujus quidem domeſticum in
lucernis noſtris exemplum quotidie obſervamus.
Et ex eadem lucis celeritate dependet ſubita non-
nullorum ex metu concepto canities quæ unius
noctis curriculo ſucceſſiſſe fertur. Enimvero flo-
ridos illos canos & ætatis gloriam pituitæ aſſi-
gnare infra ejus dignitatem cenſeo. Neque pitui-
toſi humoris celer adeo motus, neque ſplendor
ullus quanquam albi, niſi connati luminis inum-
bratione,

bratione, neque pituitoſis ſolis, ſed cujuſque temperamenti hominibus lucente canitie caput induitur, & omnino plures ſunt juvenes phlegmate detenti ſine canis, quam ſenes vel vergentis ætatis canuti ſine phlegmate, non tamen quod pituitam candicantem luminis idoneum in pilis receptaculum, eam inficias. Sexus diſcrimen parem lucis differentiam creat; Sequiorem enim ſexum maſculus excedit ut calore, ita & lumine: cum hac tamen, ſicut conjectura aſſequor, temperamenti conditione, ut mentis ſplendore ſuperet Mas, fœmina, ejuſque æmulus Eunuchus, corporis, non totius, ſed exteriorum partium quibus pulchritudinis ſpeciem præfert, nam maſcula intus collecta virtus magis virili effectu videtur quam colorata facie. Quod quidem ſexus ratione dictum puta, non Individuorum magna ex parte ab origine declinantium. Viros enim videas ita mente corporeque privos ut ne mulieres honeſte appellares, fœminas contra non paucas utraque luce adeo efloreſcere ut non tam Viros quam Deas crederes. In quarum cenſu quæ ſexum ſupergreſſæ Viris omnibus exemplo ſunt numerari meretur Nympharum noſtrarum invidendum par, Danica nempe illa & Belgica, utraque ſexu illuſtri clarior, & divinius quid mortali corpore claudens. Nomina tradam poſteritati admiranda quum lucem nequeam, qua mentis etiam noſtras perſtringit, *Maria Holchia* Illuſtri Belovvorum genere nata, quæ fortunam ſummam inter minima habens, animi ſui miraculo literarumque ſtupendis facibus exornavit, & nulli ſecunda *Anna Maria à Schurmans* Vl-

trajectenſium Sybilla novumque ſæculi miraculum. Sed nomina, ut dixi, nuda profiteor quum obſcuro calamo adumbrare non valeam ſplendorem tantum ad quem poſteritas obſtupeſcet, noſque caligamus. Inter corporum temperamenta lucis copia præcedit illud quod ſanguine uberiore puroque miſcetur, hoc bilioſum excipit, quod ſequitur melancholicum & tandem pituitoſum. Iam quantitatem innati luminis augent minuuntve Res vocatæ non naturales, inprimis aër circumſtans tam locorum diverſorum quam temporum anni. Locorum quidem vel Eoo proximorum ſurgentive Soli, vel Boreæ, quorum hæc coloratiores efficiunt, obſcuriores illa. Temporum vero labentis anni ratione, major internis membris hyeme viget lux, quam æſtatis æſtu omnia ad ſe evocantis, reſolventiſque ſubjectum quo alioquin ſplendoris faces continebantur. Media autem & temperata inter utrumque anni extremum conſtitutione, viget cum calore lux & non parvis incrementis augeſcit, nam utraque via ſe inſinuans aër luminis cœleſtis, qua patet, repletus, vel deperditam lucem inſtaurat vel novam generat, unde tanta ſereno nulliſque nubibus inquinato cœlo corporum levitas, à lucis nempe puritate innatos Spiritus inumbrante, luminis contra vel imbecillitas, vel jactura quotiens peſtilenti aliquo ſidere per aërem infectum afflentur mortales. Alimentorum lucidorum in augenda luce connata tantus effectus, ut apud *Aelianum*, *Pliniumque* nyctalopis veſpertinus viſus reſtituatur eſu jecoris caprini, eo ſplendore præditi, ut non minus nocte quam die cernat. Vnde

ad

ad menſas eligendi melioris ſucci cibi, ſplendori naturali viciniores & ab affectione omni immunes, quo nomine Carnes Monſpelienſes, quanquam luce coruſcas, pro ſuſpectis habui. Non aliam ab aſſumpto cibo levitatis inſolitæ cauſam arbitror quam auctam lucis molem ſocio ſpiritu ſtipatam, quæ velut ad originis culmen ſe elevatura levi conatu mortale corpus adjuvat. Illud, quidquid eſt, laudis, ſoli calori conſignarem lubenti calamo, niſi cum ſæpius ſine levamento, etiam copioſum, ut in temperiebus febrium, conſpexiſſem, qui tantus à paſtu non eſt, ut diffuſum ad extrema frigus diſſipet. Eadem poſt ſomnum ratio in quo ſopiti ſenſus luminis exhalationem prohibent ſtringuntque externo frigore ad interiora nullo externo aëris lucidi impedimento, quorum de die contrarium evenit & vigiliis. Hinc adeo poſt ſomnum nullo quaſi pondere expediti videmur, poſt vigilias vero quendam laſſitudinis ſenſum experimur, quia hic diſſipata, ibi recollecta lux ad ſolitum redit. Ab inſenſibilium exhalationum majori minorive diſſipatione hæc quidem in Arte nova Statica deducit *Sanctorius* Sect.4. Aph. 6. ſed in ſomno plus excerni quam vigiliis præter mentem Medicorum dicitur, qui ad ſiſtendos fluxus omnes quietem imperant, expultrice, ut vocant facultate, illis temporum momentis ceſſante, & ad interiora concluſo calore, cujus hic partes ſunt primariæ. Notabimus tamen *Hippocratis* verba l. de Flatibus: *In ſomno refrigeratur ſanguis, & oculi ardent, & prudentia permutatur.* Ab excrementis vel retentis vel copioſius redditis quantum

 patia-

patiatur lux caloris affinitate quivis judicet. Re-
tenta enim obnubilant ſplendorem ipſum vel ejus
ſubjectum. In nimia autem mole effuſa fieri non
poteſt quin cum calore etiam luminis rari quanti-
tatem exhalent. Motus denique tam animi quam
corporis copiam lucis diſtinguit prout vel tempe-
ramentum debitum exceſſerit, vel infra illud ſub-
ſtiterit. Vehementior corporis agitatio cum calo-
re & lucem diſſipat reſoluto illo ſubjecto quod oc-
cupat, ut ob ejus effluentis copiam viſum ſubinde
feriant inſenſibiles alioquin particulæ, quod ex
longinquo vidit quoque *Galenus*, quanquam ſuo
ſenſu abundans, 3. Meth. 3. Contraria ab impe-
dito motu timenda ne torpeſcat cum anima cor-
pus adeoque obruatur lux impedientium multitu-
dine. De Modico autem & remiſſo motu prodidit
Galenus alibi, ſanguinis prodeſſe generationi, &
nutritionem promovere, addo ego, innatum lu-
men in partibus excitare. Majori tamen incremen-
to efferri lucem in animi vehementiori motu, qui
πάθος Græcis dicitur, vel ira docet quæ per turba-
tos oculos ſcintillarum vim profert reliquumque
corpus velut fulmine percurrit. Quid? quod per
os flammam miſerit in equo Tiberii apud *Cælium
Rhodiginum* & *Gillium*. Inter Res dictas Præter
Naturam, morbum recenſeo fatalem luminoſæ
ſubſtantiæ hoſtem, qui in tantum diſſipat quan-
tum colligit ſanitas. Id videas in oculi affectioni-
bus quum perit lux, dum videtur, idemque totus
morborum ambitus ad obſcurum ſtatum quaſi per
gradus devolutus, non obſcure ingerit. Imo ex
eviſſimo capitis dolore decreſcit lux, augeturque
corpo-

corporis ægri pondus ad ejus abſentiam morte inductam non propter caloris, qui in cadavere quatuor principiis mixto perſiſtit, defectum, ſed lucidorum ſpirituum altiores ſedes naturæ ſuæ ſubtilitate & levitate ſcandentium. In corporibus tamen beſtiarum hic ſingulare pondus latet in mactatis levius, gràvius in vivis, ut ſues in ſtatera atteſtantur, quod equidem mirarer niſi viventium pondus à nimio liberandi ſe conatu augeri fidem fàceret *Hippolytus Obicius* Dial.2. Staticomaſt. Ad partium ſingularum ſeriem ſi deſcendamus variat lucis moles in eodem ſubjecto pro partium multitudine, plus enim oculis inſitum quam Artubus, majorique luce hi elucent quam abdomen. Et in eodem orbium genere dexter ſiniſtro ſplendidior, uterque autem duplici luminum copia abundant, minori ad viſionem, ad oſtentationem majori. Hæc ſine illa ſæpius emittitur, & abundantior cernitur, parcior illa, ſine hac tamen nec eſt, nec videndi operationem perficit. Ad diverſarum ſpecierum corpora ſi comparatio inſtituatur magis una lucet quam alia, homo radiorum fulgoribus Leonem ſuperat, hic vero interioris luminis ſuavitate, ætheri per naturam vicinior inter reliqua reſplendet, quo ordine ad inferiores ſpecies deſcendendum pro cujuſque ſingulari naturæ proprietate, quam fuſius exſequi operis non patitur moles.

Cap. VII.

De Cauſſa Efficiente Lucis Animatorum.

Lucis Animalis primum Exordium cauſæ Efficientis titulo concluſum magno conatu exer-

cuit Eruditorum induſtriam & acumen, ut ob ſententiarum divortia cui accedas, non facile ſit judicatu. Inter Eventuum ſeu Accidentium cauſas, primas tenet Efficiens, quæ ideo accuratiori ſtudio excutienda ne quis fortaſſe operam nos ludere arbitretur, in qua tot hactenus deſudarunt. Ambitioſius quidem quam vere, ſi ex æquo rem penſitemus: Pro efficiente enim principio vel remotiores Cauſas advocarunt, vel ſubjectum lucis confuſione vix toleranda admiſcuerunt. Cui culpæ ne affines nos profiteamur, aliorum de luce Animantium ingenioſa inventa adducemus, ſimulque ingenua veritatis cenſura notabimus. Omnes ſententiarum ſectæ ad duas claſſes referendæ, quarum una in Externis Efficientibus acquieſcit, altera interioris Originis penitiorem ſenſum ſcrutatur. Externa Efficientia duplicia feruntur, Deus & Cœlum, Interna vel à ſe vel ab alio lucem eliciunt, à ſe per putredinem, attritionem, pinguedinem innatam vel albedinem. Ab alio aſſumpto, ut aqua marina fulgente vel cibis quibuſcunque ſive ſtudio, ſive caſu ingeſtis, quæ per ſe lucida corpus nutriendum eadem claritate poſſint irradiare. Alio vix progrediuntur Authorum ſparſæ voces quas colligam ut ad temperamentum debitum veritati illiſque redactis ſententiæ meæ pondus aliquo inclinet.

PROBLEMA PRIMVM.

An Lucis Animalis Author immediatus, Devs?

QVam in animalibus admirari ſatis non poſſumus lucem, Divinæ eſſentiæ æmulam & imaginem propinquam, quum & mortalitatem excedat & operationibus ſuperioribus vulgarium mentes perſtringat, non ſecurius elabi ſe poſſe credunt, quam ſi à ſuperioris Numinis Actione proxima effictam dicant. Deum quippe rebus terrenis miſcere virtutem & immortalitatis ſuæ nota mortalia ſignare, ut in tenebroſa animalium temperie divinæ lucis radii eluceant. Idque nulla ſolenni aut ordinaria lege, qua ſuperiora ab inferiobus hoc ſigillo diſcrevit, ſed rara potentiæ majeſtatiſque apud nos ſignatura, quotiens aliquod vel favoris vel odii indicium extare inter creata præſumit. Effecta hæc miracula vocantur, & pro iis omnia quæ ingenio vulgata metiri non poſſunt, ſolent æſtimare terrarum ignobiles animi, quum per cauſas naturales Naturæ varietatem non aſſequuntur. Hinc tantus viſæ lucis vel tantillæ in mortalibus membris ſplendore ſtupor, ut chaos antiquum revocato ſæculo metuant, niſi ad tenebras revertantur, prorſus quaſi in lucis varietate defecerit magis Natura quam tenebrarum. Hoc viventium genus miſerum jubeas eſſe libenter quod pro religione ſuperſtitionem nobis obtrudit. In Naturalibus enim Natura quærenda, nec ad has anguſtias ingenii ubertas redigenda quæ in cognata luce explicatur facilius. Creatoris initio

rerum creandarum extiterunt partes ſolæ, quas poſt requiem inferiori Naturæ commiſit. Tum lucem creavit & lucentia, ut ab ulteriori & iterata creatione ſuperſederet, eamque perpetua conſervatione tueretur. Vnde parcior cadentibus ſæculis in miraculorum novorum fabrica eſt Numen, nec unquam fere excluſis Cauſis immediatis ad effecta concurrit, nec, ut in Poëtica *Horatius* fatetur,

—— Deus interſit, niſi dignus vindice nodus
Inciderit. ——

Stupuerunt tamen omni ævo ſplendentia oſtenta, ſive ex hominum ſive brutorum corporibus lucentibus enata, in Servio Tullio multa ob viſam flammam ominabantur, aliiſque ſpectaculo ſimili claris vel dextra, vel ſiniſtra prædicebant, quod immediato Numinis operi aſcriberent, à neceſſitate cauſarum dependentia. Carnem Monſpelii ſplendentem miraculi certiſſimi famam apud pleroſque excitaſſe memini, quod divinam crederent ſine Naturæ auxilio ordinario productam. Naturæ quidem miracula fatemur, ſed miracula credimus naturalia, qualia omnia cenſentur quæ fiunt. Ad ſuperiorem tamen cauſam immediatam ea referre non audemus, quæ aliquo Naturæ inferioris artificio exſurgunt. Optime rem perſpexit *Auſonius* Poëta Chriſtianus Ephem. Orat. ad Deum:

Pace fruar. ſecurus agam. miracula terræ
Nulla putem. ——

Et quid, quæſo, miraculi in minori luce animantium quærimus, quum majora his à Natura facta fatean-

fateantur? Mulierem ſine congreſſu virili ſola imaginationis vi peperiſſe annis ſuperioribus in Gallia promulgatum, aliaque poſt diuturnam Viri conſuetudinem ex judicio publico Virgo intactæ pudicitiæ pronunciata fertur. Quæ cum aliis Naturæ luſibus annumeranda, qui non raro miracula mentiuntur & raritatis ſpecie cœcutientibus illudunt. Miracula tamen, vel, ut veteres appellabant, prodigia, in animantium genere apparuerunt non ſemel quæ ſolius Numinis nutu, ſine cauſis putantur effićta, præſertim in carnium ſtructura. Narrant enim uno ore *Livius, l. 3. Plinius, l.2.c.56. Dionyſius Halicarnaſſæus, l. 10. Iulius Obſequens* aliique carne ſæpius pluiſſe, ſanguine & lacte, majori, quam alias, oſtento ſub Coſſ. P. Volumnio, Ser. Sulpitio nivis in morem copioſe cœlitus demiſſa carnis fruſta majora minoraque, quorum bonam partem intervolitando aves omnis generis diripuerint. De Vitulo author eſt *Abenſina*, & ranis cœlo demiſſis complures alii, quas & ſingulari exemplo intra terram gigni venenatas Agricola memorat. In Carnium Hiſtoria id præterea mirandum referunt, quod foſſilis ex terra aliquando eruatur. Nam *Andreas Libavius* narratum olim fide Ienenſium Schroterorum ait, ad vallum Erfurdicum juxta portam D. Andreæ occaſione valli in altiorem molem attollendi, carnis crudæ, haud exigua eruta fruſta fuiſſe illamque muſculoſam bubulæ quam ſimillimam (niſi quod oſſibus careret) fuiſſe. Sed Naturæ hæc aliaque miracula dixeris, non Numinis immediate agentis, quippe recepta per vapores in ſublimi, eadem forma cum

reſoluta pluvia decidunt, vel ibi generantur aut coagulantur ex præſentibus materia formaque in aëra elatis, quo modo pluvias has prodigioſas oriri dabunt Meteorologici. Sæpe tamen vel Satanæ impoſtura vel ſimilium hominum prodigia mentitur, quæ non ſunt. Ita enim carnem foſſilem natam in terris diebus Iovis tantum apud foſſores quum comperiſſet *Hubnerus* fraudis certus impoſtores eoſdem carceribus mancipavit, ut ejus ad *Libavium* Epiſtola teſtatur. Quanquam & ſine impoſtura hæc Naturam in ſubterraneis carnem vel carni ſimile corpus producere poſſe non negarim ex ſanguinis vel liquoris rubicundi concretione, quum & ligna, & cornua, & oſſa ſubterranea ſæpius cudat. De lignis foſſilibus recentior ætas noſtra hac tempeſtate Aquaſpartæ in Vmbria erutis probat, cedro Mauritanico ſimilibus, quæ metalli & filamenta habent & capillamenta accuratius à *Franciſco Stellato* Romano non ita pridem ſingulari libello deſcripta. Dentes foſſiles inveniuntur alicubi, ſive ex cadaveribus animalium quorundam, ſive ſponte naturæ orti authore *Geſnero* de lapid. figuris. Nihilque vulgatius Cornu foſſili pro Monocerote à nonnullis habito, in quo totum Caput IX. occupatur Opuſculi de Vnicornu Parentis noſtri à me auctius editi. Vt aliud præter Naturæ vim ſomniare nihil ſit opus in iis quæ rarius eveniunt, non Naturæ Deique ſed obſervantium culpa. Vnde fruſtra ſunt quos rerum lucentium novitas tranſverſos agit, & prodigia fingere quæ ab interioribus cauſis derivare vel non poſſunt, vel negligunt. Dei tamen, in vere Di-

vinis,

vinis, opera cum religione debita miramur, quæ quidem vix per ſæcula numerantur. In hoc ordine Operum Divinorum ſine cauſis mediantibus productorum recenſemus, lucentes cœleſti face vultus Moyſis & Chriſti, qui à Nemine & lumen receperunt & luminis aptum ſubjectum, qualia in rubo ardenti, nube noctiluca, & fornace Babylonica vi ſuperiori excitata novimus, ut luce Divina terris miſta novarum rerum eventus eluceſceret. In reliquorum corporum ſplendore Dei interventum non excludimus, ſed ut per media agentia cooperantem neceſſario rebus influere ſtatuimus, quæ actio, ſicut generatio omnis, & mediata rerum ordinatio creatio dicitur non ſemel. Ita enim *D. Baſilius* explicat illud Iſaiæ: *Ego faciens bonum, & creans malum*, nempe Deum non ſolum bona moliri verum & malum ipſum ad bonum providentiæ ſuæ ordine diſponere ac deſtinare. Idque vocis eo ductu cepit *Claudianus* l. 1. de Raptu, quum Orcum alloquitur:

——quicquid ubique
Gignit materies hoc te donante creatur.

Vt ita creare poſſit dici Deus illa, quæ per naturam generantur, & lucis noſtræ author creatorque, quam per generationem promovet. Hanc licentiam fere propriam amant ſcriptores in vocis creationis ſignificatu. *Florus* l. 1. c. 6. *nec obſcuritas inhibuit, quamvis matre ſerva creatum.* *Corn. Nepos* in Iphicrate, *Pater, quantum in ſe fuit, thracem me genuit vel creavit: contra ea Mater Athenienſem. Tertullianus* Apologet. cap. 39. *qui uxores ſuas amicis communicaverunt, quas in matrimonium duxerant, libero-*

liberorum cauſa, & alibi creandorum, neſcio quidem an invitas.

PROBLEMA II.

An à Cœlo Aſtriſque lux Animalis dependeat?

INter Cauſas Communes Cœlum ſecundum à Deo locum obtinet, quod cum homine hominem generare in Schola Philoſophorum dicitur, dicique inde poteſt lucis animalis author, quia in animantibus primarias partes agit. Suadere videtur ſubſtantiæ communis, affinis naturæ, utriuſque lucis cœleſtis & Animalis par conditio ſuperius probata. Idque ex antiquorum de Anima opinione verius eſt, qui à cœlis derivarunt quod naturæ terreſtris dignitatem ſupergrediebatur, & ad aſtra ſua redire credebant à quibus per tempus fuerant abſtracta. Ipſas Tullii Servii flammas circa caput viſas in originis cœleſtis argumentum trahebat *Naſo* in Faſtis:

Servius à cœlo ſemina gentis habet

Quod & pater juvit Vulcanus creditus, eodem cantante:

Namque Pater Tulli Vulcanus, Ocretia mater
Præſignis facie corniculata fuit.

Verum enimvero, ut diſtinctius quæſiti momentum expendamus, duplici ratione ad producendam in Animalibus lucem concurrerent aſtra, vel influxu ſuo & ἐνεργείᾳ, qua ex putri creditur animalcula elicere & aliis operationibus innoteſcere, vel ex ſubſtantia ſua lucida aliquid communicando. Si de priori conceptu ſermo ſit, inter cauſas Efficientes

cientes lucis noſtræ primarias fruſtra connumerantur, quia remotius eſt & Analogum agens, ut ex Peripato loquar, ad quod qui confugit in Naturæ inferioris generatione, vitrum cum vulpecula lambit internorum ignarus, & veritatem modeſta excuſatione ſubterfugit. Poteſt tamen ad producendam lucem ſecundarias operas conferre diſponendo corpus & alterando ad neceſſarii ſubjecti conditionem, ſive per putredinem, ſive remotionem impedientium humorum, ob quam cauſam de Nyctegreto Planta refert *Plinius* & *Ruellius* 30. diebus ad Lunæ lumen ſiccatam inſtar faculæ noctibus quoque ſplendeſcere. Non quod per influxum nudum introduxerit ſidus lucem, lucerent enim omnia alia Lunæ expoſita, ſed quod per alterationem viam ſtraverit apertam, ut, quæ intus à natura latuit lux, in aperto prodiret. Ita Carnem lucentem Monſpeſſulanam certo ſiderum poſitu felicius emergere extra dubium eſt, qui etiam alia corpora tam aquatilium quam volatilium ad eundem fulgorem præparavit. Majori veriſpecie cœlum primario ad producendam lucem concurreret, ſi lucidam ſubſtantiam corporibus inſerere diceremus, ſimilis enim rei par effectus, & à lucidis Solis proferuntur lucida. Sed ad mortalia regna æthereas ſubſtantias derivari tanto probatu difficilius quanto Doctiſſimorum ingeniorum opera oppugnatur vehementius. Neceſſitatem ex corporis vicinia infero. Quippe diffuſum lumen cœleſte per ſingulas univerſi plagas quaquaverſum exporrigitur & omnia illuſtrat quæ tangit, nec lumine perituro contentum altiores ſui radi-

radices imprimit, imo anhelantibus vicinum cum aëre neceſſario imbibitur. Cujus rei evidens argumentum ſuppeditat peſtilentia; quum virus peſtiferum à cœlo per lumen & radios delatum in animalium corporibus ſe inſinuat, cum lumine dubio procul & radiis, ut deferentibus; ſimileſque radices quin agant radii, quas agit virus, nihil obſtat. *Hippocratis* authoritate hæc muniam de Natura hominis: Vbi morbus aliquis populariter graſſatus fuerit, non victus rationem in cauſſam eſſe, ſed quod ſpirando ducimus. poſt paulo monet: ut aëris quam minimum in corpus influat; iſque ut maxime peregrinus ſit, providendum, tum regionum loca in quibus morbus conſiſtit, quoad ejus fieri poteſt permutando, tum corpora extenuando. Ita enim minime multum ac frequentem Spiritum homines ex neceſſitate attrahere. Ad rhombum hæc non facere clamabis. Sed quod de aëre imbibito dictum de cœleſti ſubſtantia interpretor, quam ad inferiora hæc continuato tractu protendi abunde docuit in Aſtronomia Danica Aſtronomorum ævi hujus Princeps *Chriſtianus Longomontanus*, Affinis noſter multis nominibus laudandus, ex quo Opere hanc hypotheſim probabilem deduco, à qua veteres alienos non fuiſſe ex Euripide apud *Ciceronem* l. 2. de Nat. Deor. colligo:

Vides ſublime fuſum immoderatum æthera,
Qui tenero terram circumvectu amplectitur,
Nunc ſummum habeto Divum, hunc perhibeto
æthera.

Quo referendus locus *Iobi c. 36, 30. Ecce extendit*

ſuam

ſuam lucem ſuper ipſum (ſc. nubes) *& radices maris* (ſeu terram, *operuit.* Vnde attracto aëre & lumine ſubjectum hujus, æthereum corpus neceſſario intra nos admittimus ad uſum & ſplendorem reſervandum. De Solaribus radiis imbibitis conclamant plerique qui in facie eorum nevos vident impreſſos. Quo reſpexit *Martialis* l.10. Ep.12.

I precor, & totos avida cute combibe Soles,
Quam formoſus eris, dum peregrinus eris?

Et *Iuvenalis:*

Noſtra bibat vernum contracta cuticula Solem.

Signata vero paſcendi voce hic utitur *Statius* 8. Thebad. v.492.

Ille genas Phœbo, crinem hic paſcebat Iaccho.

Et eadem mente curare cutem Sole dixit *Perſius* Sat.4.

Curata cuticula Sole.

Quem locum *Gloſſæ* Veteres de Chromatiariis exponunt. *Nam chromatiarii dicuntur colorarii, vel qui toto die in arena ſunt, vel in Sole.* Antiqui enim ungebant ſe, & in Sole erant, ut oleum corpus imbiberet. Qua verborum bibendi paſcendi proprietate cœleſtis luminis arctiorem in corporibus appoſitionem & immerſionem notanter ſignificarunt. De Chamæleonte nota res, aërem ſorbere & eodem nutriri, nec ſolo aëre ſed & radiis Solaribus experimento *Scaligeri* Exercit.196. n.4. *Quod aër illi pro cibo ſit aliquandiu ex eo patet: quod & annum integrum ajunt inediam tolerare, & ubi excepit hiatu auram, & occluſit malas, turget ei venter.* Etiam inveni qui diceret: obverſum ad Solem hauri-

radices imprimit, imo anhelantibus vicinum cum aëre neceſſario imbibitur. Cujus rei evidens argumentum ſuppeditat peſtilentia; quum virus peſtiferum à cœlo per lumen & radios delatum in animalium corporibus ſe inſinuat, cum lumine dubio procul & radiis, ut deferentibus; ſimileſque radices quin agant radii, quas agit virus, nihil obſtat. *Hippocratis* authoritate hæc muniam de Natura hominis: Vbi morbus aliquis populariter graſſatus fuerit, non victus rationem in cauſſam eſſe, ſed quod ſpirando ducimus. poſt paulo monet: ut aëris quam minimum in corpus influat; iſque ut maxime peregrinus ſit, providendum, tum regionum loca in quibus morbus conſiſtit, quoad ejus fieri poteſt permutando, tum corpora extenuando. Ita enim minime multum ac frequentem Spiritum homines ex neceſſitate attrahere. Ad rhombum hæc non facere clamabis. Sed quod de aëre imbibito dictum de cœleſti ſubſtantia interpretor, quam ad inferiora hæc continuato tractu protendi abunde docuit in Aſtronomia Danica Aſtronomorum ævi hujus Princeps *Chriſtianus Longomontanus*, Affinis noſter multis nominibus laudandus, ex quo Opere hanc hypotheſim probabilem deduco, à qua veteres alienos non fuiſſe ex Euripide apud *Ciceronem* l. 2. de Nat. Deor. colligo:

Vides ſublime fuſum immoderatum æthera
Qui tenero terram circumvectu amplectitur,
Nunc ſummum habeto Divûm, hunc perhibeto
æthera.

Quo referendus locus *Iobi c. 36, 30. Ecce extendit*
ſuam

ſuam lucem ſuper ipſum (ſc. nubes) *& radices maris* (ſeu terram, *operuit.* Vnde attracto aëre & lumine ſubjectum hujus, æthereum corpus neceſſario intra nos admittimus ad uſum & ſplendorem reſervandum. De Solaribus radiis imbibitis conclamant plerique qui in facie eorum nevos vident impreſſos. Quo reſpexit *Martialis* l.10. Ep.12.

I precor, & totos avida cute combibe Soles,
Quam formoſus eris, dum peregrinus eris?

Et *Iuvenalis:*

Noſtra bibat vernum contracta cuticula Solem.

Signata vero paſcendi voce hic utitur *Statius* 8. Thebad. v.492.

Ille genas Phœbo, crinem hic paſcebat Iaccho.

Et eadem mente curare cutem Sole dixit *Perſius* Sat.4.

Curata cuticula Sole.

Quem locum *Gloſſæ* Veteres de Chromatiariis exponunt. *Nam chromatiarii dicuntur colorarii, vel qui toto die in arena ſunt, vel in Sole.* Antiqui enim ungebant ſe, & in Sole erant, ut oleum corpus imbiberet. Qua verborum bibendi paſcendi proprietate cœleſtis luminis arctiorem in corporibus appoſitionem & immerſionem notanter ſignificarunt. De Chamæleonte nota res, aërem ſorbere & eodem nutriri, nec ſolo aëre ſed & radiis Solaribus experimento *Scaligeri* Exercit.196. n.4. *Quod aër illi pro cibo ſit aliquandiu ex eo patet: quod & annum integrum ajunt inediam tolerare, & ubi excepit hiatu auram, & occluſit malas, turget ei venter.* Etiam inveni qui diceret: obverſum ad Solem

hauri-

haurire radios, eoſque converſionem hiantem ſe-
qui. Quod tamen de Chamæleonte poſterior ob-
ſervatio refutavit, quæ non aëre ſolo ſed muſcis
vivere docuit quas largiori lingua ſtudioſe vena-
tur ut in Chamæleonte Romæ vidimus apud Ma-
ximum Equitem *Caſſianum à Puteo*, Naturæ ſtu-
dioſiſſimum. Interim & aërem & lumen imbi-
bere negari non poteſt, quibus ad ſui conſervatio-
nem communi reliquis neceſſitate indiget. Aër
aëreas partes ventilat & nutrit, cœleſtis ſubſtantia
& luminoſa ſuas reficit augetque quæ forſan citius
alias extinguerentur, ad quem uſum conſpirant
& alimenta ſubtiliora vicinioraque æthereæ puri-
tati. Miraculo vicinum eſt, quod narrat *Rhodigi-
nus* l. 24. c. 21. vidiſſe ſe hominem aëre ſolo, &
Sole viventem ſine alimento alio, cui vicini ſunt
accolæ fontis Gangis nullius ad eſcam opis indigi,
odore viventes pomorum ſylveſtrium, teſte *Solino*
Polyh. cap. 52. Accedat non fallax experientia ut
cœleſtis lucis copiam mortalibus communicari
doceat. In ſpeculis res obvia, quæ lucem cœle-
ſtem ex radiorum congerie ſuſceptam in mate-
riam aliam craſſiorem propagat, unde igni pin-
guedinique addita flammam generat & inter mor-
tales diſſeminatur. Recipit eandem lucidam natu-
ram Lapis Mineralis in agro Bononienſi erutus,
& ad aliquot tempus conſervat. Minori certe mi-
raculo ſtabit, ſi à corporibus excipias cuſtodiatur-
que lux lucidaque ſubſtantia, quam ejus imago,
lumen. Iam reapſe cœleſte lumen inferioribus
conjungi ignis ſæpius cœlo delapſus & fulmine
tacti produnt, qui in ſe fulgur excipientis ſubinde
eadem

eadem ſplendoris facie illuſtrantur, cujus rei teſtis ſit Virgo Apulejana ex *Iulio Obſequente* ſupra nobis notata, quam ſolo fulmine cœleſti, nullius cauſæ alterius interventu, ſuo malo emicuiſſe putamus. Alii non per cœlum immediatum nobiſcum dividi æthercam lucem, ſed per medios elementorum gradus exiſtimarunt, ignis nempe vicinioris, aëriſque & aquæ. Docebat enim *Alexander Aphrodiſæus* l. 2. de Nat. Quæſt. c. 3. cœleſtem vim & æthercam ſubſtantiam communicari pro corporis vicini propinquitate; terræ enim communicatur ratione aquæ terræ commiſtæ, & aquæ ratione aëris, cœlis vicinioris, quapropter ſequitur communicari r.tione ignis cœlo propinquiſſimi. Qui quidem quum lucidus ſit non per ſe, ſed cœleſti lumine ſuperbiens, etiam hujus concurſum ad miſtorum ſplendorem facere credendum, de quo in loco plura. Adverſantur doctrinæ huic par Virorum ſummorum. *Albertus Magnus* lib. de ſenſu & ſenſato de lumine Cicendulæ & Cocevii verba faciens, negat illorum lumen eſſe de Natura cœleſti, quod natura cœleſtis non veniat in compoſitionem corporum generatorum & corruptibilium, ſed à perſpicuitate omne illud dependere. Quid autem impediat, non addit, quo à miſtione terrenarum ſeu elementorum æthereum corpus excludatur. Neceſſitatem imperat miſti perfectio & exiſtentia, quin adducta à nobis oculata fides. Quibus aſtipulatur ipſe Alberti *Magiſter* 2. de gen. an. c. 3. aperte urgens in ſeminibus cœleſtem ſubſtantiam latere; quod omnis animæ vis, ſeu potentia corpus aliud participare videtur, idque magis

V divi-

divinum quam ea quæ elementa appellantur, imo ἀνάλογον hoc eſſe ſtellarum elemento. Quo loci non tam de virtute ſimili cœleſtibus, quam de ipſa ſubſtantia ætherea ratiocinatur in Spiritu concluſa, præter hanc enim dari nullum corpus poteſt, quod elementorum in operando potentiam ſuperet, præſertim quum mediam aliam naturam inter cœlum & elementa non admittat *Philoſophus* 1. de cœl. t. 10. & ſeqq. Libenter audirem F. *Licetum* Virum Doctiſſimum proportione cœlis reſpondere vim hanc animæ in movenda tantum generatione cujuſque viventis & quoad ſenſum perſpicui cum æthere communis; niſi retraherent dicti Philoſophi verba manifeſtiora. Dicitur enim Spiritui additum aliud corpus plane à reliquis diverſum, quod diverſi corporis nomenclaturam non meretur ſi eodem manente, levi actione à ſe differat. Vlteriuſque ſi premar ex cœleſtium effectuum ſenſu æthereum corpus verum inferam, quod nobiliores illæ actiones ſequuntur, ut propriæ, quales ſunt generatio viventium & corporis puritas. Vnde concludo vel has actiones cœleſtium corporum proprias eſſe, vel elementis communes, ſi illud cœleſtem ſubſtantiam neceſſario ſupponunt à qua eduntur, ſi hoc eligas, minus bene proportione reſpondere dicuntur ſolo ſtellarum elemento, quum & ſublunarium eæ ſint actiones quibus concordant ex hypotheſi. A cœlo tamen in corpora noſtra nullam æthercam lucidamque ſubſtantiam demitti preſſius probatur à magno eodem *Fortunio Liceto*, quia nec ſit incorporea, nec corporea. Non illud, tum quia lucis phyſicæ proprium ſubjectum & ve-

& vehiculum ſit corpus, tum quia ſubſtantia cœleſtis incorporea, ſola ſit Intelligentia, quam ad illuminanda corpora in tenebris deſcendere, Phyſicum non eſt. Non eſt corporea, tum quia cœleſte corpus movetur ſolo motu circulari, non deorſum niſi violenter: tum quia cœleſtis illa ſubſtantia per ſe vel eſt lucida, vel diaphana; non lucida, quia eſſet pars alicujus aſtri & ſemper fulgeret, non diaphana, quia perſpicuum non parit in alio lucem aut lumen, ſed ab alio recipit. Vrgentia hæc & divinioris ingenii indicia, tanto ſunt clariora, quanto obſcurior ego nubeculam infelici genio obduxi. Quid meos oculos faſcinet ſine timore eloquar, ut aliqua luce caliginem depellam quæ viſum pro tempore offuſcavit. Subſtantia iſta ætherea, corporea eſſe poteſt, & debet. Debet quidem ut lucem in qualitatum ordine quintam & contineat & deferat, quam ex ſubjecto in aliud migrare negant Sophi. Poteſt vero quia contra naturam deorſum ferri non compellitur, utpote corporibus inferioribus circumjecta & ad omnes terrarum ambitus expanſa, quod ex Aſtronomia Danica innotuit. Et ſi ſuperiori ſphæra illam aſtringamus, tamen deorſum cum Solis aſtrorumque radiis demitti poteſt, per vim, ſi placet, non ſecus ac fulmina & radiorum cœleſtium faces cum Circulari motu, etiam recto ad nos deferuntur tramite. Quanquam enim violenter nobis & præter luminis naturam occurrat ad inferiora hæc deſcenſus, Solis tamen ſiderumque orbiculato orbe currentium ratione naturalis eſt & Circularis undiquaque terras ambiens nullo altitudinis profunditatiſve

tiſve notitia. Poteſt denique hoc æthereum corpus eſſe & lucidum & perſpicuum, illud quando condenſatum craſſioris ſubjecti vicem gerit, & in Actu eſt, ut Philoſophi diſputare amant, hoc quum rarioribus ſui partibus diſperſum potentia lucet ſi congregetur. Nec hæc diſſident, niſi, ut apparet, ſecundum majorem minoremque denſitatem. Neque tamen ex primo ſequitur partem eſſe alicujus aſtri, aut ſemper fulgere, quia præter aſtra, alia lucent, ut Meteora ignita, congeries infinita materiæ lucidæ in via lactea, & licet pars non ſit, propago eſſe poteſt, lucidæque ſubſtantiæ aſtrorum genuina ſoboles; hoc enim modo lucida propagari in lucernis, igneque novum haud eſt, *Silio* decantatum l.12. ubi

Redditur extemplo flagrantior æthere lampas
Et tremula infuſo reſplendent cærula Phœbo.

Vt de artificioſa candelarum communione taceam. Non ſemper fulget in corporibus, quia vel officiunt interjecta impedimenta, vel ipſum illud à denſatis partibus antea lucens, rareſcit & in majus ſpatium diffunditur neceſſario diaphani ſenſu. Ita deſiiſſe fulgentem Cometarum cœleſtium lucem imaginor, quum diſſolutæ fuiſſent partes quæ ob arctiorem copulam antea Stellæ lucentis imaginem præferebant. Addo neceſſitatem objectionis minorem arguere ſtellarum fulgidiſſima corpora quæ diurno tamen lumine, ut fortiori, conduntur, ne in oculos mortalium incurrant, ut lucidam illam ſubſtantiam cœlo in corpora demiſſam nocte diuque effulgere non poſſe citra miraculum ſit, quanquam dilutiori luce etiam de die ſplendeant

deant ſubinde fortioribus ſcintillis inſtructi & oculi & pili. Non denique in altera lucis diaphanæ conditione admiſerim lucem aut lumen ex ea haud gigni, ſed tantum ab ea recipi: Duplici enim ſtatu perſpicuum expendo, vel ut perſpicuum purum, abſtractum vocarent Sapientes, vel mixtum ſeu Concretum. Perſpicuum nude conſideratum & ſine concretione corporali abſtractum, medium eſt commune lucem coloreſque non generans ſed tranſmittens. Corporibus autem ex quibus in illam tranſparentiam diffunditur, applicatum, non ſolum ob raritatem recipit ſpecies & tranſmittit, ſed corporis ſui inſuper naturam retinet, ut ſi ex aëre diſperſo oriatur diaphanum aër eſt manetque, ſi ex igne aquaque, par ratio: condenſatus quippe ignis ex diaphano ſuo urit, & aër humectabit, & aqua refrigerabit, quas qualitates per tempus ob raritatem diſſeminarant. Pari pacto diaphanum cœleſte ex luminoſa ſubſtantia in raritate ipſam naturam retinet, quam exſerit ſibi conjunctum, ut licet diſperſum non luceat, lucere tamen cogatur unitis invicem ex diaphano partibus æthereis. Videor mihi aliam difficultatem videre non parum ſtringentem. Lux namque & animalis, & mineralis cum tempore perit & extinguitur, quum ſubſtantia illa cœleſti aſſidue de cœlo in corpora manat, unde vel nunquam lucentia corpora obſcurantur, vel à cœlo continuo agente fruſtra petuntur. Dubium ſolvo ex ſubjecti aptitudine quam & ad retinendam & recipiendam lucem requirimus plane ſingularem. Sed pro Problematis veritate & occurrentium opinionum concordia,

cœli ad producendam lucem noſtram diverſa tempora proponenda, aliæ enim ejus jam ſunt partes, aliæ in Vniverſi creatione fuerunt. In generatione animalium perpetua, quæ quotidie exit, ad lucem animalem eo ſe habet modo, quo ad reliqua elementa, non producendo immediata communicatione, ſed influxu generationem totius mixti promovendo & conſervando, unde raro exemplo à cœlis in generandis affluere æthercam ſubſtantiam arbitramur, quum ea mixtura jam temperatum ſit omnium corpus, qua debet ad ſui perfectionem, ne quotidie novam ullam à cœlis creationem admittamus. In creatione autem primæva cum concordi elementorum omnium concurſu etiam cœleſtis ſubſtantia lucida miſcendorum corpora ingreſſa eſt, idque Creatoris nutu, quum necdum motus diverſos qualitatibus ſingulis affixiſſet, unde ſine deſcenſu ignem miſcuit, ſine aſcenſu terram,& cœlum ſine utraque diverſitate omnibus temperavit,hacque connexione amica animalium creata corpora ad poſterorum generationem tranſmiſit, quæ vi divina perſiſtit omni ſæculo, ut fruſtra ad generationem jam requiratur ſeu ignis diſcenſus præter naturam ſeu ætherex lucis, ſeu denique gravium gravior aſcenſus. Tandem lucis Animantium externæ & Apparentis Cauſa prima ſit Cœlum radios lumenque in objectum læve & glabrum vibrans, non aliter ac apud *Silium* lib.2.

Aequor reſplendet imagine flammæ.

Et apud *Virg.* l.7. Æn.

Splendet tremulo ſub lumine pontus.

Vnde

Vnde impropria ſplendoris definitio *Scaligeri* Exerc. 142. num. 3. eſſe lumen in polita ſuperficie.

PROBLEMA III.

An à putredine Splendor animalis generetur?

AD Cauſarum propinquarum internarumque ſeriem me accingo, in quibus variant ut authores, ita ſententiæ. Plurimorum mentibus inſedit opinio à partium vel totius putredine excitari apparentes fulgores, ita viam monſtrante non ficta experientia. Teſtatur enim quotidiana fides non ligna non piſces lucere antequam putrere incipiant. *Ariſtoteles* de Anima lib. 2. quædam videri in tenebris monſtrat, quæ non habent nomen commune, ut putredines, quercus, cornua, capita piſcis, ſquamæ, oculi, & Cicindela. Alibi libro de Affectibus miſtorum rotundis verbis tradit ἐκ σαπρότητος γίνεται αὐγάζειν, ſplendorem ex putredine naſci. Idem exemplo fimi columbini inducit *Galenus* lib. 2. de Morb. diff. c. 2. ubi inter cauſas calefacientes & accendentes febres, etiam putredinem ponens addit: *Ex putredine caleſiunt, tum corpora reliqua omnia, tum maxime ſemina, aut ſtercora. Equidem vidi columbarum ſtercora ob putredinem accenſa arſiſſe.* Ejus ſententiæ & erat *Cardanus*, quum putredinem viam ad ignem dixit cum manet, talia vero non ardere quia jam putredo ceſſat, at laurifolia, quod putridum quid contineant & ſiccum, celerrime ardere. Hanc totius reſolutionem in animalibus ſplendoris cauſam multi poſuerunt,

quanquam de melle contrarium probet *Cælius Apitius* lib. 1. de Re Culinari ubi probaturus mel cor-ruptum Helenium infundit, atque incendit: *ſi in-còrruptum erit, lucere.* De Lampyridum genera-tione *Heſychius*: Λαμπυρὶς ζωΰφιον ἐκ φρυγάνων γινόμενον, *Lampyris eſt animalculum ex ſtuppa ſeu ſarmenta na-tum*, ſine dubio propter putredinem præceden-tem, quanquam cum l. 4. de Inſectis excuſet *Aldrovandus*, quod in ſæmentis tanquam in loco ali-quò generari voluerit, nam inter pabula plerum-que volitare. Vſu tamen hæc per putredinem ge-neratio apud antiquos recepta vix noſtrum ſæcu-lum attigit. *Cardanus* quippe in ſubtilitatibus non ſolum minuta ſed & majora animalia è putredine, imo omnia originem deducens, ſtrenuum antago-niſtam ſtatim offendit. *Scaligerum* puto, qui de Animalibus in aquis genitis Ex. 59. n. 2. & aliis locis rem brevibus confutavit: *Nempe ut in terra mutantur plantæ, aliæ in alias; ita ſupra terram gi-gnunt è ſeipſis animalia. Idque non è putrefactione, ſed quædam quaſi ſemina foventes ad generationem.* Quæ doctrina infinitos ævi noſtri occupavit Duce ſtre-nuo *Daniele Sennerto.* Ignem lambentem in capil-lis plurimorum & muliere Veronenſi à natura pro-vida ex corrupta materia accenſum quidam pro-didit, à quo diſſentire cogor, quia ſaniſſimi illi, hæc febre non tentetur. De Carne lucente Monſ-peſſulana aliud non ferebatur à peritis loci, quam ingentem putredinis gradum præceſſiſſe. Teſta-tur enim experientia illius cœli primo illo Vere adeo corrupta pecorum corpora fuiſſe, ut veluti peſtilenti quodam ſidere afflata magno poſſiden-tium

tium damno conciderint, ut lue ulterius graſſante viliori precio feſtinans vendentium contentio in forum reſidua pecora detruſerit, antequam majorem jacturam feſtinato malo augerent. In his autem feſtinata opera venditis à lanionibus viſa lux & obſervata certam conjecturam firmare videbatur putridam corporum diſpoſitionem mactatorum faces accendiſſe, quæ in reliquis vi morbi luiſque mortuis pari fortaſſe admiratione obſervaſſent. Promovit ingentem putredinem humida præcedentis hyemis temperies imbribus fere continuis inquinata, fervore aliquo per vices interrupta, unde non inanis ſequuturæ putridorum morborum tempeſtatis ſuſpicio nata ex *Hippocratis* 3. Aph. 16. *Aſsiduis imbribus morbi fere fiunt, febres longæ, fluxiones alvi, putredines,* & in anteriori, *in univerſum ſiccitates aſsiduis imbribus ſalubriores pronunciat, minuſque mortiferas.* Magnam illam exquiſitamque putredinem ſubita poſt mortem corruptio non fallaci indicio arguebat, brevi enim dierum intervallo ad eſum inepta putruit, quam intenſus fœtor ſequutus vix alias moleſtius naſum feriens. Fœtor enim putredinis ſoboles, & ex illius vehementia hujus magnitudinem metimur, hinc ob triduanam moram corruptæ hominum fæces fœtere dicuntur, quanquam ſi credimus *Abenſinæ* etiam ſine putredine oleant coctionem perfectam nondum aſſequutæ, quod dicebat quoque *Alexander Aphrodiſæus,* hominum excrementa fœtere, non item ferarum, quod illi varietate ciborum luxuriantes cruditatem accerſent, hæ vero ſimplici contentæ paſtu facilius omnia & coquant, & digerant. Iam

quo pacto dicta ſua explicent, videndum, ut qua ratione ex putredine ſplendor emergat curioſis pateat. Conveniunt plerique, à calore in putrido corpore excitato flammam ſimul lucemque ſponte ſua exſuſcitari, quia inter fœni acervos non bene ſiccati humidum aliquo tempore aſſervatum occluſis poris arctius, adauget calorem & vaporem flagrantem, quo reſpexiſſe affirmant *Virgilium* 3. Georg.

—— nec tota claudas fœnilia bruma.

Ita eandem ſententiam commentatur *Cous* Senex de Natura Pueri: *Fimum denſius preſſum, majorem in ſe calorem habet, quam quod rarum eſt, prætereaque humecta quidem & compreſſa per ſe ipſa incaleſcunt, & à calore exuſta putreſcunt, quod cum denſa ſint, per ea Spiritus promeare nequeat.* Sicca vero & rara multo minus incaleſcunt & putreſcunt. Sic etiam triticum & hordeum humidum & madefactum, multo citius incaleſcit, quam ſi ſiccum fuerit & rarum. Quin & veſtes pellicæ vehementer colligatæ & compreſſæ per ſe exuruntur, velut ego vidi, non ſecus ac ſi igne conflagrarint. *Galenus* obſcurius l. de Morb. Diff. 2. c. 2. rationem fimi columbini accenſi reddens, ratiocinatur: *Iam ea quæ putreſcunt in animantis corpore, calorem quendam immodicum in iis partibus in quibus putrent, efficere poſſunt.* Prorſus ad inſtitutum *Varro* l. 2. R. R. c. 5. de Equis monet ne ungulas comburat ſtercus in ſtabulis cavendum. Quem calorem flammamque hi in putredine ab humido derivant, alii à ſiccitate orta malunt, inter quos *Scaliger* Excer. 180. n. 2. ab exſiccatione excitari ignem ex farfaræ radice

dice probavit, quæ quum maturuerit purgetur à partibus ineptioribus, mox lixivio incoquatur & reſiccetur, & ſi ſalpetræ tantillum addas, præſtantiſſimam expertus eſt efficaciam ad ignes ſuſcipiendos. Alii putrida propter ſummam partium raritatem noctu illuſtria exiſtimarunt. Quorum ſententias prima fronte diverſas facile ad eandem reducam. Per putredinem à ſicco ſeparatur humidum, quia per conſtipationem augebat in ſe concluſum calorem, quo aucto abſumitur ſenſim humiditas, hanc ſiccitas excipit & partium raritas, quæ illuſtratur levi fulgore ſine inflammationis periculo, illa vero flammantem lucem facile & recipit, & quoad durat pabulum, conſervat. Hanc catenatam putredinis ſeriem intelligo, ſed quomodo producatur ex ea ſplendor nec ſatis ego percipio, nec ſatis illi explicant. De caloris per antiperiſtaſin generatione, inſtituti noſtri metam tranſcendit, id tantum ſcrutamur qua virtute generato calori lucem flammamve ſuperinducat putredo, quod putredinis per ſe opus omnino inficiabatur, qui accuratius ejus naturam intuebitur. Enimvero Putredo, juxta *Philoſophum* l. 4. Meteor. c. 4. eſt humidi primigenii & nativi caloris ab alieno facta conſumptio, quam totius mixti ſequitur diſſolutio, & elementorum ſub imperio ſuperioris caloris antea contentorum ſeparatio localis. Hæc facta dicitur & abſoluta, ſimplici ortui appoſita invicem ſuccedens. Altera putredinis ſpecie quæ in fieri appellatur, ad corruptelam ſubſtantia mutatur ab externo calore, ut docet *Galenus* l. x 1. Method. c. 8. & humiditate excrementitia,

titia, de cujus corruptionis ἐπιχειρόν & correctione
varia ab eo & Hippocrate traduntur. Eſt hæc par-
tialis & in via ad majorem cum humidi ſiccique
aliqua adhuc copula, à qua ſplendores nati ferun-
tur poſt totalem ſubjecti deſtructionem diſparen-
tes. Vtrique autem putredini duo obtingunt, mu-
tatio & diſſolutio caliditatis humiditatiſque pri-
migeniæ, & principiorum, vel totalis, vel partia-
lis, ut eſſentiæ ratio fere in diſſolutione conſiſtat
unitarum à Natura partium ſi brevibus multa
complecti libeat. Iam ad rem converſi neutrum
putredinis ſtatum lucem generare probamus, quia
per qualitates hanc educeret, vel à toto ſeparatas
vel miſto adhuc unitas. Separatarum qualitatum
nulla ad lucem ſufficit, quia elementorum ſunt.
At horum imbecillior virtus quam ut ſe nobilio-
rem qualitatem procrearent, quum nec inferiorem
poſſint, & quicquid luminis habeant ipſa, foris pe-
tant. Nec plus auxilii à qualitatibus adhuc in tem-
perie brevi ruitura junctis, quia ante miſtionem
& poſt, hanc nulla efficiendi ſplendoris vi ſigilla-
tim pollent. Ego, concipere equidem non poſ-
ſum putredinis qualitatumque vulgarium præro-
gativum jus in proferenda luce, quam nec cœ-
leſtis calor ante putredinem nec totius miſti per-
fecti forma debuit accendere. Naturæ nobilioris
majeſtas laboraret ignobili fama, ſi ignobilia, ſibi
relicta, fulgorem ſuſcitarent, quem corpus nequit
in ſymmetra temperie altioris dominio effloreſ-
cens. Evidens nobis argumentum præbent carnoſæ
animalium partes, quæ ob ſanguinis largiorem co-
piam putredini magis fuiſſent obnoxiæ, nulla ex iis
tamen

tamen in mactatis pecoribus lux emicuit, ſplendor nullus, niſi in membranoſis ſpermaticiſque tunicis ſubitæ corruptioni non ita patentibus. A pinguedine enim, cui inerat quoque, nulla per ſe lux ut infra demonſtrabo. Aliud igitur erit, quod in carnoſis abfuit, in membranoſis vero pinguibuſque repertum ſive abſente, ſive præſente putredine luminoſum. Et ut hanc preſſius urgeam, in omni corporum corruptione lucem adverteremus ſi ab illa dependeret ſola. At tot indies fiunt mutationes, alterationes & corruptiones tam totius mixti quam partium ſine ulla ſplendoris nativitate. In ſua principia, in alias ſpecies per interitum diſſolvitur omne animantis viventiſque genus & cuncta ſimili corruptionis lege clauduntur, obſcura tamen pleraque cum vita fulgorem nativum amittunt. Putreſcunt inſuper etiam in vivis humores parteſque, febres enim accenduntur & inflammationes, nec putredini quicquam lucis debent acceptum niſi quam à ſe habent. Quid autem ad αὐτοψίαν dicemus, qua, à putredine ſola præſente, in lignis, ſquamis aliiſque ſplendorem advertimus? Verbo dubium hoc cum Problemate expediam. A putredine fulgores non oriuntur nec generantur, ſed deteguntur. Nam quum ultra vires haud operetur aut definitos terminos, eo uſque agendo progreditur quo elementorum ductu fertur, à quibus ſicut nulla lux oritur aut per ſe dependet, ita nec à putredine nobilior effectus expectandus. Hoc autem agit putredo, ut in ſua principia reſoluto compoſito vel ad minimum à ſtricta partium unione laxato, latentia luminum ſemina ab elemento-

mento-

mentorum miſtione ſuppreſſa quidem, non genita, libertati ſuæ reddat. Ab hac actione Efficientis nomen meretur ſed ſecundarii, imo, ſi verius loquaris, externi manifeſtantis, qua non magis lucem generat quam elementa, quæ eadem opera reſolvit. Non aliter inſecta generat adeo decantata quam latentium ſeminum manifeſtatione per alterius mixti ſolutionem, ut ideo in viventium interitu luminoſum illud non producat per generationem, ſed per ſeparationem educit antea ſub totius dominio deliteſcens. Quod vel ex eadem colligitur putredine, quæ manet, quin augetur poſt extinctionem educti ſplendoris, ſine alterius luminoſi productione, quod jam ſemel evolaverat. Supponit namque lucem interius occluſam, quam foras promoveat. Vnde non ex quovis mixto putrefacto ſplendores excitantur, ſed ex proprio quod interiorem lucis alicujus miſturam agnoſcit. Aliquid hujus veritatis viderat *Cardanus*, quando Putredinem manentem, viam tantum dixiſſet ad ignem. Quod rodens more ſuo *Scaliger* Exerc. 180. ignem inde putredinis finem infert, & neceſſaria inductione, perfecta putredine ignem vehementiorem generari cogit voluiſſe, quo tamen perfectionis tempore ignem ardere negaverat *Cardanus*. Sed in voce ambigua ludit Vir Subtiliſſimus, quam *Cardano* affinxit. Ignis enim putredine perfecta, hoc eſt, abſoluta & ceſſante amplius non urit, de perfecta vero ſeu ad ſupremum perfectionis gradum elata nuſquam ſermonem inſtituit *Cardanus*. Cauſam quare putredine ceſſante eſſet & ignis ſeu ſplendor, hanc conjicio, quod ceſſet partium

partium ſolutio ſimulque uniantur firmius in nova generatione, adeo ut obliteretur vel miſceatur potius ignis lumenque reliquis principiis. Ignis putredinis finis dici poteſt, ſecus quam arbitratur *Scaliger*, in quibus abundat lux igniſque. Nam reſolvendo totum, componentes partes educit, manifeſtius & diſtinctius ignem, ſi ejus primariæ ſint partes, confuſius pauciores. Quod vero ab eo fine non raro excidat in iis quæ putrefacta obſcuritatem induunt, aliorum prædominio eſt aſſcribendum.

PROBLEMA IV.

An à Perſpicuo Lux Animatorum?

PEr putredinem abſumpta humiditate abundanti & ſiccitate introducta exſurgit corporis raritas quam in perſpicui genere proximus, à qua demum, non immediata putredine, ſplendorem in lucentibus enaſci multis hactenus perſuaſum. Subinde à naturali partium tenuitate, quæ viſum tranſmittit, dependere & gigni credunt. Ejus opinionis fuit *Fabricius ab Aquapendente*, qui omnem in agnina carne à Romanis ſtudioſis Patavii emta, lucem ab ejus perſpicuitate tranſparentia productam indiciis variis aſſequebatur. Nam ubicunque apparebat ſplendor viſa etiam fuit caro diaphana, & illum perpetuo hæc comitabatur, quamvis in diurno lumine majori obfuſcatum latuerit. Vidit deinde ſplendidam maxime eam carnem quæ contactu perſentiebatur mollis, ſeu quæ duri nihil ſubſtratum habebat, unde aëreum perſpi-

cuum

cuum illic adfuiſſe concludit, quam conjecturam etiam veſicula quædam aëre plena videbatur confirmaſſe. Suſpicionem denique hanc ipſi auxit caro in tenebris ea tantum parte luminoſa quæ ad candelæ lumen erat tranſparens, nam oſſibus ſubnixam non æque ſplenduiſſe. Mirum autem non ſit à perſpicuitate carnis lumen deduxiſſe, quod à ſæculi ſui & ſuperiorum conſenſu didicerat. Vulgata enim opinio tulit longius repetita non ſolum à perſpicuo oriri ſplendores, ſed præter lumen, perſpicuum eſſe nihil. Pro ipſa luce cepit *Martialis* lib.13. Ep.5.

Cerea quæ patulo lucet ficedula lumbo,
Cum tibi forte datur, ſi ſapis, adde piper.

Et *Claudianus* in Elegia de fonte Aponi:

Denſus nube ſua: tactuque immitis & hauſtu:
Sed vitreis idem lucidus uſque vadis.
Conſuluit Natura ſibi: ne merſa lateret.
Admiſitque oculos quo vetat ire calor.

Seneca c.1. de Tranq. Vitæ: *Quid perlucentes ad imum aquas, & circumfluentes ipſa convivia loquar.* Inde Vinum ſplendens *Cœlio Aureliano* l.1. acut. c.11. pro claro ſeu defecato. Nec ab uſu ſequioris ævi abhorruit ut elegans probat Epigramma *Gilberti Ducheri* Vultoni quem apud *Angelicum Aproſium Vintimigliam* Amicum non ita pridem legi. Is in Iconem capitis mortui, ſed tranſlucidi ita l.1. luſit:

Luce ſua caput hoc caſſum quod lampada fundit
Ore, oculis etiam lumina: cauſa quidem eſt:
Hinc certe ut conſtet, poſt mortem vivere, fama
Aeterna, & laudum poſteritate frui.

Apud

Apud Græcos pari licentia διαφανὴς candens notat ut in *Hippocrate* obſervat *Galenus* comm. 1. De Articulis. ubi probat *Cous* Senex ferramenta alis admovenda, candentia eſſe oportere ſeu διαφανία. Quo ſignificationis flexu eandem vocem ceperat lib. de Videndi Actione non ſemel, ut quum ad palpebrarum glabritiem, tyloſin, &c. ferramenta ignita, vel, ut ille loquitur, διαφανία reprobat; καὶ ἐπικαίων ἔνδοθεν μὴ διαφανέσιν, hoc eſt, intus urito oculum ferramentis minime candentibus. Aërem autem, aquam, & quodvis tranſlucidum corpus, ut vapores tenues & aëreas, ſola condenſatione partium diſperſarum lucem generare, maxime ſi pura ſint, ulterius explicant, adeo ut agnina caro luxerit tam propter carnoſas partes diaphanas, quam propter roridæ ſubſtantiæ condenſatum perſpicuum. Sectæ hujus anteſignanus eſt *Albertus*, qui rem totam fuſius explicavit 2. de Anima tr. 3. cap. 12. *Scias omnia illa eſſe lucentia, in quibus ſpiſſatæ, & quaſi calcatæ continuantur partes nobiliores diaphani.* Quod confirmat vario experimentorum apparatu: *Aqua licet ſit minus perſpicua quam aër, tamen licet propter ſpiſſitudinem plus habet luminis,* & retinet ipſum fortius, & ideo ſi talium aliquod nitens, ſicut argentum, ponatur in vaſe in loco ſubobſcuro, ita quod in aëre videri non poſſit, videbitur aqua limpida ſuperfuſa: & ideo veriſſimum eſt, perſpicuum condenſatum in partibus, & lumen valens tenere fortius, & aliquid luminis in ſe habet, & per illud micant hujuſmodi corpora. Hæc aliaque quanquam à perſpicuo lucem aſtruant, ab illo tamen ſolo non evincunt, niſi

præter condenſationem ejus lucidarum partium concurſum admittamus. Nihil enim operandi vires tranſcendit. At quum diaphanum corpus per ſe lucidum nequaquam ſit, ſed ambigui juris,& indifferens in luce lucidum,in obſcuro tenebricoſum, ex condenſatione partium dubio modo ſe habentium non magis exſurget lux quam tenebræ. Quippe condenſatio in unione arctiore diſperſarum partium conſiſtit, quæ, ſi per ſe lucidæ non ſint, quomodo in congreſſu luceant hebetior ſum quam ut intelligam. Fateor quidem ex commiſtione & temperatura nova diverſas ſubinde in temperato emergere qualitates, ut exemplo ſaporum & odorum traditur in Peripato,diverſa tamen hic condenſationis ratio, quæ ex ſimilibus partibus congregant totum non diverſis. Vnius enim ejuſdemque conditionis ſunt diaphani corpora, ſi diverſa dicas, & ex aliis compoſita, jam præter diaphanum purum conſtipandum extraneam aliam qualitatem largiris. In miſtione præterea & multarum qualitatum congerie ſingulorum potentiam partialem ad efformandam novam illam qualitatem requirimus. Gratia exempli ex primarum & ſecundarum qualitatum concurſu ut exſurgat tertia ſeu ſapor, ſeu color, ſeu aliud quidpiam in ſingulis occulta latet vis quam ad efformandum contribuant. In corpore diaphano nihil tale quatenus perſpicuo,quia per ſe lucidum non eſt, ad tenebras lucemq; ex æquo promptum.In aëre primo diaphano juxta Philoſophum, conſerto pede diligentius urgeamus. Hic ex ſe coloris omnis & lucis eſt expers mediumque ad utramque indifferens,

rens, ut ejus quoque perſpicuitas. En Ariſtotelem teſtem c. 3. de Coloribus: Album & Diaphanum quando rarum fuerit valde, apparet colore aëreum. Aër autem cominus inſpectus, nullum videtur habere colorem. Si quem habere dicas, eum ſolum, non alium, in condenſatione profert. Album quidam dixerunt ex vetuſtioribus, ut arbitror, propter nullius coloris ſpeciem. Id ex corporibus albis conjiciebant ab aëre incluſo ita coloratis, ut in nive & ſpuma docet *Ariſtoteles* 5. de Gen. animal. c. 6. Vnde in Probl. 1. Sect. 21. ptiſanam & farinam ſuperfuſo oleo albiores per ſpumam concedit. Et *Michaël Epheſius* cauſam afferens, quare aër perlucidus albedinem faciat, quoniam, inquit, calidus & albus natura eſt. Tantum igitur abeſt, perſpicuum ſemper reddere lucem, ut aër (primum diaphanum) condenſatus albedinem faciat. Ita *Ariſtoteles* l. de Coloribus: *Condenſatus aër quemadmodum & aqua, omnium albiſſimus eſt.* Quod in glacie obvium ex aqua concreta candicante, & ovis quæ cocta multo fiunt candidiora. Vnde autem à condenſatione albedo? an quia conſtipatio perſpicui nudi? nequaquam. ſed quia condenſatio eſt perſpicui aërei. Aër vero & aqua per ſe ſunt natura alba, teſte eodem *Philoſopho* cap. 1. Col. ut ignis & Sol, flavi. Nam in condenſatione eodem colore uniuntur particulæ, quo ſeparatæ emicuerant. Sed apparens hic aëris color, qui alias in condenſatione artificiali conſpicitur nullus, quia in ſe coloratus non eſt, indifferens ad omnes tingentium maculas. Perſpicuum enim in nocturnis tenebris obſcuratur, ad lucem vero

 illumi-

illuminaretur. Idque ex medii natura, ut omnes & recipiat & tranſmittat ea qua influxerunt facie. E longinquiori loco incidens nigriori colore obverſatur oculis, & cyanea magis tinctura, quam cœlo affingunt, vicinus vero, ob tranſparentiam, ut dicunt, ſpecie albicantis recipitur. Obſcurum ea mente *Virgilius* decantavit, & denſum ſeu obſcurum (utrumque enim ſignat vox αἰνὴ) *Apollonius Rhodius* lib. 4. Arg. v. 647. De Iunone:

ἀμφὶ γὰρ αἰνὴν
Ἤερα χεῦε θεὰ πάντ' ἤματα νισσομένοισι.

quod obſcurum
Aërem Dea quotidie circumfunderet pergentibus.

Ex denſitate aëris perſpicui ſive vaporibus orta, ſive ventis conſtricta hic tenebras vidimus, non lucem quam diaphani ſobolem ferunt. Dignus hic audiri *Author de Coloribus* c. 3. Album & diaphanum in denſis omnibus, apparent quædam caligo, quemadmodum in aqua, & vitro, & aëre, quando fuerit craſſus: radiis enim propter denſitatem undiquaque deficientibus, nequimus quæ intra eos ſunt exacte perſpicere. Vt habeamus perſpicua talia lumen ab alio recipere, non generare ex ſui concurſu. Et variis modis ejuſdem aëris diaphani arctatio tentata non lucem magis quam tenebras producit, ut in bombardis ventoſis hydrolabio Sanctorii, anthletis, aliiſque eſt obſervare. Non igitur à perſpicui ut perſpicui condenſatione, lux expectanda, ſed à perſpicui lucidi eſſentia quæ juncta invicem luce ſua radiat. Ab illo perſpicuo diſtinguitur lux quæ ab extra adventat. *Alhazen* 2. Opt. c. 2. prop. 55. *Quoniam quando ultra corpus dia-*

diaphanum fuerit lux aut corpus coloratum illuminatum, videbitur ultra corpus diaphanum. Et viſus non ſentit diaphaneitatem corporis, quando ſenſerit illud quod eſt ultra ipſum, niſi quum ſenſerit quod color & lux, quæ comprehenduntur ultra corpus diaphanum, & lux & color ultra corpus diaphanum, & non eſt color & lux ipſius corporis. Quod invitus faſſus eſt *Albertus*, quando non nudum perſpicuum, ſed lucidum igneumque agnovit l. d. *Hæc igitur eſt cauſa in oculis quorundam animalium, & oculis quorundam piſcium: terreſtria enim aduſta commiſtam ſibi habent perſpicui naturam; & hoc, quia levior eſt, in ſuperficie eſt; & micant propter illud.* Sunt autem quidam, qui capita lavantes cum lixivio, & radentes pilos capitis, & quum extergunt capita ſua panno aſpero, evolant de Capite ſcintillæ: quæ profecto ſunt partes terræ, in quibus ignis natura eſt micans per modum dictum. Vnde recte *Scaliger*, quamvis de perſpicuo interminato indifferente, omnem lucem à luce in medio diaphano deducit Exerc. 298. n. 16. Lux, ut Philoſophice potius, quam uſitate dicam, coëfficiens. Nam & eſt actus medii, quod erat tantum in potentia: & elicit ſpecies è materia, perque ipſum aërem defert medium ad ſentiendi inſtrumentum. Hinc colligendum & ex ſuperioribus, ſi diaphanum nudum conſideretur, ex condenſatione non emergere lucem ſimpliciter, ſed colorem quo ipſum corpus affectum eſt, ex perſpicuo aëreo nudo, aëreum, ex igneo igneum, ex luminoſo luminoſum, ut diſperſarum partium naturam in conjunctione ſervet. Perſpicuum contra determinatum neceſſitate

tate evidenti, conſtrictum ad denſiorem copulam, lucentes partes, diſperſas ante, propalat. Quibus ſuppoſitis ad contraria argumenta facile erit reſpondere. Quæcunque enim offeruntur perſpicua, quæ lucem condenſando produxerunt, determinata fuerunt, vel in ſe lucis igniſvè latentes ſcintillas ſuppoſuerunt, vel perſpicui partes ejus naturæ aſſumpſerunt. Ita ex condenſatione aëris nubiumque tonitru & Meteora lucentia dicuntur provenire quod ea unione, ſulphurea accenſiliſque materia antea latens preſſius cogatur, adeoque exprimatur lux, non generetur. Sublunaris pariter ignis, ſi quis talis, facta luminoſorum atomorum ſtrictiori congreſſu, lucet & videtur, nec nudum perſpicuum ſupponit. Denique concurſio cœleſtis diaphani, quatenus lucidi, in lucem & aſtra perhibetur compingi, unde & novæ ſtellæ vel generantur, vel occidunt pro diſſolutione vel conſtrictione ejuſdem. Non alia ratione lucem à Deo generatam initio creationis exiſtimat in Dipluranologia R. *Emanuël Porto*, quam ſola extenſarum diaphani ignei partium condenſatione quæ lumen reddebat. Vere quidem, ſi ullum creati ante diaphani, idque ignei vel lucidi extaret veſtigium. Vrgebis perſpicui multiplicem ordinem minus neceſſarium. At ſine illo naturæ miranda vix explicabimus. Hunc vidit D. *Thomas* de ſenſu & ſenſ. c. 3. in gradibus diaphani conſtruendis, quos ad mentem noſtram diſtinxit, ut primus ſit corporum Cœleſtium, ſecundus ignis in proprio circulo, tertius aëris, aquæ quartus, quintus corporum quorundam terminatorum, quæ ratione aquæ,

quæ, & aëris illis inexiſtentium pervia viſu, uti cryſtallus, vitrum, gemmæ, ultimus denique terræ competat in ſuperficie. Quæ in meliorem ſeriem digeſtam *Priſciani Lydii* Comm. in *Theophraſtum* de ſenſ. Phant. & Intellectu, ductum ſecutus, in eſſentiale luminis, eſſentiale tenebrarum, ſucceſſivum utriuſque, & tandem temperatum ex utroque. *Albertus* l. de ſenſ. ſecundum magis & minus ſejungit, & in purius, quando naturæ ſuperiorum ſimilius efficitur, impuriuſve dividit. Addit in viventium perſpicuo lucem fieri, quotiens conſtet partes ejus limpidiores eſſe & nobiliores. Duplex autem eſt in animantibus diaphani officium, vel ut ſplendorem producat, vel ut ſubjectum contineat, hoc à proprietate naturali habet, illud ab alio Efficiente condenſante acquiſivit, de quo ſupra aliqua in Subjecto. Hoc terminati diaphani rationem æmulatur illud in terminati, ne decantatam adeo diſtinctionem negligam.

PROBLEMA V.

An Cœlum Cœruleum?

De perſpicui coloribus injectus ſermo cœli me admonet, de cujus colore varie litigant Eruditi. In cœruleo conveniunt opiniones, qua oculos apparente tantum ſpecie perſtringit. Sed quæ ſit cauſa quod cyanæo hoc colore cœlum imaginemur, paucis explicatum. Ad tenebras & opacitatem media ingreſſus eſt via *Parens* noſter æterno deſiderio colendus, ſtatuitque obſcuritatem mixtura luminis ſub ſpecie cœrulei præſentari. Argumenta quibus in hanc conjecturam conceſſit

lib. de Cœlo cap. 2. p. 107. ſ. 2. referuntur haud obſcuræ veritatis. Sylvæ enim & montes ex longius diſſito loco conſpecti, cœruleum colorem oſtentant; quia actu perſpicuum tenebris excipitur, & quaſi opacitate, ut cœruleus videatur tantum eſſe tenebræ illuſtratæ. Ex fumo non fumoſum ſubſidium fœneratur ut excerptas lumine tenebras cœrulei coloris apparentiam facere demonſtret, ille enim modico lumine concepto & reflexu cœruleus viſitur. Sic etiam inferiorem aërem, in quo degimus, veriſimile eſſe ibi apparere cœruleum, ubi tanquam obſcurior radiis luminum cœleſtium nonnihil illuſtratur. Ante eum ejus ſententiæ author perhibetur *Patritius*, ſed diverſus hic, à *Scaligero* parum diſſentit, quorum uterque à radiorum viſibilium ob medii diſtantiam interruptorum cœruleum obſcuriorem deducit. Et quamvis inveniendo primus fuerat *Patritius*, Confirmando probandoque primus certe erat *Bartholinus*, quem licet opis non indigum, facile juveris. Ea enim ratione apparentes colores fingimus adumbrari, qua gigni veros. At cœruleus ex nigredine luci miſta temperatur, cum illius tamen abundantia, qua ſublata, ut in cœruleo in Germania eruto expertus eſt *Scaliger*, per olei admiſtionẽ, ad ſplendidiores colores deflectit, viridiſque ex cœruleo provenit. Vnde fictam nigredinem perſpicuo implicatam, eandem cœrulei faciem mentiri non præter rationem credimus. Conſentit cœrulei maris apparens color ex perſpicui & umbrarum poſitu in fundo ortus. Sed multa ſunt veritati huic tenebras offundentia, quæ ut diſcuterem ἐν παρόδῳ huc tranſilivi.

livi. Movet aliqua contra Parentem *I. Sperlingius* l. 3. Inſt. Phyſ. quæſt. 4. ingenioſa ſatis & erudita, ſed quibus pares ſolutiones aptari poſſunt. Initio negat ad colorem cœruleum quicquam facere tenebras quia nihil niſi luminis abſentiam notent. Vbi nodum primo ſuccedere in coloribus veris, non apparentibus propoſitam difficultatem: ſecundo, privationes primaria quidem actione poſitivum producere nihil, ſicut nec luminis defectum per ſe oculis nocere: at opera ſecundaria & cœcitatem inducere morboſque, & veros effectos, ut pictos taceam. Præterea qua remora tenebræ ad colorem miſcendum concurrere nequeant, non video, quum ex varia umbrarum luciſque miſcela tot colorum differentiæ creentur. In picturis artificioſis res trita quæ diverſum umbrarum luminiſque ſitum æquali vel inæquali quantitate ſortiuntur, modo luminis plus, modo umbrarum, ut quotidie in Dædaleo Italiæ orbe non ſine delectatione obſervamus. A quo artificio tot Colorum ſpecies apparentes admiratur *Author de Coloribus* cap. 3. hoc contextu: *Inveniemus enim, aut propterea quod inæqualiter cum lumine & umbris temperamenta ſumuntur, nam umbra & lumen ſecundum magis & minus, plurimum à ſe invicem diſſident, quare tum per ſe, tum mixta cum coloribus creant colorum mutationes.* A quo ordine qui cœruleum tam verum quam fictum excluſerit, nimis quam injurius cenſebitur. Luminis abſentia quid ad ſimulandos colores valeat, in tempore ſtatim enarrabimus. Tenebrarum autem & umbrarum conditio parvo diſcrimine ſeparantur, nec niſi ſubjecto differre videntur libero vel

altricto. Vmbra enim terræ, quid niſi tenebræ
ſunt? quando ſejuncta? Reciproca certe natura in-
vicem comitantur, ut ubi unum, ſequatur & alte-
rum, ſolo neceſſitatis vinculo à denſo tenebræ de-
pendent, quod de tenebris, quamvis male, non
dicitur. Quod ſi rigoroſius tenebras cum umbris
paria non facere in temperandis coloribus urgeas,
en authoritati conjunctam experientiam. Textus
eſt *Ariſtotelis* l. d. de Coloribus, ſua luce radians:
*Alia autem, quibus umbroſi ſunt colores, etiam lævita-
tem participant, veluti aqua, & nubes, & avium pen-
næ.* Etenim hæc, tum propter radios incidentes,
tum lævitatem alias aliter temperatos, diverſos
efficiunt colores: quemadmodum & tenebræ,
τὸ σκότος. Ad oculum in tenebricoſo muſæo idem
advertimus, in quod intromiſſæ per anguſtum tu-
bulum externarum rerum imagines inverſæ noctis
colore tinguntur & varia ſpecie à luce tenebriſque
imbuuntur. Cauſa eadem in gemmis vitriſque per-
ſpicua, quæ pro umbroſorum angulorum numero
totidem colorum fulgentium differentias ſiſtunt.
Vnde lucem capit & animam negata propoſitio,
etiam interdiu perſpicuum tenebris excipi, quam
umbræ corporum omnium denſiorum, refractæ in
nubibus radii & innumera alia ſuo robore firmant.
His Domino ſuo vindicatis, quid opacitatem il-
lam in cœlo præſtet, inquirendum reſtat, ſi qui-
dem revera in æthere nulla opacitas, umbræ nullæ.
Quæſiti pondus elevarem, niſi pretium *Adverſarius*
ſtatueret; non ſolum enim circulari motu in gy-
rum nos ducit ad antea probata & à ſe quoque
de obſcuritate ex *Scaligeri Patritiique* mente viſa;
ſed

ſed cœlum pro aëre nobis ſupponit, in quo umbrarum ſpecie non raro ludimur, ut fatetur ipſa ejus nova conjectura. Apparens color, & apparentem opacitatem requirit, quam à defectu linguis diſſiti luminis in oculis referunt *Patritius* & *Scaliger*, & ante hos *Ariſtoteles* l. 3. Meteor. c. 3. & Probl. 23. Sect. 23. quod nigrum velut negatio ſit deficiente viſu: ut ideo omnia appareant nigriora ad quæ remotior viſus non pertingit. Ex *Plutarcho* de facie Lunæ, nigredinem ſeu obſcuritatem in cœlis, imbecillitatem viſus diceremus ſplendori nimio cedentem. Sed ſummus Vir *Cæſar Cremoninus* c.2. de Macul. Lunæ videri quidem ex remoto ſplendore obſcurum concedit quotiens contingit viſum luce obrui, verum in illo cæcutiendi actu quidquam diſtinctum videri inficiatur, multo minus cœruleum. Laudatus jam *Sperlingius*, aëreis vaporibus cum lumine miſtis cauſam potius defert, veteri & obſoleta opinione, conſulto, ut teſtatur Parens noſter in loco controverſo à ſe neglecta. 3. Reg. 18, 45.

Ex triplici autem nubium ordine, quemnam elegerit ſi apertius docuiſſet opponendi anſam præſecuiſſet. An primum ex aëre puro concretum? Non arbitrer, quum nec radios figat nec luminis colores temperare poſſit. An vim conjecturæ ex ſecundo genere erexit in aqueis vaporibus? Ita quidem præ ſe fert adductum Iridis exemplum, ad quod vapores ſuos expendit. Sed metuo ne cum his citius diffluat. Vnde enim ex diaphano hoc corpore nigredinis mixtura, quod nulla ſui parte opacum eſt? Tertii reſtant vapores ex terrea portione

tione craſſi & nigri, quibus lumen incurrens temperatur. Quo mentem verterat voce reflexionis, quæ denſi eſt corporis, non diaphani in Iride conſpicui. Hic ſcrupulum nobis injicit ſerenus cœli vultus nubibus ſubinde omnibus, præſertim craſſis illis nigriſque raro elevatis deterſus, qui cœruleum colorem ab illis non contrahit. Imo in medio montium altiorum ſubſidentes nubes, cœlum eadem cœrulei ſpecie nobis in jugis conſiſtentibus ſæpius reliquerunt. Quid ſi obſcuritatem in ipſo æthere aſtruerem, quam in aëre? Hanc in cœli partibus advertimus, Solis, Lunæ & Cometarum corporibus, & in univerſa cœlorum compage, ut minatur apud *Eſaiam* Vatem ſacrum Iehova cap. 50, 3. *Induam cœlos tenebris, & ſaccum ponam operimentum eorum.* *Hieremias cap.4,23. Adſpexi terram, & eccce vacua erat, & nihili, & cœlos & non erat lux in eis.* Pharoni myſtico ominatur *Ezechiel c.32,7,8. Operiam, cum extinctus fueris, cœlos, & nigreſcere faciam ſtellas ejus: Solem nube tegam, & Luna non dabit lumen ſuum. Omnia luminaria cœli nigreſcere faciam ſuper te.* Eccl. 12, 2. tenebræ luminaribus lucique prædicuntur: *antequam tenebreſcant Sol, & lux, & Luna, & Stellæ, & revertantur nubes, pluviam.* Intendebat forſan huc digitum *Claudianus* lib. 1. in Rufum, quum Alectonem inferum ſic minantem introduxit:

Iam cupio Stygiis invadere nubibus aſtra.

Sol tenebricoſis maculis ſtatis vicibus diſtinguitur, quæ ſive vapores ſint, ſive Planetæ novæ, ſive denique orbis inæqualitates, lucidiſſimum ſidus non leviter inumbrant. Paria in Lunæ facie cernuntur

nuntur variegatis tenebris,ſive quod terreſtre quid & obſcurum illi miſceatur, ſive montium, ſylvarumque aſperitatibus obnubiletur, ſive denique à vaporum interjectorum nigredine tingatur. Et in his notandum, ex opacitatis Lunæ luciſque copula maculas apparentes faciem pingere colore cœruleo, ut canit apud *Plutarchum* Ageſianax:

Hanc circum rutili tota lux funditur ignis;
In medio quædam ſpecies, ſed glauca, puellæ
Conſpicitur, Cyano mage cœrula, cujus ocelli
Et frons oſtendunt ſuffuſum pulchra ruborem.

Vt inde ratio *Cyro Theodoro* conſtet, Epiſcopo Phrygiæ quum in Poëmate de Provid. v. 19. nocturnum lumen Lunæ à Sole glaucum vocat:

Αὔξη σελήνης καὶ πολύτροπος φθίσις
Τοῦ νυκτερινοῦ γλαυκοφεγγοῦς ἡλίου.

Augetur Lunæ etiam multivarium decrementum
Nocturno glauci jubaris Sole.

Tandem Cometas umbram jacere proditum ab aliquibus memini, cui immixta cauda eorum, ut contrariæ, magis luceat. In diffuſo quaquaverſum æthere umbrarum opacitatiſque mixturam ponunt diverſæ raritatis denſitatiſque varietates omnium ſenſu & confeſſione obviæ, quibus ſingulorum aſtrorum obſcuriores exhalationes cum recentis cœli magiſtris noſtris adderemus, in toto diſperſa opacitas lumini neceſſario miſcebitur, ut cærulleum emergat. Sed mirari ſubit de opacitate umbraque in cœlo dubitare qui ſupra cœleſtes aquas,

cœlum

cœlum aſtraque de facili obnubilantes, ſevero vultu comprobat. Denique minori culpa tenetur *Bartholinus* de tenebris ambigue loquutus quam ſi cum cæruleo purpureum colorem imprudentius miſcuiſſet. Eadem enim vocum notione opacitatem nigredinemque uſurpari, nemo adeo obſcurus qui neſciat, quanquam nigredinem gratis nobis impoſuerit Vir alias Clariſſimus. Hæc ex occaſione ſtrictim ad Doctiſſimas inſtantias libuit ingenua replicatione ſubtexere, Parentis inter ſidera pridem relati innocentia, oppugnantis vero candore non parum fretus. Fuſiorem commodarem calamum, niſi prohiberet arcta pagina & repetendus ordo.

PROBLEMA VI.

An ab Attritu Corporum Scintillæ Animales?

PRæter perſpicuitatem & putredinem nonnunquam lux vel flamma ex corporum duriorum invicem alliſione excitari videtur. Sine interprete teſtis eſt ſenſus. Ex chalybe enim ad ſilicem trito ſcintillæ exſiliunt. Ex ſilicibus quoque inter ſe commiſtis & chalybe ſimili corpori contrito, excutitur ignis. *Plinius* de Lapidibus fidem facit lib.36. Lapides quos vivos appellamus clavo, aut altero lapide percuſſi, ſcintillas edunt. Iccirco Lapones matrimonii fædera igni, ac ſilice auſpicantur, quia ignem authorem vitæ rentur: Silicem vero ejus æternum theſaurum ubi nunquam marceſcat. Ejus eliciendi primum authorem Cilicem perhibet idem lib.7. c.56. ut eundem ferula aſſervare

vare Prometheo tribuit. Lapidum genera ordine juſto recenſuimus initio operis, unde eadem repetere per tædium ſuperſedeo. Chalybem chalybi illiſum edere ſcintillas contra Cardanum negantem ex præliis ferventibus probat *Scaliger* Exc. 16. n. 1. Tu ubi negas, ex chalybe chalybi alliſo ignem excuti: non videris vidiſſe in præliis etiam cum impetu ſcintillas erumpere, atque emicare. Nec id mirum, quum etiam ex arboribus feris ventorum vi impulſis non lumen ſolum ſed, quod amplius, flammæ urentes concipiantur. Quale incendium depingit *Lucretius* lib. 5.

Exprimitur validis extritus viribus ignis
Et micat interdum flammai fervidus ardor
Mutua dum inter ſe rami, ſtirpeſque teruntur.

Et *Cornelius Severus* ad eandem ſententiam reſpicit in perpetuis Ætnæ flammis:

Haud aliter, quam cum prono jacuere ſub Auſtro,
Aut Aquilone fremunt ſylvæ: dant brachia nodo
Implicitæ, ac ſerpunt junctis incendia ramis.

De moro, lauro, & hedera per partes repetit *Plinius* lib. 16. c. 40. *Calidæ & morus, laurus, edera & omnes è quibus igniaria fiunt.* Exploratorum hoc uſus in caſtris, paſtorumque reperit, quoniam ad excudendum ignem non ſemper lapidis occaſio eſt. Teritur igitur lignum ligno, ignemque concipit attritu, excipiente materia aridi fomitis, fungi vel foliorum, facillime conceptum. Salicis quoque fruſta extenta ſi confricentur ignem cudunt, idemque victis palmitibus fortiter colliſis fieri refertur. Sed nihil edera præſtantius quæ teratur, lauro quæ terat. De Molari & Pyrite quid referat

rat ex lib. 26. c. 19. olim ſcripſimus. Non aliter in partium viventium mutuo conflictu ſcintillas elici analogiæ ratio ſuadet, ut quod de dente ligno Indico percuſſo reliquiſque contracta fulgentibus, dicebamus adhuc cauſam examinari debeant. Verum in eo hæret conjectantium labor, qua vi contritio lucem generet. Ab excitato per levem motum calore producunt aliqui. Plures in aëre attenuato ſubſiſtendum judicant, qui diſgregatus facile concipiat ignem prodeuntem. Hinc ex ſilicis angulo facilius elici putant, quia fortius diſgregetur aër vicinus. Vir Doctiſſimus *I. Sperlingius* ad præſens ſulphur cum Chymicis confugit. Sed eodem diſtantiæ gradu omnes à re abſunt quam aſſequi conabantur, larvam enim pro corpore amplexi ſunt & pro vera fictam imaginem prenſarunt. Manet occulta veritas, & difficultas, quam eorum nullus expedivit. Vnde à calore flamma? ab aëre attenuato ſcintillæ? à ſulphure lux? An per ſe naturæ origine? an ab attritione? Nihil ex his verum tangit. Flamma enim nec ignis proprium nec ſulphuris, quum ignis in propria ſphæra non luceat, nec in aqua lebete calefacta. Sulphur vero flammæ luciſque idoneum ſubjectum ſcimus, pro Efficiente non agnoſcimus, quum aliunde habeat cœlorum qualitatem. At à diſgregato aëre naſci flammam quomodo evincunt? An ab actione ſegregationis per ſe producitur corpus? Vapularem apud Philoſophos ſi aſſererem ego. Recte *Ariſtoteles* l. 2. de Gen. acal. c.6. *Rationes quæ non ex propriis ducuntur principiis, inanes ſunt, & rerum eſſe videntur, cum longe aberrent.* Quod res eſt

verbo aperiam. Attenuatio corporum lucis Efficiens cauſa eſt externa, ſeu, ut loquuntur Scholæ, ſine qua non, quæ lucem flammamve non generat, ſed in lucem profert impedientibus remotis, quæ partes quoque putredinis fuere. Segregando enim per attenuationem craſſiora corporum obſtacula, quæ ut catenato quaſi imperio interiorem lucem aſtrinxerant, profert quod vinctum antea latuit, & ad emicandum feneſtram aperit. Compreſſionem hanc felicius acuta perficiunt, ut magis ſcindentia, qualia anguloſi ſilices & duriorum vis, nihil ex aëre elicientia ſed ex ipſis inter ſe colliſis. Aër enim, ut perſpicuum omne, ſegregatus, nec flammam concipere nec lucem aptus eſt, quæ ex ſententia ſapientum ex condenſatione ſola perſpicui emergunt, alterius loci. Dubitationem tamen ingerit *Alexander* Sect. 4. Probl. 59. ubi rationem redditurus cur alapis cæſi ignem intueantur, reſpondit; *quod videndi Spiritus ſub ictu attenuatus valde incendatur & in aërem evadens talis emicet*, ſiquidem ita ab ſilicibus aut attritis ferramentis circumplexo aëre valde percuſſo ignis emicat. Eandem Spiritus Animalis arctationem in fulgoribus exeuntibus ſequuntur Optici. Sed in oculorum colliſione duplicem Spirituum paſſionem adverto locis diſcretam, nam & attenuantur & condenſantur ab eadem impreſſione, attenuati ea parte qua ictus incidit, communicatis partibus attenuatis anguſtiori loco alios vicinos denſant quos impulſos exilire cum luce credo. Indicium hujus rei hoc habeo, quod raro obſervaverim ea parte fulgere & exilire lumen oculorum qua compreſſi erant,

ſed paulo remotiori ut in conſtrictione per digitos cuivis experiri promptum. In aëre diſpar ratio, qui premi pellive non poteſt quin facile in diverſum cedat imperii ſui amplitudine. Hæc dicis gratia ſcribenti enaſcitur animo fortuna forte conjectura unde ex aëre ſegregato flammam neceſſario moliantur authores, quia attenuatus aër ad ignei elementi ſublunaris ſubtilitatem temperatur à qua gradu tantum differre videtur denſitatis. Hoc autem diſcuſſo cum puritate ſimul & calorem, & ſplendorem aſſumere. Equidem impetrato pro priori ſuppoſito conſenſu, male ex igneæ ſubſtantiæ proprietate flammam lucemve ſperant, quæ utrique ex æquo peregrina. Flamma igitur ſegregatione ex attritis corporibus defluit, non aëre, & emergit, quæ imperio continentis tegebatur. Vnde intus deliteſcere æthereas lucidaſque in lignis, lapidibus, metallis, & viventibus partes in loco ſupra narravimus, quæ vel leviter remoto obſtante eluceſcunt, ut in muliere Veronenſi, Franciſco Guido, *Cianſio*, equis Cattiſque, ſi laxiori vinculo contineatur lux, vel fortius tritæ emergunt, ſi durioribus aſtringantur munimentis. Contra fruſtra exituras ſcintillas æterna attritione ſperabis ſi interioris luminis caſſa fuerint corpora, quamvis & dura ſint & preſſius confricentur. Vnde ad lapidum levitatem & rarorum ſpiramentorum hiatum cum *Alexandro* Probl.6.Sect.4.non recurrimus in iis qui incuſſi ignem non emittunt, ſed ad ſecretioris lucis defectum. Nam & arbores harumque folia quovis lapide leviora & poroſiora levi inter ſe colliſu igneſcunt ab interno flammarum principio.

PRO-

PROBLEMA VII.

Num Humores noſtri ſint Efficiens Cauſa?

PRopius ſcopum feriunt qui penetralia Animalium ſcrutaturi lumen omne ad interiora principia reducunt. Principia duplicis ſunt generis, ſimplicia, & ex illis compoſita. Illa elementa, hæc humores licet appellare, à quibus nunc diſputandi principium erit. Humoris ſanguinei coagulum, pinguedo, quam ſplendoris in pleriſque authorem exiſtimant. Nec id ſine ratione. Obſervatum quppe in carne Monſpeſſulana fulgorem ea maxime parte enituiſſe, quam abundans pinguedo ſepſerat, circa renum oculorumque Latera. Notavit eam pinguedinis lucem in Dracone Indico, Septicubito verme *Philes* carmine, quod, ob brevitatem, ex verſione *Berſmanni*, ſupra recitavi. In viventibus animantibus notior res quam ut egeat probatione, evaporationes elevari, exire halitus lentos oleaginoſoſque ex partibus, ut puto, pinguioribus, qui vicinis quibuſque ob tenacitatem adhærentes in ignem ab externo frigoris ambitu condenſantur, flammamque vel ſponte ſua vel minimo lumine arripiunt. Quod unguento delibuti apertius atteſtantur, in quorum catalogo Laviniam *Virgilii* aliqui numerant, quam crines unctam ex ſæculi more, flamma de facili arripuit, & Stephanum illum apud *Plutarchum* in Alexandro Naphtha oleoſitatis participe unctum, è cujus corpore vix dum perunicto ac lumine contacto, tanta emicuit flamma, tantum efflagravit incendium, ut

Alexandrum terruerit. Naphtha enim ſummum cum luce commercium alit, & è longinquis ad ſe allicit, attractoria vi & poteſtate Magnetica. Naviantium corporibus effluvium ſimile expirans antennis applicitum in lumen fulgoreſque marinos commutatur modo ſimplici facie, cui ob pulchritudinem ominoſam Helenæ nomen poſuerunt nautæ, modo duplici vultu per Caſtores ſeu Dioſcuros ab iiſdem notato. A calore internorum viſcerum in hominibus ejuſdem temperamenti diſſolvitur pinguedo; vel quidquid in reliquo corpore oleoſitatis exſtillat tam per ſpiracula cutis quam reciprocas pulmonum ventilationes, ſpecie halituum & vaporum, in flammam cito tranſit. Cujus caloris vicem ſubinde alienus gerit per motum vehementiorem excitatus, à quo in veſtes, induſia aut vicina corpora ſcintillæ diſſeminantur. In cœmiteriis & patibulis ex buſtis elevati fumi pingues viſcoſi & per conſtipationem & accenſionem materiæ inflammabilis errantium luminum figura viatoribus illudunt, de quibus inſpiciendi Meteorologici: vocarique ſolet fatalis ille mortuorum locus à Charoneis plenus prodeuntibus fumis calidis, Ignis & Sulphuris apud *Iſidorum* lib. XIV. Originum. Imo quod admirationem excedit, collectæ oleaginoſi effluvii reliquiæ longo interjecto tempore in ſcintillas reſolvuntur. Si enim faſcias ſeu tænias ſerico textas ſed uſu detritas leviter excutiamus igniculi ſuſcitantur & ſcintillæ, quæ omnia ex authorum fide brevibus propoſuit *Geſnerus* L. de Herbis Lucentibus: *Concipiunt veſtes interiores fumos & exhalationes corporum, eaſque pingues, quæ*

quæ & facilius retinentur (hyeme præſertim denſis & multis veſtibus) & inflammari idoneæ ſunt: Hæ deinde jam actu calidæ, & in frigido loco commotæ, cum in frigidum aërem diſpergi nolint magiſque uniantur, per antiperiſtaſin motu accedente ardent. Plura in propoſitorum fidem accerſere nihil attinet quum in elychniis eluceſcat pinguedinis promptitudo, & ad flammam alendam oleo nihil æque aptum, vel quidquid ad ejus naturam acceſſerit. Vnde pice Iacula ſua inunxiſſe Argonautas, quo facilius flammam conciperent, teſtatur *Valerius Flaccus* lib. 8.

—— *armant alii picis unguine flammas.*

Hincque lucernarum perpetua lux dependebat, ſi pro veris habenda quæ præter veterum authoritatem de illis commentantur ingenioſi. Hæc ex communi ore prolata quid monſtri alant ex prioribus ſit judicium. Qua enim vi, quove modo concipiat flammam lucemve creet pingue corpus, nec ſatis explicant, nec probant ſatis. Confundunt præterea Cauſam Effectivam cum Subjecto mixtura vix excuſanda. Enimvero oleoſum corpuſculum neutiquam Efficientis obtinet rationem, ſed ſubjecti proprii Animantium Lucis quam commodo domicilio recipit. Idque duabus de cauſis præſtat. Vel ob aëreæ ſubſtantiæ copiam, qua temperatur pingue, vel ob Spirituum præſentiam, à quibus ut benigno rivo inundatur. Vtriuſque vel alterutrius ratione recipere lumen valet, non generare ex ſe, & inflammari facile ob præſentem lucem intus hærentem quæ ad externæ conjunctionem propenſione naturali inclinat. De hujus ſubjecti conditione interpretor quod de pabulo vulgo

decantatur. Quid enim ad flammam ignemve pabulum? Cur huic magis elemento quam reliquis miniſtrandum? Pabulum dicatur, quia ſubjecti diſpoſitionem habet, non quod inſtar alimenti alat, qua præſente viget, ut abſente extinguitur. Humores ſimplices pro Efficiente inducunt non pauci, cum ſanguinem, tum bilem, tum melancholiam. Quibus hæc favet ratio. Quod ſanguine puro & benigno temperatum corpus faciem ſplendore vivido perfundat & cætera membra pulchro colore adornet. Bilis per oculos ſcintillas protrudit & ignito ore ſubinde furentes in prælium inſtruit. Melancholiæ ſplendorem notavimus alias ex *Galeno*, cui conſonat *Oribaſius* l.7. ad Euſt. c.12. & quanquam obſcuriori colore externa tingat, obſervatum tamen à curioſis cunctorum fere temperamentum qui igne labente illuſtres fuere, melancholico humore miſtum, ut de muliere Veronenſi nobis reliquit *Ezechiel*. Verbulo de omnibus dicemus ſententiam. Humores lumen quidem & habere, & ad partes vehere nullo modo ex ſe generare vi propria efficiente. Habent quidem lumen ſed obſcurius colorati potius nomine quam illuminati, & ut lambentis ignis patrocinium huc repetam, ſplendorem flammæ potius præ ſe fert, quam nigredinis melancholici. Vehunt vero lucem, ſed per medios Spiritus. Equos ad pugnam ardentes in pugna flammas eructaſſe ideo putat *Ioh. Buſtamantinus*, l.2. c.2. quod concitata bile & torrefacta per calorem in igneam degeneraverit & cauſticam ſubſtantiam. Degeneraſſe recte dicit non generatam, quia calore diſpoſita bilis facilem

cilem aliunde flammam ſuſcepit vel ex ſe latentem eduxit.

PROBLEMA VIII.

An ab Igne lux noſtra?

AD principia nuda converſi ut flammam ex culinari noſtro igne, ita ſcintillas lucemque ab elemento igneo compoſitum animatum componente derivarunt. Exhalationes enim fumidas igneaſque tenuiores interni caloris vi ex partium ſolidarum ſubſtantia eductas ſua natura ſive ab interna luce ſive externa flamma adjutas flammarum ſplendore indui arbitrantur. Et hanc quidem in Veronenſi Muliere inter principes cauſas numerant. A quo autem in ignem transferatur flamma non addunt, quia hanc ab illo generari ſenſu fallaci credunt. Idem lucis ab igne produci in Cicindelis author eſt *Georgius Reiſchius* l. 10. Margaritæ Philoſophicæ tr.2.c.10. quia quum ſint ſine ſanguine & frigidis igneæ partes circa digeſtionis locum concurrere debent & ibi lucere. Sic enim & piſcibus, qui frigidi ſunt & in frigido degunt, naturam ſquamas providiſſe duros & terreſtres partes igneas pro caloris naturalis robore conſervantes. In lignis demum putridis ignem cum humido aëreo ad extremitates colligi. Ignis omnem eſſe ſplendorem animantium videntur & antiqui ſtatuiſſe, qui animatum ignem dixerunt, & ipſam animam. Vnde in ſacrificiis ejus origo orta, præſertim Veſtæ perpetuo igne ſplendentis, quem extinguere inhibebat religio. Quod junctim per-

ſequitur *Plutarchus* Quæſt. Rom. 74. ubi ad quæſitum cur lychnum non extinguerent, ſed per ſe langueſcere ac deficere permitterent, reſpondet, quod fortaſſe immortalis illius ignis cognatum quid coluerint, vel quod ſigno eſſe voluerint non oportere quod animatum ſit, niſi noceat, corrumpere, neve interficere, quaſi animal ignis ſit. Quam ſuſpicionem auget, quia & alimento indiget, & per ſe movetur, & cum extinguitur velut ſi occidatur vocem emittat. Vapulabant ex hoc ſtrenue Virgines Veſtalis ignis cuſtodes ſi quando earum culpa citius defeciſſet, apud *Feſtum* enim, referente quoque *Plinio* l. 16. c. 40. ignis Veſtæ ſi quando interſtinctus eſſet, Virgines à Pontifice verberibus affectæ clabulam felicis materiæ, tamdiu terebrabant quouſque ignis conciperetur quem æneo cribro Virgo in ædem ferret. Cauſam puto, quod à vivente corpore (arbore) animatum ignem reſtitui conveniret. Æneum cribrum adhibebant fortaſſe ut vel ignem conſervarent ſacro metallo, tale enim apud antiquos æs, & perforato ad ventilationem, quale cubicularia noſtra ſunt vel ob lucis cœleſtis affinitatem quam æmulabatur, & colore & naturæ conditione. A colore coruſcare dicitur *Maroni*:

—— & luce coruſcus ahena.

Naturæ autem ad lucem proprietate cœleſtibus luminibus auxiliari ſolo ſonitu ferebatur. Vnde Lunæ deliquia revocabant ex eo ficta tintinnabula, quod docet nos *Plutarchus* in Æmilio; *Ea nocte cum jam cœnaſſent quieti, ſomnoque indulgerent milites, Luna obſcurari cœpit, ac deficiente lumine multis colori-*

coloribus permutata, tandem nuſquam apparuit, Romanis revocantibus ut conſuetudo eſt æris tinnitu, ejus lumen. Quod miles turbatus ob defectionem ſideris apud *Tacitum* l.1. An, imitabatur, æris ſono, tubarumque cornuumque concentu ſtrepere. A quo eleganter auxiliaria Lunæ vocantur æra in *Naſonis* 4. Met.

Cum fruſtra reſonant æra auxiliaria Lunæ.

Et apud aliquas gentes etiamnum ad fulgura & tonitura Campanarum ſonus advocatur. De extincti ignis Veſtalis pœna locus eſt *Iulii Obſequentis*, ſed corruptus. Coſſ. M. Iunio, Gn. Manlio. *Veſtæ penetralis ignis extinctus. Virgo juſſu M. Aemilii Pontificis maximi flagro cæſa negavit ulterius in teritorum ſupplicationibus habitis.* Vt videtur verba hæc inter prodigia, vera prodigia, quæ Viri ſummi *Laurentii Pignorii* in Obſequentem Commentarios ad fatum uſque ſuſpenderant, conſulto fruſtra *Melchiore Goldaſto* aliiſque quorum litteræ cum Commentariis Pignorii in Muſæo Illuſtriſſimi *Franciſci Molini* D.Marci Procuratoris aſſervantur. Medelam autem ex ingenio adhibuit V. Cl. *Ioannes Rhodius*, dum vocem interitorum in interiturum contrahit, & ſequentia de ſupplicationibus ad ſequentem textum relegat, in hunc fere modum: negavit ulterius interiturum. Supplicationibus habitis in Hiſpania, &c. Quam correctionem approbavit diu dubius *Pignorius* conſentiente vulgata verſione quam adornavit *Damianus Maraffi*. Sed leviter iſtà ignem Divinitatis notam inferunt ob conjunctum ſplendorem, cui & ſingulare numen præfecerunt. Vnde aram igne circumdabant veteres ubi

tanquam ab aſylo aliquis erat depellendus, ita
enim non ab hominibus, ſed à Deo amovercre-
debatur. Quo digitum intendit *Plautus* in Moſtell.
Act.5. Sc.1.

> *Iam jubebo ignem & ſarmenta, carnufex, circundari.*

Nec mirum propriam ignis lucem putaſſe, quum
de cœlo lucido deductum fingerent à Prometheo
mala arte ſubreptum. Hoc tamen laudis non Pro-
metheo ſed Phoroneo ex Argivorum ſententia
impertitur *Pauſanias*, & Mercurio hymnus ad eum
ſcriptus:

> Ξωὼ δ᾽ ἐφόρει ξύλα πολλὰ, πυρὸς δ᾽ ἐπεμαίετο τέχνην.
> Δάφνης ἀγλαὸν ὄζον ἑλὼν ἐπέλεψε σιδήρῳ
> Ἄρμενον ἐν παλάμῃ ἀνὰ δ᾽ ἄμπνυτο θερμὸς ἀϋτμήν.
> Ἑρμῆς τοι πρώτιστα πυρήϊα, πῦρ τ᾽ ἀνέδωκε.

Quidquid horum ſit, ignis propriam lucem non
eſſe, nec ab eo, ut cauſa produci citra laborem fue-
rit demonſtraſſe. Propria non eſt, & naturæ ejus
proprietate orta, quia neque ſemper ineſt, neque
ſoli. Non illud, quum in ſphæra propria ſine lu-
mine ſit, & aqua calefacta. Non hoc, quia prima-
ria cœlorum lux, igni cæteriſque ex caſu commu-
nicata. Sine quibus ſæpius elucet, ut in Trojano
excidio apparet, in quo Æneas vim incendii effu-
git, & ex *Propert.*

> ——*verita eſt humeros tangere flamma pios.*

Quia lux magis aderat quam ignis urens, qualem
lucem in fulminibus credimus fuiſſe, quæ nullum
flammæ veſtigium reliquerunt apud *Obſequentem.*
At ita Troja non conflagraſſet. Concedo, quia
ſine igne flammas finxerunt ut fabulas teſtaren-
tur,

tur, quales revera Troja eſt, ut in Obſervationibus noſtris Novis *de Vnicornu* indigitavimus. Similis lux in fornace Babylonica remanſit adempto divina vi igne urente. Et lucem ſine uſtione Philoſophi Arabes in Inclyta civitate Aden Sultano Principi Maximo & polytropo oſtenderunt, ut fidem haud dubiam mihi fecit Doctrina & genere Illuſtriſſ. *Gaſpar Scioppius*, quum harum rerum fortuna forte incidiſſet ſermo, & ab aliis idem artificium pleno ore promittitur. Neque ab igneo elemento, ut Efficiente, flamma pullulat, quæ divinioris conditionis ſortem ſupergreditur, inglorium vero nobiliori luce foret ab ignobiliori origine excitari, negante id effecti ad cauſam diſpari proportione. Multo minus lumen purum Cicindelarum ab igne provenit, extingueretur enim, ut ignis, ab aquæ contraria qualitate. Ad recipiendam tamen flammam aptior ignis, quam alia, ob materiæ affinitatem, cui corpulentia ex *Scaligero* Excerc. 19. neceſſario accedat propter ſubjecti recipientis ordinatas partes in denſo & oleoſo tam ad continendum lumen, quam ut in ſe alternos radios inflammationis gratia reverberet. Hinc comitem fere individuum ſplendorem habet, quam non ex ſe profert, ſed mixtura æthereæ lucis ſive ob viciniam cœleſtium corporum facta, ſi in proprio loco ſpectemus, ſive, ſi de compoſito in culinis ſit ſermo, ob alterius lucentis corporis tactum, ſive denique ob reliquias ex primigenia luce, participatarum initio creationis lampadum quæ in miſtis remanens remoto obſtaculo & per caloris amicam reſolutionem diſpoſito, indies emergit. Vnde prima rerum hebdomada lu-

cis

cis πρῶτον δεκτικὸν perhibetur Ignis Elementaris; qui illa illuſtratus dierum noctiumque viciſſitudines ante quartum diem metiebatur, quum alia creata necdum eſſent. Dices: primis illis exordii diebus elementarem Ignem non creatum. Fateor, nec ab illo rerum articulo unquam productus memoratur, ut meritiſſimo jure ab aëre tenuiore diſtinctum dari Ignem negaverint *Cardanus*, *Bartholinus*, *VVormius*, aliiq; oculatiores. Ego propriam præterquam à cœlo aſtriſque depreſſam lucem elementorum nulli conceſſerim, ſed omnibus ex æquo communicatam pro corporum capacitate. Ordine tamen præcedere videtur Ignis ſeu aër oleoſior, qui ideo flammatus dicitur ab *Apollonio Rhodio* l. 3. Arg. v. 848. cui peſtiferum Medeæ medicamentum pro Iaſone dilutum reſiſtebat:

Οὔτε κεν αἰθομένῳ πυρὶ εἰκάθοι.

Neque enim flammato igni cedit.

Vt pro colore additur igni lux, quo videatur. In quam rem *Themiſtius* diſſerit 2. de Anima: *Lumen in igne habere naturam luminis & coloris: luminis quidem, quia videtur in tenebris: coloris vero quia in lumine.* Et quanquam luminis rationem detrahat *Cardanus* in Subtil. quaſi igne remoto nihil in nocte eſſet obſcurius: *Scaligero* tamen Ex. 62. cum Ariſtotele convenit 2. de Anima. ignem utrobique videri, in tenebris propter lucem, in luce propter colorem. Qui de compoſito intelligendi veniunt, quum ſimplicem fortaſſe *Cardanus* tractaverit. Compoſiti color flavus apud Authorem *de Coloribus* §. 1. ſimplici nullus. Iuvaret inſtitutum nonnullorum opinio lucem nihil aliud dicentium

quam

quam ignem modificatum, quod quum Lugduni Sequanorum Viro docto è Soc. Ieſu hujus ſententiæ authori objicerem cœleſtis elementariſque caloris diſcrimen, nullum eſſe ille reſpondit, quia & cœleſtis in ſpeculis urit, non per reflexionem ſolam niſi ſubſit per ſe potentialis calor. Cui ego; radios ſolares calorem acquirere à corpuſculis calidis elementaribus in aëre volantibus. Credo enim lucem calefacere poſſe, non quatenus lux, ſed quia ex corporibus atomos igneos prolicit, ut ſatisfaciam opinioni Virorum quorundam doctiſſimorum, interque eos *Eſmaëli Bulialdo* qui radios per ſe calefacere ſuſtinet. Omnibus ad libram expenſis Ignem & habere lucem poſſe & in alium transferre concludimus, ſed neque eſſentialem eſſe, neque à ſe genitam.

PROBLEMA IX.

An ab Aqua ſplendeant Animalia?

PLacuit multis alterum mortalium principium ad Efficientis pertrahere dignitatem, frigidum nempe illud & humidum quo ſolo omnia compacta ſomniabat *Thales*. Et quemadmodum perpetuæ illius vices non ſint, ita ſæpe ſæpius lucente ſua humiditate animalia perfundere docet quotidiana fides. Elegans eſt ſudoris apud *Cælium Aurelianum* l.1. Acut. c.9. deſcriptio, quem per vultum atque thoracem emicare dicit. *Ioh. Baptiſta Porta* μαρμαρυγὰς ſeu Coruſcationes in oculis humori eorum aqueo præcipue tribuit, utque quacunque de cauſa motus neceſſitatem ſplendoris invehat. In

quam

quam conjecturam conceſſit experimento perſua-
ſus, quod in animalibus noctilucis, non tantum
illud ſpatium, quod pupilla circumſcribit, & per
quam aliqua portio cryſtallini tranſlucet, ſed mul-
to major, tanta ſcilicet, quantam ſub cornea a-
queus humor occupat, lucida apparet. Idem Lam-
pyrides è rore naſci putavit, quod terrere nos de-
ſinat, quia ut cánit *Calphurnius* Ecl. 1.

Matutinæ lucent in gramine guttæ.

Et è roribus vermiculos plures creari in foliis di-
cebat *Scaliger* Exc. 121. n. 2. Dactylorum ſuccus
toti fulgorem imprimit judice *Plinio* l. 10. c. 61.
quando quidem cum ſucco exſtillante lumen com-
municatur vicinis partibus per decidentes guttas,
ut proculdubio patere velit, ſucci illam naturam
eſſe quam miremur in corpore. Eandem roridi
humidi copiam pro Carne interpretabantur Monſ-
pelienſes beſtiarum carnifices, quam ſeu victu,
ſeu inſpiratione attraxerant armenta, nec aliud lu-
minis fuiſſe, quod apparebat, quam roris conce-
pti, à putredine ſtillantis in morem, expreſſum
nitorem, non ſecus ac ex putrido pomo guttæ
aqueæ ſtillant ſi comprimatur. Frequentius enim
nihil apud ſe alio Sole calentes, quam ex roris hau-
ſtu vel motu nimio vel denique terrore adventan-
tis Lupi modo pecorale abdomen copia aquæ ſe-
roſæ diſtendi, ut modio metiantur laniones, modo
lienis viſcus in uſitato flatu inflari, modo intempe-
riem hepatis vitiari. Obſervatum quoque ejus
ordinis ſociis ab avido roris hauſtu omnem ſan-
guinis naturalis maſſam in aqueam colluviem
tranſmutatam, ut legibus paſtoralibus à paſ-
cuis

cuis vicinorum agrorum ſancte prohibeantur greges æſtivis quidem diebus ante Octavam lucis horam, hybernis vero ante Decimam, ob mali majoris ex roridæ herbæ eſu metum. Ex immodico tamen roris uſu pingueſcere ſummaque albedinis & excellentiæ ſpecie fallaci vendentium ſpem fallere, quod ad rem attentiores non ſine lucro expertos. Affici enim matura labe corpora & diſſolvi citiſſime falſo humore adornata ubi obliquiores radios Sol obverterit, imo putredinis gradus in vivis inceptos poſt mortem mature perfici, ut in agnina ſuo damno experti fuerant. Vnde huc tandem ceſſit opinantium concordia ex hepatis vitio copia roris contracto, infectum ſanguinem, quo corrupto ad carnem pinguedinemque inevitabili labe propagatum malum, ex utroque juncto expreſſas per putredinem guttulas luminis ſplendorem repræſentaſſe. Aquis certe ineſſe quid luminis diligens teſtatur obſervatio. Ipſa enim ſpuma ab *Hippocrate* λαμπυρὰ appellatur, quia, ut interpretatur *Gorræus* quodammodo ſplendida ſit, non ob candorem ſolum nitentem quum utrumque notet λαμπῶδες apud Coum & τὸ λαμπρὸν & τὸ καθαρὸν ex ſententia Bachii, quam improbat *Erotianus* in Lexico Hippocratico parum ad rem. Imo non lucet tantum ſed calores ſubinde faces ſuſcitat, ut apud *Claud.* l. 2. in Ruf.

——*ſpumis ignoſcere frena.*

Non ſpumæ ſoli lumen ſed ipſis aquis inſidet, ut ſæpe ſæpius in mari utroque Supero & Infero obſervavi. Impulſi enim remorum gyro fluctus clariſſimum ſplendorem oſtentant qui de die albeſcit,

beſcit. Quid? quod ſine motu ullo ex mari ſcintillantem algam extraxerim, immiſſoque linteolo, ſplendore infecto, vicinis rebus æmulam ſtellarum lucem communicaverim. De oſtenti nullo non tempore viſi interiori fundamento ſemper ambiguus hæſi. In aſtrorum refractionem non audebo cauſam referre, quia remotior hæc obſcura nocte fruſtra advocatur. Nec à perſpicuitate ſola dependet, quia hæc indifferens niſi ex luce denſetur, viſum tranſmittit. Ab illa tamen lucere fontes Poëtæ dixerunt. *Claud.* Ecl. de Aprono:

Sed vitreis idem lucidus uſque vadis.

Ad cujus imitationem *Auſonius* de Nemauſiano fonte, quem præſentibus nobis Dianæ vocabant, in deſcriptione Burdigalæ:

Non Aponus potu, vitrea non luce Nemauſus
Purior. ——

B. Cecilius Ciprianus in Carmine de Ligno Crucis:

Fons erat hic nullo caſu turbante ſerenus
Perſpicuis illunis aquis. ——

Vnde & ab unda illuſtri perſpicuo clara lucere Cleopatra decantatur à *Martial.* l.4. Ep.42.

Primos paſſa toros, & adhuc placanda marito
Merſerat in nitidos ſe Cleopatra lacus.
Dum fugit amplexus: ſed prodidit unda latentem
Lucebat totis cum tegeretur aquis.

Aliquam ſuſpicionem ingerebat ſalſedo mari propria, è qua & lux, & flamma excitata. *Ariſtoteles* l. de Cœlo.4. & Sect.38.Probl.2. piſcatores, purpurarios alioſque rem marinam excercentes plerumque rufo colore tingi inde ſuſpicatur, quia mare

mare calidum & ſqualidum eſt per ſuam ſalſuginem, tale enim quodque pilos reddere rufos, ut lixivium & auripigmentum. Vnde lixivio crebriori ſplendeſcere videntur crines ab admixto ſale. Pro ſalis luce ſtetit & *Cardanus* in comparatione ſaporum inter ſe & colorum. A quo parum differt Exc. 298. *Scaliger*, lucem concedens, calorem negans: *Salſus terræ eſt cum igni.* Non peſſime ſapor ad Martem pertinebit: at calor ineptiſſime attribuetur. An tu putas Martem igneo rubore coruſcantem cœruleo velle aſpectus ſui diluere ferociam? Flamma lucis ſocia & progenies in mari exorta non ſemel. Referente enim *Nicephoro* lib. 13. c. 35. capta Roma ſub Alarico maritimi fluctus perinde ac campi igne excandeſcere fuerunt diu viſi. Author quoque eſt *Poſsidonius* apud Vulcanium montem ex ipſa maris ſuperficie promanaſſe ignem aquas ipſas lambentem, limoſum cænoſumque quiddam ſuperſtraviſſe mari, quod poſtea in lapideam duritiem converſum eſt. Et jam ingentem montem ibidem in mari ardere vidi. Igneæ hæ flammæ ſatis videntur, facile coëuntis & inflammabilis. Sal enim Spagiricis concretionis cauſa. Ignem probat vetus Romanorum figulorum mos quo in menſa ſalinum cum ſale deteſtabantur. Cujus religionis originem *Sext. Pom. Feſtus* à fatali quadam figulinæ fornacis ruina, quæ in Eſquilinia regione contigit quum vaſa coquerentur. Figulus namque prope eam invitatus largiori potu & ſomno immerſus cum convivis obdormiverat apertis januis. Præteriens quidam petulans data per patens oſtium occaſione

ex menſa ſalinum disjecit in fornacem, atque ita excitato incendio cum vaſis crepitantibus diſru-ptus fornax, figulus vero ipſe cum convivis cre-matus. Verum enimvero à ſalſugine maris nec flammas dependere nec ſplendores evidenti in flu-viis fontibuſque experimento liquet, qui ſine illo obſervati ſunt ardere apud *Lucretium* l. 6.

Frigidus eſt etiam fons, ſupra quem ſita ſæpe
Stupa jacit flammas concepto protinus igne:
Tedaque conſimili ratione accenſa per undas
Collucet: quocumque natans impellitur auris.

De lacu Dodonæo *Novocomenſis*: *In Dodone Iovis fons cum ſit gelidus & immerſas faces extinguat, ſi ex-tinctæ admoveantur accendit.* In Atamana lacum a-lium Lunæ ponit *Vibius Sequeſter* de Fluminibus, tenera ligna accendentem, ex quo qui bibit aut in inſaniam vertatur aut in ſoporem. Xanthi aquæ ab *Homero* decantatæ Il. 21. ignem alentes notæ, quam narrationem in Poëtarum Principe culpat *Scaliger* lib. 5. de Poët. c. 3. Et lacus aſphaltites in Syria Scriptorum conſenſu innotuit. Vrget hinc ſalem in mari alia difficultas, quod flammæ igni-que contrarietur & utrumque in magnis incendiis extinguat. Vnde à pinguedine aliqua aquarum flammas alii inquirunt lumenque. Quo ſpecta-vit forſan *Erotianus* quando apud Hippocratem λαμπώδης pro ſpuma lucente inſtar olei ſupernatan-tis accepit: λαμπὴ enim cum ſpumam ſignet vino innatantem & veluti pingue quoddam glutinoſum quod conditis oleis ſupernatat, λαμπώδης intelli-gendum putat in cujus ſummo innatat quippiam τῇ λαμπῇ ſimile. Oleum certe ex mari extractum teſtan-

teſtantur experti. *Ariſtoteles* Sect. 23. Probl. 15. mare minus extinguere ignem quam aliam aquam conjiciebat, quia pinguius ſit. Signum autem quod pinguius, quia ex ſale extrahitur oleum: cujus rationis vim Sectione 31, repetiturus, τοῖς ἅλασι ὑφιστάμενον τὸ ἔλαιον percurrit. Quæ ſali minus adverſantur, quam apparent. Oleum enim illud ex ſale, quod pinguedinem habere tradit *Cæſalpinus* l. 1. de Metall. c. 17. ubi tandem concludit: *Pinguedo igitur levitas & odor oſtendunt materiam exhalationis uſtibilis non uſtionis ut ſalis, ex ſulphure, aut bitumine aut exhalatione quadam.* Propius verum tangunt, qui exhalationibus quibuſdam vaporibuſque igneis in mari ortis flammam aſſignant & ſplendorem: inter quos *Lucretius* lib. 6. cauſam fontium ardentium ſuperaddens:

Nimirum, quia ſint in aqua permulta vaporis
Semina: de terraque neceſſe eſt funditus ipſa
Ignis corpora per totum conſurgere fontem.

Qui tempore Leonis Iſauri Imperatoris manifeſtius ebullierunt inter Theram & Theraſias inſulas ex profundo maris velut ex camino ignis per aliquot dies, unde paulatim incraſſato & dilatato igniti æſtus incendio totum fumum ignitum monſtrabant, ut ad memoriam noſtram tranſmiſerunt *Diaconus* & *Sigonius*. Elevantur iſti vapores à ſulphure, cujus eſt flamma, in omnibus aquis conjectura, in Aſphaltite lacu mortuo Palæſtinæ ad ſenſum apparente, ita narrantibus *Tacito* l. 5. Hiſt. *Ioſepho* Iudaico in Antiq. *Galeno* in Comp. med. aliiſque oculatis. Sulphur ab igne flammam mutuatur, qui in aquis copioſior, præſertim ther-

malibus. *Manilius* in Aſtronomicis:

Sunt autem cunctis permiſti partibus Ignes,
Qui gravidas habitant fabricantes fulmina nubes,
Et penetrant terras, Aethnaque minantur O-
lympo,
Et calidas reddunt ipſis in fontibus undas.

Claud. in El. de fonte Apono:

Seu ruptis inferna ruunt incendia ripis:
Et noſtro Phlegeton devius orbe calet.
Sulphuris in venas gelidus ſeu decidit amnis:
Accenſuſque fluit: quæ manifeſtat odor.
Sive pari flammas undarum lance rependens
Arbiter in fœdus mons elementa vocat.

Cicero lib. 2. de Nat. Deor. etiam ex puteis jugibus aquam calidam trahi, & id maxime hybernis fieri temporibus, quod magna vis, terræ cavernis, contineatur caloris. Aſtruit hunc ignem rationibus variis *Ioannes Nardus* in nupero Libello de Igne Subterraneo, quæ ad quatuor contrahuntur, 1. quia in mari fiunt generationes animalium, ignis autem ſecundum *Ariſtotelem* præcipuus eſt & miſtionis & generationis opifex. 2. quod nunquam fere glacietur totum mare. 3. quia nulla Elementa ſimplicia teſte *Ariſt.* 2. de Gen. & Corr. 4. quia in aquis ſe mergunt hirundines per hyemẽ tanquam amico contubernio. Iuvat rationes experientia non fallax Puteolis prope Neapolim, Aponi Patavium juxta, & fluvii qui ob ignes ante ſplendentes ſimul & vaporem calidum egurgitantes jam vicinæ terræ propagatum incendium contulerunt. Talis in Delphinatu 12. Leucis Gratianopoli diſtans fons eſt, quem incolæ, *fontaine che bruſle*, indigitant,

digitant, nec diſſimilis ille qui Boloniam inter & Florentiam olim lucidus, nunc de nocte ex vicino ſolo ſplendentes vapores exerit; ſimili ſine dubio, ut Gratianopoli evidenti propagatione, qua colli jam communicata eſt olim in flumine viſa flamma. Verum quid de igne Sancto dicendum, ego quidem ſum neſcius, quo holocauſta olim incendebatur, & in altari perdurabat perpetim. Is ſane captivitate Babylonica finita ex puteo iterum extractus aquæ pinguis forma & craſſæ inſtar mellis, qui ſuper ligna altaris ſparſus, ſubito ingenti igne & flamma exarſit, ut *Ioſephus Gorionis* teſtatur l. 1. hiſt. Iud. c. 17. ex Hebraico per *Seb. Munſterum* traductus, quam etiam hiſtoriam in Machabæorum libro primo contextam legas. De ſubjecto lucis flammæque manifeſta hæc ſunt documenta, quod vel ignis, vel vapor oleoſus eſſe poteſt, de cauſa ſilentium altum. Non enim ad præſentiam ignis lux ponitur aut flamma, ut audivimus aquæ calidæ exemplo, ſed quandocunque vel hanc, vel illam comitem habet ab alio inducitur, vel inducta eſt. Res facilis explicatu, in ſubjecto idoneo excitatur parvo negotio, ſive ab externo agente calido lucidove ſive ab intrinſeco aliquo latente per externum educto. Sed de ardentis maris flamma hæc dicuntur, non ſplendore quem ſine caloris ullo ſenſu aut vaporum igneorum elevatione in mari Adriatico & Mediterraneo eluceſcere obſervavimus. Lucis aliquas reliquias in mari ipſo relictas quum cæteris elementis obſcurius miſceretur omnino confitendum, cœleſtis naturæ, quæ per compreſſionem à remigibus arctata nocte

 obſcu-

obſcura ſplendent. In ipſo autem fundo ſtellarum ſcintillatione emicant, forſan quod lucidus aër aliquis vel vapor ſplendens elevatus ex profundo craſſitie ſalſæ aquæ compreſſus denſatuſque contentam in ſe lucem exprimat. Vnde inverſum ordinem naturæ non miramur, quem *Ovidius* l. 1. Triſt. El. 7. metuit:

Terra feret ſtellas, cœlum ſcindetur aratro:
Vnda dabit flammas, & dabit ignis aquas.
Omnia naturæ præpoſtera legibus ibunt,
Parſque ſuum mundi nulla tenebit iter.

Facilius nodum ſolvent, quibus de Aquis ſupracœleſtibus perſuaſum eſt, ejuſdem ſine dubio naturæ cum noſtrate. Has namque *Henricus Nollius* in Phyſ. Hermetica l. 2. c. 2. ex Cabala Iudæorum & ſecretiori Theoſophia ſtatuit ſubſtantias puriſſimas, ſubtiliſſimas, igneas, lucidiſſimas, plusquam perfectas, liquidas & fluidas, inflammabiles, minime combuſtibiles. Vnde naturalem aquis noſtris lucem conceſſerint ob ejuſdem naturæ communis ſimilitudinem loco tantum à Conditore diſcretam, vel certe ab influxu illarum perpetuo mare noſtrum ſplendore imbui. Enimvero earundem, addit *Nollius*, continuo influxu in hæc inferiora omnia animari & diſponi ad ſuſcipiendam exaltationem, primum ſe aſtris communicantes viſibilibus, per aſtra aëri, per hunc aquæ & terræ. Sed miſeret me hujus opinionis, quæ aquas ſine humore & frigore Naturæ obtrudit, quum illarum debeat eſſe conditio noſtrarum aquarum ſimilis, à quibus ſeparabantur in Geneſi univerſa. Hinc alia ratione aquas ſupracœleſtes excuſare nequit

quit *Valleſius* Sacr. Phil. c. 1. niſi ob affinem puritatis naturam. Melius meo judicio illi, qui aquas ſupracœleſtes vel per nubes explicant vel per aquas marinas alterutrius hæmiſphærii. Illius ſententiæ plerique accedunt, hujus vero ingenioſus inventor eſt *R. Emanuël Porto*, amicus noſter qui firmamentum illud in medio aquarum per polos terræ interpretatur, à quibus tota ſphæra velut per puncta expanditur, noſtræque aquæ ab adverſis alterius hæmiſphærii aquis ſeparantur. Ad externum lumen aquarum aliquid conferre lævitatem non iverim inficias, in quam dici radii incidunt, ſed cum his perit à quibus dependet. Lævem eſſe docebat *Author de Coloribus c. 3. Alia autem quibus umbroſi ſunt colores, etiam de lævitate participant, velluti aqua & nubes, & avium pennæ.* At lævia quælibet participare aliquali luce & ſplendore alibi idem *Ariſtoteles* innuit, propter quæ arbitror lævia ſunt etiam nigerrima, evocata nempe omni ad extimas partes luce. Fulgorem hunc rectius dixeris ex mente *Ariſtotelis* in Opuſculo de ſenſibus, & Philalthæi in Com. l. 2. de Cœlo, quod polita, terſaque præſertim aquea & aërea apta ſint ad producendum fulgorem, ſed non ad mittendam lucem. Vnde & animalia quæ noctu vagantur perpolita dum volant, aërem terere nocturnum & fulgere, quemadmodum quoque gemmas & diaphana perpolita. Quam quidem ἀκρίβειαν nos curioſius non ſectamur inter fulgorem lumenque ſolo gradu diſtinguentes. Hæc de Aquarum ſplendore in tranſitu neceſſario dicenda erant à nullis, quod ſciam, explicata. Ad Animata regrediamur quæ aqua ro-

reque creduntur radiaſſe. Fruſtra vero *Baptiſta Por-*
ta Coruſcationes aqueas arbitratus eſt à luminis
per oculos diffuſi latitudine, quum ea lucentium
conditio ſit, vicina illuſtrare vel eodem, vel per di-
verſitatem objecti reflexo lumine. Nec ſuccus
Dactylorum ſplendorem nullum ex ſe generat,
quia in Conchyliis pleriſque ſimilis ſine lumine
viget. Vnde non ſucci ſolius, ſed glutinoſi ſtru-
cturam hic urgent *Rondeletius* & *Aldrovandus*, ſi-
quidem quæ tenacia & veluti glutino compacta
ſunt, ea lævia, æqualia, atque perpolita eſſe ſolent,
atque ob id relucentia ut pix, Aſphaltum, albu-
men ovi. Quæ pro ſubjecto lucis aptiſſima, ut in
loco monſtravimus, cauſæ primæ vicem male ſu-
ſtinent, quia priorem ſupponunt, qua abſente non-
nunquam, etiam in læviſſimis & maxime glutino-
ſis, ut pice, glutineque in tenebroſo loco fixis,
nullum ſplendoris veſtigium comparet. In quo
ingenium perſpicax *Plinii* præ *Rondeletio* admiror,
qui non ſucci nudi aut craſſi temperamentum vul-
gatum in Dactylo expreſſit, ſed ſingularem natu-
ram fatetur, quam lumini ante mixtam interpre-
tor, ut in lento illo humore quam in veſtigiis re-
linquunt teſtitudines majores albicantem & ſplen-
didulum. Roris nec color, nec effectus eſt luci-
dus. Non color qui albicans ab incluſo aëre, quem
ex ſe album, incluſum corporibus eodem videri
candore exemplo nivis & ſpumæ tradit *Ariſt. 5.* de
Gen. animal. c.6. ſicut ex perſpicuo altero, aqueo
per frigus denſato idem color emergit, quem non
tam ſplendorem quam nitorem appellare amant
authores. Ex aëris autem intus condenſati coalitu
&

& conſtare rorem, & eniteſcere inde manifeſtum, quod diſſoluto per calorem frigore conſtringente ſibi redditus aër evolet & ſi reliquum quid ſit aquæ ſordidum relinquatur. Neque ſplendorem ex ſe in animantibus edere poſſibile illi, qui & luce caret & facile à corpore aſſumptus obſcuratur. Quod ſi clarius illuminet, incluſæ lucis beneficio fiet, quam in rore, ſubjecto non in idoneo, compingi, aëris comitem, lubens conceſſerim. Sin obſcurius, parciorem lucis miſturam oſtentat, ex qua candor oritur, qui aëris eſſe creditur, quum hujus non ſit niſi luce modica temperati. Animantia vero illuſtria non levi albedinis colore ſplendent, aut nitore quo à rore imbui poterant, ſed vero lumine, etiam vicinis rebus communicato, ſe produnt. Accidit, frequentiorem in Ægypto quam Gallia Narbonenſi roris caſum, incrementi Niliaci apud Alcairum evidens ſignum & peſtilentiæ remedium, authoribus *Bellonio*, *Proſpero Alpino*, *Gabriele Sionita*: ad illuſtranda vero corpora ne tantillum conferre.

PROBLEMA X.

Num à Candore Lux Animalis?

VIcina priori διασκέψις, cujus affirmativa *Scaligero* Exerc. 174. placuit in viſa gallina lucente, quam fulgentem ab innata pennarum albedine hoc argumento motus credit; quia Candidi natura quam maxime accedit ad naturam lucis. In cubiculo enim undique concluſo micare fulgores enſium ac ſpeculorum. Accedit *Scaligero Rondeletius*

 lib.

lib. de Inſectis cap. 24. ubi ex candore & lævore Pennam piſcem noctu ſplendere approbat. Pro luce ipſa cepit antiquitas, ut mirum non ſit ſi ab illo hæc dependeat. *Gloſſæ meæ* veteres *Thomæ Magiſtro* aſſcriptæ, λαμπρὰ ἐσθὴς κάλλιον λέγειν, ἢ λευκή. Mox diem luce ſerenum quem λαμπρὰν vocat, paucis interjectis per λευκὴν ἡμέραν reddit. Simili albedinis voce lucentes Salvatoris veſtes ſignat *S. Matthæus* cap. 17. verſ. 2. τὰ δὲ ἱμάτια αὐτοῦ ἐγένετο λευκὰ ὡς τὸ φῶς: *Veſtimenta autem ejus facta ſunt alba ſicut lux.* Quod cum ignoraret vulgatus *Interpres* pro luce *nivem* in verſione male reſtituit. Eadem mente *Galenus* l. 7. Meth. c. 6. lac ſplendens vocat ob candorem inſignem pinguedini mixtum. Ab albedine denique prætereuntium undam lucidam natam in fonte Hiantidos canit *Martialis* l. 7. Epigr. 49.

Cum tua tot niveis ornetur ripa miniſtris,
Et Ganymedeo luceat unda choro.

Pari ratione ex candore externo fictum ſplendorem naſci & mortalium oculos vano lumine perſtringi indubie opinantur, ſi à vero non placet. Quid in Problemate hoc deſiderem paucis aperiam, quum à ſuperioribus pleraque determinari poſſint & intelligi. Duplici enim errore tenetur opinio, uno quidem quod pro cauſa efficiente ſubjectum frequenti fallacia nobis obtrudat: altero vero, quia obſcurius effectum ad nobiliorem producendam cauſam inuſitata praxi inſtruat. Prius patet, efficacius in albo recipi lumen, reverberari fortius, conſervari fidelius ob affinem luci naturam ut apprime ad rem dixerit *Plotinus*, alba omnia non

non modo multam habere lucem verum etiam recipere apta nata eſſe, quod in Lapide Bononienſi ad albedinem calcinato probat ingenioſe *Lagalla*, Diſp. de Luc. & Lum. c.4. Poſterius ſua luce lucet, quia omnem albedinem à lucis mixtura mutuantur Philoſophi, ut ad propriæ cauſæ generationem omne momentum conferre non poſſit. Triplici enim concurſu ad albedinem concurrit lux, vel cum aëre aquaque lucidis in poros ſe inſinuans nivis, chartæque candorem efficit: hæ enim ſolius aëris aquæve partes non ſunt, ut poſt *Ariſtotelem* commentantur *Viri Doctiſſimi*, ſed aëris aquæque luce imbutæ. Qua mente interpretandus *Galenus* ubi albedinem à phlegmate fieri aſſerit. Aqueum namque phlegma elementi ſui perſpicui cruditatem copioſius ſinu condens mixtum ejus ex luce colorem imbibit. Alio modo, in vere mixtis operatur, cum calore reliquiſque principiis, quorum temperiem ingrediens obſcuritati reliquorum ſuum lumen ſingulari miſtura temperat, unde colores ex luce fulgentes pro ejus copia vel paucitate, Albedo plus luminis ſervans proximo ab illo gradu ſubſiſtit. Sed reales ſi darentur colores firmius hoc foret commentum, neſcio enim an per ſomnium conceperim nihil colores eſſe, niſi luminis diverſam in vario ſubjecti exquiſiti labyrintho reverberationem, quæ in poroſa vel denſa corpora incidens huc illuc pro anfractuum vario ſitu fluit & colorum apparentias format. Obſcurius id colla avium variegata, clarius triangularia vitra vel quæcunque pluribus angulis fuſa ſunt aut polita fidem faciunt, quæ mille colorum varietates pro angulo-

rum

rum numero ex incidente lumine fingunt. In mixtis albedinem alias calor excoquere dicitur per ulteriorem humorum coctionem, quod expreſſurus *Ariſtoteles* 5. de Gen. animal. c. 6. in avibus variorum colorum docebat plumas in pectore eſſe albiores, quia calidiores, & eodem inſtituto Sect. 8. Probl. albedinem igni forſan tribuebat ex ſubſequenti effectu. Tertia denique albedinis ratio ex calido externo corrumpente calorem naturalem petitur, cui terrena ſuccedens ſiccitas, ut in cineribus, candoris aliquid oſtentat. Hanc quidem albedinem per calcinationem in Lapide Bononienſi inductam lucis receptæ & conſervatæ cauſam perſuaſum aliis eo argumento quod non niſi calcinatus lucem ſervet. Sed utraque hæc albedinis generatio nihil proficit ad lucem edendam niſi quia ſubjecti poroſitate recipiendo lumini externo diſponitur, quum etiam rudis ille Lapis ſubinde eodem colore niteat. Et quicquid de albedinis ortu & natura eligerimus ſive in mixto aliqua ſit qualitas, ſive ſolum lumen in ſubjecto vario receptum, ſplendorem certe non generat ipſa à quo generatur, ſed acceptum ſervare poteſt & reddere, nec unquam enitet, niſi lumini expoſita à quo in ſolidum dependet, ut in nive calceque albiſſimis experimur, quæ obſcuro loco non videntur niſi aliquali nocturni aëris fulgore exponantur. *Scaliger* me oculatior enſium & ſpeculorum quidem fulgores micare in tenebris affirmat, quod ego ſæpius arctius clauſis feneſtris & rimis obſervare nunquam potui. Mirum tamen in *Scaligero* non eſt vidiſſe eum quæ nequivimus nos, quia, ut de eo filius

lius *Ioſephus Scaliger* narrat, medium emiſſititio oculorum lumine forſan illuſtraverat, quum enſes intueretur. Candorem denique nullam proferre lucem in calcinato illo Minerali Bononienſi certo edocemur, quod ſemel calcinatum perpetuo albicat, fulgorem cum interioris ſubſtantiæ lucidæ evaporatione ſubito amittit.

Cap. VIII.

De Proximo Efficiente Lucis.

SAtis per diverſa authorum placita Problematum libertate decurſum, oſtenſumque nihil minus lucis cauſæ dignum quam quod tanto apparatu profertur. Vel enim externum Efficiens pro interno, Cauſam ſine qua non educitur, pro principe venditant: vel ſubjectum in Efficientium ordinem elevant, quod materiæ vicem functum non ſine ſibilo partes operandi primas ſibi induet. Reliquum nunc eſt rem ſine ambagibus & involucris ſiſtere; quid illud ſit quod in viventibus nobiliſſimam ſplendoris faciem artificioſe exprimat. De vera autem luce quam in pleriſque admiramur, non apparente quæ ex dictis innotuit, in præſens ſermo. Hujus originem & Efficientem cauſam proximam vel unum axioma lippis etiam & tonſoribus notum explicabit: Simile ſibi ſimile producit. Hinc ad producendam lucem arcentur quæcunque ignobilioris ordinis, majeſtatem lucis non aſſequuntur, nihil ex elementari regione evocandum, quod excellentiam hanc non aſſequantur nec nobiliores luce Angelus aut Deus in altero extremorum collocandi,

candi, in creatorum quidem ordine, naturali ſerie
currentium. Nihil autem qua patet orbis ad lucis
naturam preſſius accedit quam ipſa lux, unde lu-
cis authorem & Efficientem principem Lucem
appello, quæ per modum generationis profertur
& propagatur. Hæc breviter prolata per partes
reſumenda, ut clarius eluceſcant. Supponimus
primo hanc præmunitionem animantibus ineſſe
inſitam quibuſque lucem, qua & vivunt & ſplen-
dent. Hanc ſingulis ineſſe primis libris data in-
duſtria evincimus, paucis, ut ſpero, repugnaturis.
Veriſſimum enim *Auctoris* de Coloribus c. 1. effa-
tum: Ἔνια οὐκ ὄντα πῦρ, οὐδὲ πυρὸς εἴδη τὴν φύσιν, φῶς
ποιεῖν φαίνεται: *Nonnulla quæ non ſunt ignis, neque ignis*
ſpecies natura lumen facere videri. Pro ſecundi ſup-
poſiti fundamento dicimus, Lucem viventibus
omnibus innatam exordio rerum à Deo creatam
ſimulque ex primigeneæ lucis diviſione elementis
mixtam & creandis corporibus immiſſam, quum
nullum ſive in luce ſive elementis à motu contra
naturam eſſet periculum, quod timendum in na-
tura jam creata foret, ſi ex locis ſuis ad forman-
dum compoſitum concurrerent. Veritas propo-
ſiti vix eſt ambigua, quum lucis aliam originem
ignoret mens fidelis. Si de humana luce ſit ſermo
animam comitari & Spiritum ſcimus, ſine qua
obſcurus homo qui ſplendidiſſimum vultum inter
reliqua efferre debebat. Iuncta hæc eadem opera
Creator in faciem formati hominis inſevit, ubi
maxime elucet Spiritus, vividiſſimo colorum lu-
ciſque ſpeculo. Et obſervationem meretur diſtin-
cta Spiritus Vitæque mentio quam per Ζωὴν καὶ πνοὴν
ſigni-

ſignificantius injicit *D. Paulus* Act.17. verſ.25. Ζωὴ animam notavit à Deo inflatam, quamvis pro vita ſeu compage utriuſque animæ corporiſque vulgato reliquis ſignificatu id ceperint Gloſſæ meæ Mſ. Athanaſii Ζωή. συμπλοκὴ ψυχῆς μετὰ σώματος. Πνοὴ ſeu halitus ſupervacaneus foret, quum in vita conſiſtat reſpiratio, niſi de Spiritu interpretemur quem lucentē cum anima implantavit plaſtes. Præter hunc rebus cunctis propemodum lucis quaſdam ſcintillas inſevit & neceſſario ſplendore elementorum tenebras illuſtravit. Unde Arabum ſapientes, res omnes eſſe lumen exiſtentiæ Veritatis ſeu Dei, prodiderunt, ut ex Propoſito 5. conſtat ſpeculi Mundi quod Arabice edidit *Abraham Ecchellenſis* de monte Libano. Vltimum poſtulatum ſit: Creatam olim in animantibus lucem vi indita propagari communicatione continua & aliam ex alia generari. Aſſenſum difficilius quidem impetrabit apud infecta vulgatis ſententiis pectora. Ego mearum puto partium non terreri novitate quam palpamus ſine laryis, nec illi ulla ex parte deeſſe, quam cuncti fortaſſe deſererent. Poſſe ad poſterorum tempora cum ſemine propagari quoque lucem adeoque ſui eſſe, ut loquuntur ſcholæ, multiplicativam, in lumine cœleſti & lucernarum indies animadvertimus. Radii ſolares in ſpeculorum cavitate augentur in ſe reducti, & ab unius candelæ flammantis luce, inflammantur lucernarum myriades, quantam prima non habuit niſi communicata creviſſet. Non aliter corpus illud Minerale in agro Bononienſi, receptum lumen externum diutius in tenebris conſervat, quam multiplicata lu-

minis

minis productione in ſubjecto præparato. Cujus
opinionis defenſorem video ſubtiliſſimum eſſe
Philoſophum *Fortunium Licetum* in Litheoſphori
cap. 48. à quo meditatum ante argumentum lu-
bentius jam mutuabor. Si enim calida res aliam
calidam efficiat, & frigida frigidam, quum lux, ut
quinta qualitas princeps, nec caliditati, nec frigi-
ditati cedat in agendi virtute; jam & lucidum cor-
pus aliud lucidum efficere poterit. Parque ratio
ſit in qualitatibus tertiis quartiſque, neſcio quo
jure excludatur lux. Corpus quippe album ea red-
dit alba, in quæ albedinis capacia operatur, & ru-
brum rubra. Occulta venenatorum ſemina & pe-
culiares cujuſque proprietates auctius ſerpunt &
illa multiplicata peſtilentiæ labe infinitos deme-
tunt, hæ in ſpecie manent ad ſingulos derivatæ.
Iam lucis eam propagationem ex neceſſitate de-
monſtro. Enimvero ſicut ad conſervationem ſpe-
ciei omnis, ejuſdem ſingulæ particulæ vim ſe dif-
fundendi obtinuerunt & ſpargendi per Individua
multiplicata, ita ne lux primæva & naturalis ſingu-
lari Numinis conſilio elementorum mixtioni ad-
dita mole minor intercidat & extinguatur cum
ſpeciei non revocando caſu, eo modo conſervari
debuit quo ſervantur omnia, per inſitam naturæ
potentiam ſui generativam, adeo ut in ſemine cum
impreſſa membrorum idæa & ſpirituum multipli-
cata extenſione à Parentum luce generetur lux &
ad prolem tranſmittatur. De lucis ea facultate nec
dubitamus, nec mirabimur, qui neceſſitatis ur-
gens telum videmus, quum inter illa ex naturæ
voluntate numeranda ſit de quibus *Ariſtoteles* l. 1.
Magn.

Magn. mor. c. 10. docebat: *quod omnis natura ejus ſit eſſentia procreatrix, qualis ipſa eſt.* Tandem reapſe per generationem in animalibus propagari nativum lumen plura ſunt quæ evincant. In filiis etenim parentem lumen eadem facie expreſſum refertur, idem animi vigor corporiſque, ubi generoſa ſemina in ortus ſuos exſurgunt, color ſimilis & nativus fulgor, pares nævi & nævorum tincturæ quibus imbuti delapſi inde Spiritus in prole eadem forma & luce imprimunt. Æthiopes in prole illuceſcunt ſimillima & vultus ſplendidos majorum filii præferunt, quodque ad majorem fidem ab Æthiopibus didici, mixta utriuſque conjugia mixtum albedinis nigrediniſque colorem in liberis producunt. Innatæ inſuper parentibus proprietates, ſympathiæ & Antipathiæ, quas ad lucem cœleſtem reduximus, ad poſteros nihil immutatæ transferuntur. Et ut rem propius tangam, ipſa lux oculorum pari ſplendoris diuturnitate Parentem Filiumque Scaligeros illuſtraverat. Æneam pulcrum genetrix fecit apud *Virg.* l.1.

——namque ipſa decoram
Cæſariem nato genetrix lumenque juventæ
Purpureum, & lætos oculis afflarat honores.

Vulcanus Pater ignis, lucis author ex Ocretia Matre *Tullium* crine ſplendentem ſuſcepit, quæ, ut canit *Ovidius* in Faſtis; *——non minus illo*
Præſignis facie corniculata fuit.

Corniculatam pro lucente ſumi jam olim exemplo Moyſis didicimus. Ad bruta converſi perpetuum in felium familia ſplendorem advertimus generatione continua propagatum, ut & in aliis quæ ſu-

pra juſto ordine dedimus. De Lampyridibus nota historia per coitum generari cum corpuſculo fulgorem. Ejus propagationis author primus *Iulius C. Scaliger* lib. 4. in Theophraſt. *Inſecta, quæ habentur pro imperfectiſsimis diutiſsime in Coitu immorantur, ut Pulex, Cicindela. Ariſtoteles* enim ex Erucis piloſis naſci, non propria generatione prodiderat. Inventæ autem per coitum propagationis confirmationem propoſuit idem *Scaliger* contra *Cardanum* urgens Apes ova poſſe ſimul in utero habere & in opere eſſe: Exc. 191. n. 2. *Duo tibi etiam ſapientibus ignota declarabo. Primum ſcito Cicindelam à me cum ſuo mari deprehenſam in coitu. Mas ne contactus quidem abſtitit. Impertuſa pyxide conditi fuere per totam noctem. Poſtridie adhuc hærebat mas: in meridie ſolutus obiit. Ab ea hora ſub veſperam uſque ova multa edidit femella: quæ intra 20. horas vivificata abierunt.* Non abſimilem lucentium beſtiolarum generationem alio experimento ex *Fabio Columna* libro ſuperius ſecundo retulimus. Ita igitur de Luce Animantium habendum, inſitam omnibus eſſe quam videmus, quanquam ne videamus interdum lateat umbra ſuperiorum tecta, qua diſſipata remotiſque impedientium obſtaculis prodit nitore ſolito & nativo effloreſcente. Si quidem vero parciori miſtura in mixtis noſtris verſatur, cum plaſticis principiis ad novam generationem in producenda ſimili ſibi luce occupatur quam ex ſe edit, eodem quo à cauſa ſua, luce ſuorum, propagata modo fuerat. Hunc ſi ex me quæſiveris, de ſimilium generatione pari libertate & auſu ipſe quæram. Sive enim per diviſionem partium lux

lucem

lucem generet, ſive per ſolam extenſionem, non inquiram ſcrupuloſius, aliorum foro ea relicturus quæ in præſens æquo animo ignorabo. Generationis modus in omni natura abſconditus, quæ vi indita ſine ulteriori ſcrupulo elementa miſcet & mixta efformat, in utraque actione per generationem quod deeſt ſupplens, ancipites nos figit ore patenti. Sat eſt augeri & naſci lucem per ejuſdem à luce priori generationem. Quam firmat *Alexander Aphrodiſæus* lib. 1. de Anima cap. 13. magno ad præſens inſtitutum momento: *Fit lux per habitum earum rerum, quæ poſſunt illuſtrare, ad ea quæ illuſtrari nata ſunt, porro lumen perſpicuo ingignitur, ubi ignis aut divinum corpus præſto fuerit.* Per corpus θεῖον lucem indigitat, quam in perſpicuo, ut luceat, cum Alexandro in loco requiſivimus. Hæc de Inſita animantibus Luce ſine ſpeciei determinatæ particulari mentione. De Carne Monſpeſſulana eorum reſtat dubium qui inſitam lucem non à generatione ſed ab alia aſſumpta luce aut fulgore enatam, ex ingenio finxerunt. Inter hos Vrbis iſtius Medicus non infimi ſubſellii quidam, ut retulit Doctiſſimus Iuvenis *D. Daniel Puerarius* Genevenſis amicus noſter, à Cantharidibus, quas fortaſſe frequentiores eo Vere comederant, omnem ſplendorem contractum ingenioſe conjectavit. Quæ ab acuti ingenii Viro dicta fuere facilius quam probata. Enimvero concipere non æque erit facile, cur membranoſas tantum partes pingueſque longius ſitas infecerint Cantharides nullo lucis in vicinioribus ventriculo hepateque relicto veſtigio. Nec tantis coctionum viciſſitudinibus ſplendor exi-

exilis, & externus magis, alterationem effugere potuiſſet aut totalem umbram. Quin in paſtum agnorum veniſſe aut venire poſſe gregis paſtorum confeſſione refutatur. Nam ſine interitus noxa integras Cantharides devorari impoſſibile judicamus niſi monumenta noſtra fallant. Earum potu Coſſinum Equitem Romanum Medicus ex Ægypto vocatus interemit teſte *Plinio* l. 1. c. 4. Quod Abbati à Scorto quoque eveniſſe author eſt *Paræus* lib. 20. c. 28. *Dioſcorides* lib. 6. c. 1. inter venena numerat, veſicam præcordiaque mire vexantia. Vnde in ſuppreſſione urinæ ex vitio renum antequam exhibeantur à Medicis, corrigitur maligna vis pulvere arumeos, rutæ, ſpicæ nardi aut ſuperbibito pingui aliquo liquore. Ipſe *Hippocrates* l. de Nat. mul. alibique ſæpius uſus cantharidibus cavet, ut prius ad evitandam noxam auferantur capita, pedes & alæ. Ob quem metum, quia in Hydrope commendantur, *Guido* cap. 10. Chir. parvæ, accipere malebat Cantharides nigras, & ablatis capitibus & alis in pulverem combuſſit. Quem ſelectum quum cœcus brutorum impetus non habuerit, quis non maximo illorum exitio ingluviem hanc ſtetiſſe fateatur ut Vir Doctus majorem inventionis novæ quam veritatis laudem ſit inde aſſequutus.

CAP. IX.

De Lucis Animalis CAVSA FINALI.

AD Operis Cauſarumque complementum in fine ſupereſt Finis ſeu Effectus ad quem creata omnia diriguntur. Finis hic in multiplici eſt

eſt diſcrimine. Vel enim ad Deum refertur à quo orta lux & propagata, vel ad Animantia, quibus eſt innata. A Deo creata eſt ad perfectionem Univerſi ea pulchritudine & Divinitatis æmula forma quam neceſſariam judicavit, ut apud mortalia & caduca inter alia divinorum operum extet perfectum exemplar, quod in ejus gloriam, ut cœli, junctim perſonet. Primario fine ad mortalium utilitatem ſpectavit, quæ in tribus verſatur, vel ad futurorum inſtantiumque præſcientiam, vel neceſſarium lumen, vel ſenſuum miniſterium. Inſtantium temporum præſentiumque divinas actiones notabat Lux faciei Moyſis & linguarum die Pentecoſtes ardentium, quæ nova ſæculi fata utroque loco aperiebant, ibi legis hic gratiæ. Idem quidem ſignum, eadem fere lux, ſed diverſos futurorum eventus portendebat. Alias viſa in hominibus lumine modo authoribus bona modo mala ominabantur incerto eventu. Bona Servio Tullio quem clarum fore, viſa circa caput flamma promiſerat. Eadem Aſcanio felix, Laviniæque, niſi quod hanc ante promiſſi fidem flamma urens fere diſſolviſſet, illuſtrem tamen fama futuram divinabat *Virgilius*. Gothorum Regis flamma pro ſimili ſpe regni adipiſcendi accipiebatur, quæ non fefellit. Percrebuit enim apud ſuperſtitioſas veterum mentes fama, ex igne viſo fauſta quæque portendi, ſive ad ſumma rerum ſive victoriæ ſperatæ deſiderium perducendis. Fauſta portendit, quia lætior viventis imaginem exhibet & prolatis inducebant antiqui, ut *Statius* in Achill.

—— *Largoque ſerenant*

Igne domum. ——

Et de Inſomniis *Nicephorus* in Iambicis:

Domum videre incendio correptam, bonum.
Domum vero fumo inteſtatam, minime optavero
ſomnium.

Victoriam claram fore viſa in caſtris Romanorum flamma non fallaci oſtento prædicebat quum contra Sabinos aciem inſtruxiſſent, de qua *Dionyſius Halic.* l. 5. Antiq. Rom. Ex pilis defixis ante tentoria circa ſumma verucula emicabant flammæ, totiſque caſtris fulgorem, non aliter ac faculæ ad multam noctem reddebant. Ex hoc oſtento colligebant citam ſibi & ſplendidam à Deo portendi victoriam, quandoquidem igni cedunt omnia, & nihil eſt quod non ignis vi abſumatur. Idem L. Marcio omen contigit in Hiſpania ante prælium quo Aſdrubalem profligavit, concionanti, ut auctor eſt *Livius* lib. 25. Dignitates qua analogia promittat flamma ſeu lux, à quovis colligi poteſt. Lux enim rerum ſplendidiſſimum, à qua qui ſeu genere, ſeu Virtute eminent clari dicuntur, & Illuſtres, cœlum petit & æmulo ſplendore effingit, cunctaque lucida ſua facie illuſtrat, quæ omnia ſummis in Republica Viris aptari poſſunt, fœminæ Terentiæ non ignota, ut poſt ſacrum in cinere apparentem flammam, Ciceroni Viro ſuo, eo anno Conſulatus faſces divinaverit. Vetus hoc in mundo malum ne de ſuperſtitionis novitate queràmur, Trojanorum tempora tangit. Eodem namque *Dionyſio* aliena fide narrante lib. 1. dum Lavinium conderetur oblata Trojanis quædam prodigia ex flamma in nemore accenſo ſua ſponte

Igni,

Igni, quum lupus ore aggeſſiſſet fomitem aridum, ibi aquila advolans alarum ventilatione flammam excitavit: vulpes contra cauda in flumen intincta, ignem ab illis accenſum aſperſit. Quo viſo Æneam dixiſſe ferunt, illuſtrem quidem nobilemque & mirandam futuram eam coloniam ſed ſuis incrementis invidioſam & moleſtam vicinis. Aliis viſa flamma ſiniſtros eventus portendebat. Amico Cardani fugàm & exilium, vel ſi ſtitiſſet gradum ob intentatam veneficii actionem ex flamma ſimili pejora prædixiſſet. Mortem Cæſaris & Patrum in eum conſpirationem indicabant Viri ardentibus capitibus paſſim ante fatalem Iulii diem viſi diſcurſare, ut ejus hiſtoriæ filum tenuit Suetonius. Laviniæ flamma dubia, credita erat:

—— *magnum populo portendere bellum.*

Cujus explicationis veſtigia in Sacris habemus, ubi ſuccenſa olla ab *Hieremia* ad Aquilonem viſa indicabat inde effuſum iri rixas & prælia. Quæ olla viſionibus Divinis annumeranda inſtituti fines ttanſcendit. Nobis de Naturali luce ſermo, in qua portenti nihil, nihil ad futurorum notitiam per ſe ineſſe miſſis veterum ſuperſtitionibus audacter ſuſtinemus. Naturalium enim naturales effectus, nec in indifferentibus mala bonave niſi ex natura rei agnoſcimus. Suſpecti nimis ſunt ejuſdem oſtenti interpretes diverſi. Vnus Naturæ finis ubieandem faciem efformat, & ſive in malam, ſive bonam partem accipienda quæ videntur, ex ſimili principio eadem non diverſa interpretanda, niſi à ſuperiori agente in alienum ſenſum ſubinde trahantur. Sed diluſit varia fraude ad ſuperſtitio-

nem pronos veterum animos credulitas, quam ſuaſere augures & divinorum interpretes, peſſimum mortalium genus, à Genio iniquiori in transverſum acti, quum proſpera ſeu ſiniſtra juxta explicarint, pro inſtantium, quæ videbant, varietate. Veniam tamen merentur exilem, quod ex principio falſo falſa compoſuerint. Quippe inoleverat apud eos opinio graviſſimis antiquorum authoribus defenſa oſtenta hæc à mediis poteſtatibus Divinis inter ſummum æthera & infimas terras habitantibus demitti in cautionem hominum, quorum ipſis à ſupremis Diis commiſſa fuerat cura. Pro diverſa enim cujuſque provincia vel vatibus inſpirabant, vel fulminibus jaculandis vel nubibus coruſcandis, cæteriſque per quæ futura dignoſcebantur, præerant. Eaq; cuncta cœleſtium voluntate & numine, ſed Dæmonum obſequio & opera, ut Annibali ſomnia orbitatem oculi commonerent, Flaminio auſpicia periculum cladis prædicerent, Accio Navio miraculū cotis adjicerent, & demum ut nonnulla futuri regni ſigna præcurrerent, Tarquinius Priſcus aquila ab apice obumbraretur, Servius Tullius flamma à capite colluminaretur. Quæ ex mente Platonicorum *Apulejus* lib. de Deo Socratis fuſius perſequitur. Dæmones qui dicuntur ipſi ſunt Genii ſingulis à nativitate aſſignati, ut explicat Dæmonum fatalis ultor *Tertullianus* cap. 32. Apologetici: *Neſcitis Genios Dæmonas dici & inde diminutiva voce Dæmonia.* In cujus fidem alia in *Antiquitatibus noſtris Natalitiis* produximus, ſicut à Genio provido ab inſtantium rerum fato per ſigna, ut pedis ad limen offenſione, retrahi curæ ſuæ concredi-

creditos *Anatomia Pagana* pluribus exponit. Lux naturali Efficiente effulgens, ſi omen volumus, interiorem per ſe oſtendit, ſi ominis interpretationem naturalem, omnis bona eſt & ominatur dextra, quia ſine illa nec vita ſtaret nec exercerentur neceſſariæ operationes. Tullio & Blambæ dignitatum faſtigia promittebant, non hujus illiuſve regni, niſi ex conjectura. Flammæ enim lucentes generoſos ortus indicabant & copioſiores Spiritus in cunis non coërcitos, quibus adultis ſortem ſupra vulgarem ex raris animi dotibus poſtulabant; quam ad regnum vel caſus juvit, vel Deorum favor. At quamvis ortui ſuo vicinior lux ob copiam dignum habitaculum indicet, in adultioribus quia ad molem corporis augendi diſtenditur & rareſit arctiori cum elementis copula, hinc ſi in parte aliqua fulgidius appareat non per ſe, ſed ex accidenti triſtius omen habet, quia vel laxiorem partium diſſolutionem per putredinis occultæ gradum, vel ſubjecti conſtitutionem inuſitatam propalat. Vnde in nupero ſcripto fruſtra fœminæ ſcintillanti bene ominatur Ezechiel Caſtrenſis, quum, ipſo confitente pag. 59. à putredine humorum oriantur fulgor, ex hemicranea & diuturna uteri obſtructione, quæ ſi læta dicas, ut in domo ignis ſuccenſus, ex affectionibus morboſis dextre ſemper omniarer, ex proſpera valetudine ſiniſtre ſi per ægros liceret, quos omen hoc minus quam Medicos delectat. *Cardani* amicum quod attinet ex contingenti ſigno neceſſariam veneficii pœnam ſuppoſuit eventuram, & more hominum, finxit omen, quod timuit. Quanquam non raro tecte

colludere rebus naturalibus ſuperiorem cauſam exemplo cœleſtis arcus, Cometarum, &c. facile conceſſerim. Interim ob viſam agninæ carnis lucem triſtes vultus ſubducebant & ſiniſtra quæque animo verſabant Monſpeſſulanorum quidam timidiores recenti memoria territi, modo ardentes bellorum faces, modo peſtilentis ſideris afflatum portendi fingebant, quem pecorum ſtrages non vano metu in majus augebat. Nam plurium ſæculorum experientia obſervavit à brutis peſtilentiam incipere, primamque ſtragem beſtias populari, quæ diſcretionis ergo à Lucretio peſtilitas dicitur, non peſtilentia, quæ hominibus communis eſt. Ita apud *Homerum* primo canes, mox reliqua animantia peſtilitate conficiuntur, & *Claudianum* l. 1. in Ruf.

—— infecto morbus crudeſcere cœlo
Incipiens primo pecudum depaſcitur artus
Mox populos urbeſque rapit. ——

Sen. Oed. A. 1. S. 2.

Prima vis tardas tangat bidentes; quum
Laniger pingues male carpſit herbas.

Idque quia in terram pronæ peſtiferos ſuccos ſine ſenſu acutiori attrahunt, & dum ſine metu salubria appetunt, qui reliquis tamen aſtutior, *Idem* A. 1. Chor.

Perbibit peſtem latebroſa ſerpens,
Aret, & ſicco moritur veneno.

Simile de peſtilentia Anno Vrbis 264. Coſſ. Q. Sulpitio, Sp. Largio narrat *Dionyſius* lib. 7. tentaſſe quidem vulgus magno pecorum damno, homines vero præter morbum vix ſentiiſſe. Vnde nullæ

nullæ magis quam quæ odoratu præſtant noxium terræ virus & aëris inſpirant, ut Canes & Muli, & adeo ut inter ſigna futuræ peſtilentiæ aut cladis canum ferales ululatus collocarit antiquitas, ob inſtantis fati ſenſum cujus cruditatem ſenſerant. Id quod de Amphioniis canibus nocte ſilenti prodidit ſolita Cothurni gravitate *Seneca*, & ante ſeditionem propter Pompeji Dictaturam *Iulius Obſequens*. Hunc ex putredinis in agnis ſuſpicione errorem refutavit tranſactus ſine labes contagione feliciter annus, quanquam altero ſpatio recurrens domeſtica arma adduxerit. Quid autem ad peſtilentiam lux, aut ſplendor animalis? Omen præcedere ſolet, hic ſequutum, quum ex putridis demum emicuerit, nec alias labem illam ſignavit, niſi ſignacula per domos, oſtia, vaſa & veſtimenta conſpicua quæ olim temporibus Narſeti Longobardorum Regis in Provincia Liguriæ peſtilentiam anteceſſerunt, pro lucidis interpretemur. De his enim *Paulus Diaconus*, *VVarnefridus* dictus, ſcribit, ejus fuiſſe conditionis, ut ſi quis abluere voluiſſet magis magiſque illuſtria fierent, quod ex natura lucida fortaſſe dependebant, quæ aqua non tollitur ſed juvatur. Lampyrides ſplendore ſuo certiora inſtantium rerum tempora produnt, & meſſoribus agricoliſque maturitatem hordei ſolenniter indicunt. Author ominis *Plinius* lib. 18. c. 27. *Extremo hoc tempore, punici miliique ſatio eſt. Iuſtum eſt hoc ſeri maturato hordeo, atque etiam in eodem arvo. Eſtque ſignum illis maturitatis, & horum ſationis commune, lucentes veſpere per arva Cicindelæ.* Mox ſequenti Capite (quorum tamen in antiquioribus,

ribus, quos vidi, Mſſ. nulla diſtinctio) dum tem-
porum agricolas admonet: *Cur cœlum intuearis*
agricola? Cur ſydera quæris ruſtice? jam te breviori
ſomno premunt noctes. Ecce tibi inter herbas tuas ſper-
go peculiares ſtellas, eaſque veſpere, & ab opere diſ-
jungenti oſtendo: ac ne poſſis præterire miraculo ſolli-
cito. Videſne, ut fulgor igni ſimilis alarum compreſſa
tegatur, ſecumque lucem habeat, & noctem?

Cap. X.

De Secundo Fine, Illvminatione.

PRinceps lucis noſtræ ſcopus in illuſtrando to-
to qua patet, corpore verſatur, ſine qua per-
petuis tenebris obnubilaretur. Toti enim parti-
buſque illapſa, veluti fonte benigno omnia irri-
gat, ut ad univerſi imaginem compoſita, cum illo
paria faciant. In hoc cœlo aſſimilanda aſtriſque,
ſine quorum placido vultu & diſperſo lumine o-
mnia noctis obſcuriori tinctùra merguntur. Hæ
etiam lucis nativæ in corpore Animantium cen-
ſentur partes, illuſtrare Spiritus membraque &
purificare. Quod idem quum externum Cœlo-
rum lumen præſtet, quid de interiori hoc ſperan-
dum ſit, ex ſe quilibet colligat, majori namque
efficacia inſitæ cuique parti faces in ſubſtrata ma-
terie exſeruntur quam advenæ & tranſeuntes. At
externi aſtrorum ſplendores Spiritus vitales calore
lumineque vivifico reficiunt, corporibus vigorem
reddunt à quo declinarunt, morbos depellunt quos
abſentia eorum per hyemem invexerat, & Vere
maneque ſibi redditi agros non exiguo auxilio
ſublevant. Quorum effectuum vim interior lux
feli-

feliciter aſſequitur ſi juvetur, & ex hujus jactura utilitatem ejus demum digne æſtimamus. Nonnullis ad externa munia favet ex oculorum orbita emiſſititium lumen fundens quo infenſas moleſtaſque noctis tenebras aut temperat aut vincit. Eo indiguerunt animalia noctu eſcam quæſitura, ut ab inſidiis tuta facile invenirent neceſſaria. Item hi quibus oleum periit, tandem ex uſu Principibus Viris tam ut majeſtatis ſuæ ſpeciem intendant, quod Octavius gloriabatur, quam ut inſidiantium furtivas manus exemplo Caji Marii effugiant. Cicindelarum fulgor in uſum vel proprium deſtinatur vel alienum. Proprius eſt, ut prolato ex ſe lumine per obſcuras nocturni itineris vias ſine offenſa volitent. Vicarias operas uſui humano accommodat duplici nomine, prout vel ad itinera prælucet catervato nexu lucentium candelarum ſplendorem in pileis vel aëre tenebroſo explicans, vel prout ex corpore ſuo expreſſus humoris lucentis liquor æmulam naturæ ſimilitudinem ad alia ſervet. Extractus enim humor (cujus extrahendi præparandique modum deſcribunt *Ioh. Bapt. Porta, VVecherus, Gaudentius Merula, Mizaldus* aliique) parum immutatus aut in tenebris elucet pro utentium neceſſitate, qualem *Cardanus* promiſit,aut piſcibus capiendis aptatur, teſte *VVechero* in Secretis, aut deniq; ad culicum morſus faciei inungitur, quod ab incolis Hiſpaniolæ factitari experti locorum prodiderunt. Omnes autem recenſitos effectus illuminationi aſcribimus lucis propagini, quam ad ſplendorem ſolum & ornatum pleriſque aliis ex animalium genere expandit Natura. Ve-

rum

rum antequam manum de hac tabula tollam, dubium expediam non leve in præſenti negotio. Quæritur enim an Lucis tam communis quam noſtræ effectus neceſſarius ſit extra ſe ad vicinorum illuminationem progredi. Affirmantibus plerique in deſcribenda luce ſubſcribunt, quam dicunt qualitatem eſſe corporis lucidi, qua & ipſum ſit lucidum, & alia illuminet. Qua hypotheſi ſtrata acutiſſimi quidam Viri quod in animantibus emicare obſervamus, non lucem dicendam ſed fulgorem tantum, adeoque fruſtra deſudaſſe me in lucis Natura, quæ fulgoris erat, amice monuerunt. Non enim extra ſe diffundi, nec alia obſcurum animantis ſplendorem illuſtrare, ad cœleſtis vel culinaris lucis modum. Diſtinctione brevi rem expediam, nam alia illa illuſtranda vel de ſubjecto proprio dicuntur, vel extra ſubjectum poſitis. Si illud, in confeſſo eſt lucem neceſſario ſubjectam, quod à ſe diverſum & aliud eſt, illuminare ſemper, & omnem, qui in animantibus eluxit, ſplendorem, cui inhæſit, colluſtraſſe. Sin hæc pro aliis venditentur, duplicem illis illuminationem conceſſerim, vel, ut terminis Philoſophorum ſignificantibus utar, Actualem, vel Potentialem. Illam habere omni tempore adeoque claro lumine extra ſubjectum egredi, nulla arbitror fieri neceſſitate, aptitudinem tamen non ceſſare, in actum producendam ſi requiſitis ad actum illuminationis neceſſariis ſuperinduatur. Ad Actum potentior facultas, & libera copia lucis, & ſubjecti denſitas omnino concurrant ſi vicina illuminanda, quidquid defuerit horum inhibebit illuminationem vicinam.

cinam. Lux conſtrictior & vinculis coërcita alienæ materiæ mixtione, ſubjectum quidem proprium illuſtrare valet, at ultra progredi prohibetur. Ita carbones igniti per ſe aut per lucem lucidi, ſcintillæ exilientes, ut apparet ob arctiorem denſiores materiæ & terreſtris copulam, ſe quidem non aërem circumjectum ſplendore produnt. Non aliter de calore judicandum, qui natura ad calefaciendum vicina deſtinatur ſemper, niſi in mixtione accuratiori. Animalium enim calor non diffunditur ad vicina nec ejuſdem quidem ſenſum percipiunt aſtantes, ut in impedita luce miranda novitas nulla ſit. Nam pari pacto incluſus cornu Vulcanus, ut Plautina Muſa loqui amat, lumen cohibet quod alias ad medium quaquaverſum diffunderetur. Deinde Lucis imbecillitate retrahuntur ad illuminationem Activam non pauca illuſtri ſed ſibi tantum ſufficiente lumine conſpicua, ut optime explicavit in Noctilucarum diſputatione *Soſigenes* Menandri Præceptor 3. de Viſu: *Hæ enim noctu cum refulgeant tantum aërem proximum & confuſum, circumfuſum leviter ſubluſtrant, non ita ut alia item poßint videri, ſed ut ſola ſe vindicent à tenebris.* Atque hoc ex exilitate portionis ejus, è qua proficiſcitur, manatque lumen deducit. Ita & in Eclipſi Luna terrenæ umbræ immerſa in ſe quidem lucis ſervavit tantum, quantum ad propriam illuſtrandam faciem ſufficit, vicinas autem aëremque circumjectum illuminare non poteſt, ob lucis parcitatem defectione ſideris inductam. Tandem ſubjecti raritate impeditur lux ad ſui diſſeminationem, idque, quantum aſſequi poſſum, duabus

bus de cauſis contingit, tum quia raritate diſtenta corpora ob amplitudinem abſorbent & retrahunt intra ſe quod alias ad extra eſſet emittendum, qui raritatis gradus ſi augeatur ad ipſam lucem pervenit extenſio, ut ſingulis rarefactorum partibus accommodetur, hinc non apparet amplius lux diſtenſa, ut in diaphano lucido cœleſtis conditionis: Tum quod ſubjectum rarum ad ejaculationem luminis imbecillius ſit, denſum contra collectione radiorum & multiplicata reverberatione ad exteriora vibrat. Exemplum ex Spiritu vini in promptu, qui, accenſus licet, & calorem debilem vel nullum, & lumen exile profert, ille minor quam ut injectum linteum comburat, hoc imbecillius quam ut vicinum aërem magnopere illuſtret, materiæ enim ſeu ſubjecti tenuitatem ſequitur utrumque, unde ſe magis quam propinqua urit, illuminat. Prædictis conditionibus animantium lucem ad effuſionem ſubinde impediri negare non velim, verum tamen ſive his, ſive aliis medium diaphanum lumine aliquo repleviſſe non raro vidimus. Libera & explicata à vinculo corporis continentis, Cicindelarum lux illuminaſſe & aërem & aquam diaphana, non dubia fide narratur. De aëre *Baptiſta Porta*, ubi humorem ex cauda expreſſum fumo vel calentis aquæ balneo præparatum in pellucido cryſtallino orbe condidiſſet, ſuperaddit: Sic conclavis medio, lucigena pendet aqua, & aërem illuminabit qui eſt circa illam, ut majuſculæ litteræ poſſint conſpectari, dummodo à non magis ſplendido illuſtretur. In aqua ſimili humore Lampyridum perfuſa expe-

experimentum nuper me docuit Venetorum Æſculapius, *Ioſephus de Aromatariis*, ut illuminari ab hac luce extranea, extra aleam videatur deinceps reponendum. Nam expreſſus noctilucarum fulgens humor & in profluentem amnem abjectus, lato diſſeminatur circulo, quantum nec infinitæ muſcæ complerent, & aquas ſucceſſivo impetu allapſas clariſſimo ſplendore, qua ſubſiſtit, inficit. Nec humor tantum lucidus extra amnem ſolum vicina illuminat,ſed in viventibus paria facit,quod expertus ipſe ſum, Lampyridum vitro incluſarum ſplendores appoſitum foris digitum manifeſte, pro lucis exilitate, colluſtraſſe. Lucis largior in oculis illorum eſt proventus, qui de ſe quaquaverſum lumen ſpargunt, ut narravimus in tempore. Omnium rationum concurſus in Agnina Carne Monſpelii apparebat, quæ totam cellam, qua patebat, & vicinum aërem, qua diffundebatur, illuſtri lumine repleverat. De hujus, præter illuminationem, alio adhuc fine aliorum ductum ſequutus inquiram. Verſabant publice in Scholis hoc Problema peritiores, An ob lucem caro ſalubris edendo foret? Solutionem ullam datam non memini. Comederant eam ſine ſanitatis diſpendio plerique ante factum à muliere indicium, & ipſa, curioſitate ducta, mulier experiundi ſaporis gratia pinguedinem lucentem,ut quæ maxime, deguſtaſſe ſe, mihi teſtabatur, nec alium ſentiiſſe à reliquis ſaporem, niſi ſævi candelæve aliquo guſtu aſperſum, quod quidem in hac pinguedine frigori expoſita, extra miraculum. Eſu inſalubrem non

Bb fuiſſe

fuiſſe hinc diceres, quod ob lumen innato lumini noſtro reficiendo ſit accommodata ſubſtantiæ ſimilitudine quæ ab iiſdem paribuſve conſervatur & alitur ex quibus componitur. Ex hac lucis vicinitate etiam aliæ carnes albiores putantur ſalutares. De Turturibus enim albis refert *Scaliger* Exerc. 59. ex ſententia Noricorum Medicorum, carnes earum eſſe ſaluberrimas, quarum eſu naturalis calor mirifice roboretur. Temperamentum tamen aſſertioni huic ex lucis apparentis duplici ſubjecto accerſam, quod vel ſanum, vel morboſum. Si prodeuntem ſplendorem ſana caro comitaretur ſine labis ſuſpicione gulæ concedi poſſit, ſin cum reſolutione mixti ſeu putredinis aliquo gradu explicetur demum fulgor, ut in præſenti caſu, quamvis ex ſe ſalutaris lux, ob comitem tamen carnis putredinem, merito ſuſpecta erit. Vnde quanquam ſalutares videantur Turturum carnes albiores nive, facile tamen ab illa temperie devolvuntur, quippe quas omnium celerrime corrumpi dixerat eadem Excercitatione *Scaliger.*

CAP. XI.

Quid ad Senſus conferat Lux Animalis?

LVcis ultimum finem cum dicebamus qui ad Senſuum miniſterium fertur. In quo quanta verſetur dexteritate ſtrictim indicabo. Animæ lucem vix attinet tetigiſſe, cujus notæ virtutes, effectus notus. Ex mente Platonicorum luminis naturalis animæ inditi hic ſcopus fertur, ut corpus ingreſ-

ingreſſuræ illæ ſeipſas ac vires ſuas ad corporis fabricam ſpectantes contemplentur, qua excitato in eis amore cupiant harum virium officia in corporibus effundere. Verus uſus ad Mentem fertur, nubila detergere & explicare triſtem. Vnde vere *Symmachus* l. 1. Epiſt. 31. *Mentes hominum nitere liquido die, coactas nubilo flacceſcere* ſcribebat. Sed de Animæ Mentiſque luce abunde tradunt *Platonici* & nos ſupra. Senſus, quibus inſervit lux, interni partim ſunt, partim externi. Internorum quies, ſomnus, ad quem internum oculi lumen facere de nocte retractum *Plato* in Timæo exiſtimavit. Quod Præceptoris effatum ita explanavit *Alcinous* cap. 18. de Doctr. Plat. *Palpebras cum jam retractum eſt claudit. Et ſi plurimum quietis induxerit, ſomnus ferme ſine inſomniis ſurrepit.* Quod ſi quædam adhuc agitationes reſtiterint, frequentia confeſtim phantaſmata nobis occurrunt. Atque hoc pacto phantaſiæ ſeu veræ, ſive falſæ, tramite quodam directo naſcuntur. Hinc crediderim minus quiete in lucido loco ſomnum obrepere, quam obſcuro, quia ab externo ſimili evocetur interius lumen quod ad cerebrum retractum ſenſus ſopiebat. Inter exteriores ſenſus Auditus lumine tam externo quam interno plurimum promovetur. Nam ſurdaſtri ſi ad feneſtram admoverint aures ſpecies ſonoras percipient facilius, vel ad candelam, quum in tenebris audiant nihil, quantum enim ſpecierum illuſtratio in omnibus ſenſuum Organis momenti afferat, me tacente norint omnes. Forſan à ſplendore externo deducuntur ſo-

ni per arctiores vias, evocanturq; Spiritus Animales in ſubſidium ſimili fulgore præditi, & quod ſoris præſtat externum majori conatu exſequi internum lumen plane fit vero ſimile. Denique luminis Animalis primæ ſunt partes in ordinanda perficiendaque viſione. De quo munere tam diverſa & obſcura variis animorum motibus commentantur Docti, ut facilius verborum numerum ineas quam opinionum. Solum alterationem quandam in oculo facere docebat *Actuarius* l. 1. de Sp. Anim. c. 8. Alii ad repurgandas & defæcandas rerum viſibilium ſpecies, quo melius oculos ingrediantur, neceſſariam judicant, quam ſententiam ab *Aquapendente* refutatam vide ſis in Lib. de Oculo & Viſu cap. 4. Pars major emiſſione luminis ejus ad objectum viſibile viſionem abſolvi probavit. In diverſas tamen ſectas hi ſcinduntur, aliis unius luminis egreſſionem volentibus, aliis utriuſque hujus cum externo mixtionem addentibus. Priorum ſententia antiquiſſimos habet Patronos, inter quos *Ptolemæum*, & *Pythagoram* recenſent, qui ab oculo credidit videntis exire Lumen, & uſque ad rem viſibilem pervenire, ab illa autem repercuſſum veluti à corpore denſo ac terſo in ſe quodammodo redire ad oculumque reverti ſecum, deferendo imagines illarum rerum quas attigiſſet integras, à quibus viſus excitatus, fieret viſio, non ſecus ac repercuſſa in pariete pila ad manum redit. Inde ad poſteros traducta opinio etiam cum ſententia uſum loquendi variavit, ut, teſte *Scaligero* Exerc. 298. num. 1. actioni videndi ſemper

quar-

quartum caſum appoſuerint, ut ὁρῶ βίϐλον, quaſi in librum ſolus ageret viſus non verſa vice. Ejus meminit & *Macrobius* lib. 7. Sat. c. 14. *Geminum lumen è pupilla directa linea micare, eumque profluvium oculorum, ſic lucem aëris externi offendat, directimque per hanc pergere uſque ad objectam rem.* Cui favere videtur experientia Cattorum, qui ſine ulla radiorum receptione de nocte vident lumine emiſſititio, & hominum ex tenebroſo profundove loco remotum ignem aut ſtellas cernentium. Premitur nihilominus difficultatibus eximiis, quas prævidens *Plato* media via ad verum greſſus eſt, ut ex amico luminis utriuſque amplexu unius viſionis actum educeret. Amplexum illum mutuum συναυγείαν ſeu corradiationem vocavit *Plato*, ut explicavit l 4. de placitis *Plutarchus*, quam ipſe in Sophiſta, lib. de Legibus & in Timæo ita fere proponit: *Cum diurnum Lumen applicat ſe viſus radio, tum ea duo inter ſe ſimilia concurrentia, atque commiſta, quo oculorum diriguntur acies, ibidem in unius jam domeſtici corporis coaleſcunt ſpeciem, ubicunque videlicet tam interni, quam externi Luminis ſit concurſus.* Totum vero hoc ob ſimilitudinem eandem ſortitum paſſionem cum quippiam aliud tangit, vel ipſum ab alio tangitur motum hujuſmodi ad omne corpus perque id ad animam uſque diffundens, ſenſum efficit qui viſus vocatur. Subſcribit Præceptori *Plotinus* Ennead. 4. lib. 5. *Alcinous* cap. 18. *Speuſippus* in Defin. aliique Interpretes, quorum Catalogum non texam. Appoſitam illam αὐγείας vocem in re ſimili ſervarunt poſteriora à Platone

tempora, idcirco αὐγάζειν non tantum illuminare
notat, ſed utriuſque luminis actione videre, apud
Apollonium Rhodium l.4.v.12,58. ſicut & ὁρᾶν. (ἰδεῖν
vero ex mente Peripateticorum idem *Apollonius*
pro receptione ſola adhibuit v. 855.) quo ſignifica-
tionis flexu accipiendum monet *Ieremias Hoelzli-
nus* in Notis ad Apollonium, quod ſcripſerat Non-
nus ad Ioh. cap. 8. v. 12. καὶ αὐγάζοιεν, ut videre
utroque lumine notet, non ſplendere ſic ut an-
te eum traduxerat Interpres. Contrarium huic
αὐγεία ſe præbuit *Ariſtoteles* cum tota Peripatetico-
rum fere familia, nihil niſi ἰδεῖν urgens ſola ſpecie-
rum intra oculum receptione. Qui tamen dum ſo-
lam earum incurſionem adeo fervide propugnat,
ſubinde in negatam ſententiam coactus concedit,
& emiſſionem luminis ocularis confirmat. De
qua veritate conſulenda ſunt ejus Problemata 11,
15, 16. Sectionis 31. Vtut *Ariſtotelis* eſſe negen-
tur, aut fidem Acroamaticam mereri. Sin alios
velint *Ariſtoteli* ſine controverſia aſcriptos, en lo-
cum proprium 3. Meteor. ſ. 2. in fine c.2. ubi diſ-
putaturus de Iride, Parelio, Halone & Virgis paſ-
ſim ſupponit viſum in illis refrangi, & ſimile de
ſpeculis adducit, quorum alia colore & figura alie-
na conſpiciantur, alia ſolo colore. Excuſant alii
Philoſophum quaſi ex ſententia Mathematicorum
hypotheſin hanc per tempus uſurparit, ſed parvo
ſucceſſu pro ficto ipſi aſſuunt quod ſevero vultu
aſſeruit Mathematicorum hac in parte aſſecla.
Majori ſubtilitate Inclytus *Licetus* l.2. c.11. de Lu-
næ luce, per viſum qui *Ariſtoteli* dicitur refrangi,
ſem-

ſemper objecti ſpeciem viſibilem non Spiritum lucidum exeuntem interpretaretur, niſi ipſum ſe de viſu, non objecto, ſtatim explicaret quum ſubnectit: At ſupponit debilitari viſum, & ab objecti viſibilis diſtantiam, nigredinem objectis videri induci. Id quod de oculorum effluvio facile ob finitam extenſionem deficiente, quum minus proprie refractio viſus diceretur, quæ eſſet objecti intelligendum. Imo mentem conſtantem aperit idem *Philoſophus* l. eodem Met. c. 4. ubi affectionis Antiphontis, qui quacunque incederet ſibi ipſi occurrere videbatur, cauſam redditurus, oculorum aciem in illum ipſum reflexam innuit: quandoquidem ex morbo ſic imbecilla & omnino tenuis erat, ut proximum aërem expellere non poſſet. Nam tametſi Antiphonta hunc vitio non oculi ſed cerebri laboraſſe judicarit *Andreas Laurentius*, manet tamen difficultas in Philoſopho, qui non cerebri, ſed oculi vitium ſuppoſuit. Quin in Peripato jam dudum Veteranus *Alexander* Probl. 116. Sect. 4. per pupillam ſolam videndi exire Spiritum maxime perſpicuum atque luminoſum aperte fatetur. Rationibus aliis *Platonem* fulcire ſupervacaneum, qui adverſariorum confeſſione ſtabilitur. De uno lumine quod emittitur ſola animorum diſſenſio qui in recipiendo conveniunt. Sufficiat experientiam, fidum Naturæ interpretem advocaſſe, qua docemur videri multa in ipſo oculo, quæ non ſunt extra oculum, quia ſuffuſi ſeu Catharacta conniventes videntur ſibi videre muſcas in aëre volitantes & alia ex vitio oculi, quod lumen internum

ſolum fere admittit. Iſtius viſionis cauſam lar-
giorem, noſtro inſtituto accommodatam ex *Ga-
leno* l.1. de Cauſ. Sympt. c. 2. petat, cui otium. Ex
eodem lumine ſtrictius cohibito evenire poteſt,
ut quæ pupillæ admoventur proxime, non appa-
reant. Et à Cattis Cauciſque antea nobis fidem
invenimus. Concurſum tamen utriuſque, ad vi-
ſum ſine neceſſitate invectum à *Platone Celſus Man-
cinius* c. 9. Synaugiæ conatur evincere, quia 1. Si
recta linea ſit objectum, poterit ab illo ad oculum
& è contra lumen pervenire, unde alterum iſto-
rum erit ſuperfluum. 2. Diſtantias corporum cœ-
leſtium & ſitus ignoraremus, hæc enim lumen
emittere non poſſunt, quo videantur. 3. Spatium
videmus colore carens, ergo viſio non fit lumine
proveniente ab oculo, & colore. Ad ſingula di-
cendum quod dictabit Platonis amor. In primi
argumenti propoſitione tanquam conceſſum ſu-
mitur, in quo controverſiæ cardo pendet, an nem-
pe ab objecto ad oculum, ſolum perveniat lu-
men. Sed quod ad rem magis, quum *Plato* ex-
ternum objectorum lumen nuſquam excluſerit ſed
tantum ſolius agentis vices denegaverit, hinc pro
ſolutione, pervenire quidem ab objecto ad ocu-
lum poſſe lumen, ſed ſine interioris concurſu non
recipi ad viſum, provenire & ab oculo lumen, ſed
niſi ab externo actuetur non affici ſpeciebus aut
ſignari, ut partiales hæ cauſæ eidem effectu de-
beant operas mutuas præſtare. Reliqua quæ affe-
runtur pro ſpeciebus intentionalibus ſine lumine
faciunt, quam litem in præſens meam non facio.

Ver-

Verbulo tantum reſpondebo, à diſtantiis & ſitu aſtrorum, quatenus in abſtracto ſumuntur nec lumen exire, nec ullam ſpeciem intentionalem, utpote quæ ſenſus objecta per ſe non ſint. Vnde utriuſque jugulum ex æquo petit objectio. Sin diſtantiæ & ſpatia rerum ex earundem inter ſe collatione ſumantur, quomodo ex luminis ſimili incidentia idem non aſſequamur? Lumen certe ab omnibus provenit aſtris. Quod autem ſpatium ſine colore vel coloris ſpecie non videtur? quomodo ſpecies intentionales, quas ſupponunt, ſine lumine aut colore ſenſum afficient? Spatium per ſpecies non videtur nudas, ſed per vicinorum corporum, lumine coloreve affectorum, inter ſe comparatione, & habitum quendam diverſas diſtantias metiri ſolitum. Fortiori impetu ex *Ariſtotele* de Senſ. c. 2. aggreditur Platonem quum luminum inter ſe confuſionem, tanquam formarum intentionalium haud propriam, abſurdam indicant, quod miſceri corporum tantum ſit. Quod de exacta mixtione concedi poteſt, confuſione non item aut lata mixtione, quam in aëre illuſtrato luminibus infinitis, Luna multarum ſtellarum radios colligente, clarius videmus. An lumen Corpus ſit, ut miſceatur, hic non diſputabo. cujus opinionis fuere ex antiquioribus multi, & nuper rationibus novis revocarunt acutiſſimi Philoſophi *Claudius Berigardus* in erudito commentario ſuper l. de Gen. & de Anima. Quod & Lutetiæ docentem audivi *Petrum Gaſſendum* ſolidæ eruditionis Philoſophum, & fuſe l. de Luce plurimis Proble-

matibus defendit *Iſm. Bulialdus*,qui videndi ſunt & audiendi. Platoni tribuunt *Iamblicus* & *Auguſtinus Niphus*, ſed, ut meretur, in meliorem ſenſum vertunt, quaſi corpus ſit non materiale ſed formale ſeu ſpirituale, quod ad eludendum rationes omnes quas in Platonem torſerunt *Alexander*, *Ioh. Grammaticus* & horum Magiſter *Stagyrites*, in primis valebit, ſi ad inſtantias *Mancinii* cap. 11. animi gratia adverterimus primo ex infinitis hujuſmodi formis corporeis non exſurgere ullum corpus materiatum, ſed formatum purum, ut originem referat. Deinde,extendi & implere aërem non ad materiatorumm orem, ſed formarum, nuda ſcilicet diffuſione ſine repletione materiali, quæ alia corpora non admittit, quo modo diffunduntur cœleſtes radii formales potius, ob materiæ tenuitatem, quam materiales, imo lumen, plane ſine materiæ concretione explicatum. Ex quibus & *Ariſtotelis* diſpaleſcit primipilare argumentum, quo lumina illa copulari negabat ob interjectam utrique lumini oculorum membranam. Lumen enim raram membranarum laxitatem facile permeat, ut ſpiritale quid, qua nec ſpecies ejus ullo pacto retardantur. Difficile tamen fronte prima apparet, ſiquidem *Simoni Portio* Com. de Coloribus, imbecille lumen cum fortiori copulandum in coloris generatione, negocium faceſſit, quia exiſtimat remiſſum & languens lumen, cum ſit imperfectum ſi jungatur exactiſſimo & ſincero lumini debilitari. Mihi quidem ſcrupulum eximit *Ariſtoteles* 5. Phyſ. quia omnis remiſſio ex admiſtione contrarii.

At

At lumen debile, quale forſan in oculis, & fortius in contrariis poſitivis non habetur. Dicat, diſſimilia eſſe & ob diſſimilitudinem variare. Verum diſſimilitudo hæc in gradu ſolo propoſita, id efficere poteſt, ut inferior ſuperiori temperatus in fortiorem convertatur. Quod urget *Toletus* qu. 33. l. 2. viſum indifferentem ab externo objecto ad actum determinari debere, nullo interiori lumine ſeu potentia, quæ ſeipſam determinare non poteſt, plane pro Platone faciet, ſi conjungas. Determinatur enim lumen ad hunc vel illum viſum, ab objecto partim, quod pro ſuarum ſpecierum ratione & ingreſſu videtur: partim à facultatis voluntatiſque impetu modo huc lumen exprimente modo illuc. In genere & in univerſum denique determinatur à ſeipſo, vi ſibi à Natura indita, ut ferri non poſſit niſi in viſibilia. Unde quanquam omnibus partibus ſit commune, quod exprobrabat *Aquilonius* in Optica, tamen pro organi diverſitate & facultatum diverſo imperio, diverſa exſequitur. Alia quæ in Platonis Synaugiam cumulatim ingerunt magna contentione Authores citati, ut & *Lactantius*, l. de Opif. Dei, *Scaliger* Exerc. 298. n. 1. 16. *Philoponus* in Ariſt. aliique infiniti Platonem haud feriunt, ſed Pythagoram potius qui in unius luminis ejaculatione ſubſtitit, parum probabili, in infinita objectorum diſtantia. Quanto ingenioſius autem utriuſque luminis occurſum invenit *Plato*, tanto difficilius locum congreſſus hujus determinaveris, ſive oculum juxta, ſive prope objectum, ſive in medio pari ab utroque diſtantia.

Circa

Circa oculum videtur frequentior ob luminis horum brevitatem, niſi pro diverſitate utriuſque variari locum probabilius dixerimus. Sed obſcuriora hæc ſunt quam ut à me illuſtrentur, in quibus tot ſæculorum ingenia ſine effectu inſigni deſudarunt. Quid in his dicendum quæ nec explicarunt, nec tetigerunt. In quibus mortalium in varios conatus eruendo, tanto admirabor minus, quanto in inveniendis magnis magnum, in ſcrutandis ſummis felicem Platonem magis venerabor.

FINIS.

BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE LYON 1896

BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE LYON 1896

INDEX

Rerum & Verborum.

A.

ADamantii error. Pag.41
Aduſtio à Sole quare. 51
Aër quid faciat ad lucem. 290
Aëris circulatio. 32
Aër ſubtilior pro igne habitus. 27
Aeneo cribro cur ferebatur ignis ſacer. 341
Aetatum lux. 286
Aethiopum mixtio. 369
Aethiopes deformes. 129
Aethiops an luceat. 165
Aethiopum feminæ cur libidinoſæ. 165. *ignem cur manibus tractare poſſint.* ibid. *febribus & oculorum doloribus cur tentantur.* 166
Ahaſueri oculi ardentes. 85
Albæ carnes an ſalubres. 386
Albus color. 132. *in inſomniis quid denotet.* 133
Alexandri Magni ſcintillatio, conjectura. 69
Alimenta quid faciant ad lucem. 291
Alla more luſus. 125
Amor & odium occultum unde. 269
Amoris æſtus in flamma & luce. 120
Angues nigri. 129
Animæ lux difficilis. 161
Animarum principium in Sole. 155
Animi pathemata quid conferunt ad lucem. 292
Anthracitidis ſcintillæ. 7
Apis bos Aegyptius. 176
Apuleji locus ex Mſ. examinatus de Pœonia. 20
Aqua Thaletis principium quomodo intelligendum. 161
Aquæ cœleſtes quid. 359
Aquis conſumi cur metuebant antiqui. 160
Aquila in nummis quare. 157
Arbor lucida in Inſula Zeila. 21
Ariſtoteles injuria refutavit Platonem de Luce. 100
Ariſtoteles ſibi contrarius & Platoni aſſentitur. 101
Artus quid. 121
Aſells minoris oculi lucent. 232
Aſperitas quomodo ſubjectum lucis. 258, 259
Aſtra quomodo ad lucem concurrunt. 301
Atræ bilis lux. 35
Auditus læſio. 98
Aurata monilia. 114
Aurelia. 216
Aurelianus emendatur. 97
Aureus color calamitatem præſagiebat in ſomno. 114
Aurum ad fictitia colliganda. 79
Aurum ad robur partis. 80
Aurum unde. 26
Aves Hercyniæ. 217
Avis incendiaria apud Romanos. 224
Avis Ouriſſia. 220
Avis Quetzaltotott. 219

B.

BAaraz natura. 20
Baaraz non Moly Homericum. 21
Baaraz ſuſpicione magiæ non caret. ibid.

Barbæ lux. 77
Batrachia. 19
Bilis non naturalis lux. 37
Βόϛρυχοι. 209
Bovis lux ex ore. 175
Brachiorum flamma. 121
Bubula caro luxit. 176

C.

Calidum innatum. 137
Calphurnii locus emendatus. 15
Calthæ paluſtres. 19
Candidati. 134
Candor color. 130
Candor veneno proprior. 197
Canitiei nova ratio. 60
Canities ſubita unde. 287
Canna Indica. 21
Cantharides. 207
Cantharidum uſus. 372
Caprarum lux. 179
Caput combuſiſſe veteres quum corpus non poterant. 61
Caput tectum quid denotet. 70
Caput velatum habere in ſacris, mos antiquus. 71
Carbunculi lux. 6
Carnis ovium ſingularis ſplendor. ibid. 190. *ejuſque hiſtoria.*
Catti oculus linteum à flamma incolume cur ſervat. 188
Ceraunia unde dicta. 7
Cerebri pecudum lux. 169
Cerebrum cur diverſas magis edit operationes quam aliæ. 150
Cerebrum princeps ſubjectum lucis animantium. 243
Cerebrum qualis luminis ſubjectum. 243
Chalcitis ſplendētes venas habet. 17
Chamæleon non ſolo aër vivit. 304
Chryſalis. 216
Chryſelectrum contra vitium oculorum. 17
Cicadæ aureæ Athenienſium. 217
Cicindelæ. 204
Cicindulæ ſine alis in Italia. 205
Circularis motus ſanguinis unde. 32
Clabula cur ignem ſacrum extinctum ſuſcitabant. 344
Clariſſimi & Illuſtres cur dicti homines. 3
Claudianus de arbore vitæ. 14
Claudianus emendatus. 191
Claudianus Mſ. 77
Cœlii Aureliani locus emendatus. 49
Cœlum ardere viſum. 26
Cœruleus color viſui gratus. 48
Color vividus faciei à ſpiritibus. 143
Colores. 274
Colores nulli reales. 365
Cometæ quomodo generentur. 246
Corallium δενδροειδὲς, *ſtellas repræſentat.* 22
Cornua pro capillis poſita. 66
Cornu pro brachio. 67
Cornu pro incurvis. ibid.
Corona lucente inſigniti. 72
Corona ſanctis appicta loco pilei. 75
Corpora cur flammis conſumebant veteres. 160
Cor quomodo ſubjectum lucis. 242
Crines aurei. 61
Crines pro luce uſurpati. 67
Criſta in galeis unde. 223
Crocodili lux. 203
Cubicula dormitoria. 89
Cutis glabra ſplendet. 65

D.

Dactyli lux. 227, 360
Damæ locus exhalationibus pertranſeuntes equos ignitos reddens. 175
Δαψὰς *viperæ ſpecies unde dicta.* 200
Delphini velocitas. 231
Delphinius Apollo cur. 231
Delphinus. 230
Delphinus tripodi ſuperpoſita in nummis. 231
Dentes Aethiopum lucidi. 78
Dentes cuſtodiêre veteres. 79
Dentium lux. 77

Digiti

Digiti pro radii uſurpati, & quare. 126
Dignus qui cum in tenebris mices, Ciceronis locus explicatus. 125
Diomedeæ volucres. 220
Dormimus commodius in dextrum latus, & cur. 85
Dracunculi ex corporibus exorti. 201. *ubi degant.* 202. *quibus conveniat hoc morbi genus.* ibid. *Tormenta ex iis.* 203

E.

EMblema Aldi Manutii. 231
Equorum lux. 174
Eranthemum. 19
Ericius marinus ſtellatus. 236
Erucæ generatio qualis. 209
Erucæ ſericei ſplendent circa collum. 215
Excrementa quid faciant ad lucem. 291

F.

FAciei ad cœleſte lumen conſenſus. 64
Faciei ſplendor. 62
Facies Chriſti lucida. 62,63
Φάλαιναι. 215
Febris igneus. 36
Feles cur infeſtentur fulmine. 51
Feles interdiu cur male cernant. 188
Felis Aegyptiaci oculi ad Solis periodos variabantur. 187
Felium dorſa lucent. 189
Felium oculi lucidi, quare & natura. 187. *imitantur lunam.* ibid.
Femoris ignis. 124
Fernelius ſibi contrarius. 139. *conciliatur.* ibid.
Figuli Romanorum cur in menſa Salinum cum ſale deteſtabantur. 353
Flamma amoris, unde. 118,119
Flamma ex induſiis. 123
Flamma ex ore bovis cur non læſerit. 175
Flamma ex ventriculo mulieris. 115
Flamma maris non à ſalſugine. 354. *unde.* 354,357
Flamma quid portendat. 375
Flammam evomentes ex vini potu. 116
Flammulæ ex cruribus. 123
Flavus pro pulchro. 135
Flumina lucida. 356
Folia Leviſtici, Smyrnii, Laſerpitii Chamædryos. 19
Fulgor ſquamarum unde. 191,192
Fulmine mortui. 50. *quare.* ibid.
Fumus craſſior ex ventre. 116

G.

GAleni libellus de ſpiritu viſivo lucido. 146
Galenus defenditur. 151
Galilæi oculorum vitium. 52
Galli armati lucere dicuntur. 17
Gallinæ lux. 224
Gallorum gallinaceorum pugna apud Athenienſes quare inſtituta. 223
Gallus avis lucet. 222,223
Gammarorum lux. 226
Garruli Bohemici. 118
Gemmata pectori appenſa. 114
Gemmæ Pontificum luce mira præditæ. 7
Genæ lucentes. 76
Geta Mſ. 77
Gladius Cherubin paradiſo præpoſiti. 16
Graneau piſcis lux. 227

H.

HAliacta. 222
Haliurgus. 130
Harengorum lux. 235
Helioſcopion. 48,19
Ἡλιόσκοπος. 48
Heliotropion, virtutem amittit. 19, 48

Hippo-

Hippocratis locus controverſus. 42
Humores ſequuntur lucis inſitæ tractum. 32
Humorum lux. 35
Humorum reditus. 33. à luce. ibid.
Hyænæ & Civettæ lux oculorum. 189

I.

Ἰδεῖν, ὁρᾶσθαι & αὐγάζειν. 390
Igne à fulminis ictu convaleſcentes. 52
Igne cur circundabant altaria antiqui. 345
Igne in ſacrificiis cur utebantur. 343
Ignem aliquem non calefacere conceſsit Ariſtoteles. 101
Ignem cur neglexerit Moyſes. 26
Ignis à vertebra coxæ. 115
Ignis albus. 131. cur flavus appareat. ibid.
Ignis ex oſculo. 75
Ignis ex pudendo muliebri. 117, 118
Ignis fatuus unde. 228
Ignis ſanctus quo holocauſta incendebantur. 357
Imaginatio pellit lucem ad dentes. 245
In America ægri ex calore comburi videntur. 36
Infantes cur non multum luceant. 164
Inſcriptio Neapolitana. 177
Inſitum lumen oſtendentes lapides. 5
Iubar unde. 172
Iubæ ſplendidæ. ibid.
Iulius Obſequens corrigitur. 117

K.

Κυσολάμπις. 205

L.

Lacertarum genera varia. 194
Lacertæ maculoſæ. 195
Lævia nigerrima. 359
Lævor & aſperitas lumẽ recipit. 258
Lævor quomodo ſubjectum lucis. 259
Lampadion, faſcia. 56
Lampadion meretrix. ibid.
Lampadiones dicti viri magni. 3
Λάμπουρος canis unde dictus. 185
Lampyrides Apteræ. 205
Lampyrides. 204. ejus ſpecies. 205
Lampyrides fœminæ cur lucent. 210. ſpecies duæ. 211
de Lampyridibus experimentum. 210
Lapides viliores in ſe lucem habent, & cur non appareat. 8
Lapis flammatus in Gallia cœlo delapſus. 11
Lapis Lazuli λάμπουρος dictus. 7
Leo flammam cur timeat. 170
Leonis lux. ibid.
Liguſtici radix. 19
Linguæ igneæ Apoſtolorum, cur diviſæ. 80
in Luce melius auditur. 387
Lucem appetunt animalia. 48
Lucem ex oculis vibrantes. 81
Lucem in ſomniis videre quid ſignificet. 4
Lucem ſummum Numen vocarunt Pagani. 2
Lucentia per ignem exponuntur in Scriptura. 26
Lucentium hominum exempla. 54
Lucerna piſcis. 229
Lucernaria. 19
Lucernæ antiquorum quid fuerint. 341
Lucida oculis obſunt. 97
Lucis cœleſtium materia purior. 25
Lucis condenſatio quomodo fit. 245
Lucis diviſio. 277
Lucis efficiens. 248
Lucis eſſentia. 263
Lucis eſſentia omnibus eadem. 271
de Lucis motu conjectura. 278
Lucis motus. 31
Lucis nomine perfectiſsimam rem vocabant. 4

Lucis primigeniæ ſubjectum. 25
Lumem ex membro genitali. 116
Lumen quomodo accipiant viventia. 257
Lumina natare quid. 95
Luna calceis Romanis cur inſcripta. 154
Luna piſcis. 230
Lunæ lumen ad febrim. 34
Luparia regio quare. 177
Lupi ignem expaveſcunt. 178
Lupi Martiales cur dicti. ibid.
Lupi ſacri Athenienſibus. 176
Luporum lux. ibid.
Lupum viſi hominis vocem hebetare. 178
Lupus cur agnum odit. 179
Lupus cur dicatus Apollini. 176
Λυχνίς. 19
Λυχνίτης *verbaſci ſpecies.* ibid.
Luſcii piſcis lux. 234
Lux ad ſonum confert. 387
Lux alba, viridis, &c. unde. 272
Lux animæ. 159
Lux animalis. 271
Lux antiquis ignis vocatur & cur. 93
Lux cœleſtis ſubſtantiæ temperamentum conſervat. 24
Lux Cryſtallini humoris defenſa. 254
Lux cur apparet æqualiter in omnibus partibus. 163
Lux cur non in omni parte cernatur. 244
Lux diſponit bilem, melancholicam quomodo. 33
Lux ex cute. 57
Lux ex digitis. 123
Lux ex oculis in ſomno. 146
Lux in homine cur non apparet. 54
Lux in oculis Leonum. 173
Lux in oculo cur non apparet. 102
Lux interna ex oſſibus. 171
Lux luci inimica. 29
Lux medela morborum. 49
Lux nimia cur lædit oculos. 98
Lux non videtur niſi in compacto corpore. 102
Lux oculorum Catti. 253
Lux oculorum compreſſione excitatur. 83
Lux oculorum non ſufficit ad viſum. 102, 103
Lux præclariſſimum Dei opus. 2
Lux pro pulcritudine. 130
Lux pro ſolatio habita. 45. *& quare.* ibid.
Lux quomodo ad albedinem concurrit. 365
Lux quomodo hominibus & Deo competat. 162
Lux quomodo perveniat ad partes. 244
Lux non forma viventis. 264
Lux unguium. 126
Lychnis lapis, unde. 10

M.

Magnes cur ad polum tendit. 29
Malanenſis radix. ibid.
Mane appellatur à mano. 44
Manus micantes. 124
Mare ardere viſum. 353
Martialis locus reſtitutus. 208
Melancholici cur mœrent. 147
Membraneæ partes maxime lucent. 254
Micatio digitorum quale ludi genus. 125. *differt Romanorum ab Italorum.* ibid.
Micatio & extenſio digitorum ſignum emptoris. 125
Minerale Bononienſe. 18
Mineralia lucent. 17
Miracula naturalia. 296
Monile rubrum antiquis uſitatum. 113
Monilia ad papillas pertigerunt antiquis. ibid.
Morbus lucem imminuit. 293
Motus in orbem calidi innati. 140
Moyſes cornutus. 65, 66
Moyſes cur vultum texit. 71
Moyſis cornu refellitur. 68
Moyſis ſplendor. 27, 65

Murenæ. 229
Murium cum Lunæ lumine conſenſus. 191
Murium lux. 190
Mutuatitium lumen oſtendentes lapides. 8

N.

NAphtha. 29
Narciſſi. 19
נָחָשׁ. 200
Nigra in ſomnis periculoſa. 129
Nigrores ominoſi fere. 39, 40. *ex abſentia lucis.* ibid.
Nimbus corona radiata. 73
Nitedulæ. 190
Noctu plus cernentes quã interdiu. 81
Nocte ſola cernentes. 82
Noctilucæ. 204
Nox pro morte. 47
Νυκτεριϛ. 216
Nummus in quo Moyſes coronatus. 66
Nyctegretum, Nyctilepa. 21
Nymphea. 19

O.

OCcultæ qualitates non ab anima dependent. 30
Oculi lucem & igneas flammas dixerunt. 96
Oculi lumina vocantur. 94
Oculi relucentes Venerei. 120
Oculorum lumen deperditum in Venere. 146
Oculorum ſcintillationes. 41. *non morbi.* ibid.
Oculorum ſcintillantium exẽpla. 42
Oculorum ſplendorem Epilepſia comitatur. ibid.
Oculorum ſplendor. 43. *quid denotet.* 44
Oculum cur pulchra delectent ratio moralis Scaligeri. 45. *ratio alia Phyſica.* 46
Olfactus læſio. 98
Os pro uteri orificio. 117
Oſtrearum ſplendor. 228
Ova Lampyridum ſplendida. 210
Ovibus flamma circumdata cur non adusſerit. 179

P.

PApillæ ornata. 113
Paſtinacæ marinæ cauda. 234
Pedes annulati. 124
Pedes & manus quid. 121
Pedes fulgentes. 124
Penna piſcis. 229
Phlegontis intus ardet. 6
Phœnix ſplendet. 220
Phoroneus ignem cœlis abſtulit. 346
Phreneticorum affectus unde. 148
Phreneticorum lecti. 89
Pili argentei hirſutorum. 60
Pili lucentes. 58, 59
Pilos reddere rufos & ſplendentes. 353
Pinguedo maxime luce abundat. 254
Piſcium lux. 225
Plato de luce defenditur. 100
Plato in Timæo explicatus. 23
Plato oculum lucidum cur dicebat. 91, 92
Plato pro luce ignem dicit. 23
Platonis locus de Rep. explicatus. 1
Platonis ſententia de viſione defenditur. 395
Plinii locus emendatur. 218, 229
Plinii locus ex Mſ. de gemmantibus coloribus probatur. 218
Plinius tangitur. 380
Ploratus infantium cauſſa. 164
Pœonia Galeni. 20
Pſittacus lux avium quare. 220
Pueri Sileſiaci aureus dens. 78
Pulcra quæ. 130
Pulcritudo animi in luce. 127
Pulcritudo corporis unde. 128
Pulcritudo duplex. 127

Pur-

Purpura. 135. *cur oculos lædit.* 143
Purpura fucus mulierum. 64
Puſtulæ lucentes. 37. *unde generantur.*38. *quare ſylveſtris ignis vulgo dictæ.* ibid. *duplici lumine lucent & unde.* ibid.
Putrida ligna cur lucida. 21
Pythagoras de lumine plantarum. 34

Q.

QVintilianus emendatus. 94

R.

RAdii ſanctis appicti. 74
Reptilium maculæ. 196
Romanorum à Græcis accumbendi mos. 87
Ros unde conſtet. 360
Ruber amantium color. 114
Rubor in ira aut verecundia non ex ſanguine. 144
Rubor papillarum Meſſalinæ ex tinctura. 114
Rubri ſerici tæniis ornant caput feminæ Arabicæ. 113
Rubrum monile ab Orientalibus feminis in magno pretio. 113

S.

SAlamandra. 193
Sanguinei læti. 150
Sanguinis motus imitatur mare. 32
Sanguinis lux. 35
Sanguis lucidus. 145
Sanguis niger unde. 40
צֶבַע. 200,201
Scaligeri error de cicindelis. 205
Scarabæus lucens. 213
שָׂרָף. 199,200
Scholiaſtis Theocriti error. 185
Scintillæ ex lapidibus non producuntur, ſed evocantur. 9
Scintillæ ex oculo. 84. *cur.* ibid.
Scorpii marini lux. 233
Senum comarum ſplendor. 60
Senſus cur læditur. 92
Sericum unde lucet. 215
Serpens igneus Moſis. 198
Serpentes ignei cur ſic vocantur. 199
Serpentes ignivomi. 28
Serpentium lux nativa, & adventitia. 192. *oculorum eorum nitor.* ibid. *linguæ.* 193
Sexus lux. 289
Sidera gemmata. 219
Sidera quare adorabant veteres. 46
Similia juvant. 144
Simſon cur ſic dictus. 4
Siniſtro latere cur accumbebant veteres. 86
Soleæ demebantur in tricliniis. 88
Solem cur adorabant Perſæ. 160
Sol albus. 131. *cur flavus apparet.* ibid.
Sol igneus. 26
Sol lupus. 176
Sol pro Anima. 155
Sol radiatis lineis pictus. 74
Solis lux alba. 272
Solis radii crines. 74
Somnus cur in tenebris melior quam in luce. 147
Somnus cur non bonus in loco lucido. 387
Somnus quid conferat ad lucem. 291
Splendidi homines quid. 3
Splendor cur incidat magis quam obſcuritas. 99
Spiritus animalis lux. 146
Spiritus inflammat corpus. 37
Spiritus lucidus. 138
Spiritus naturalis Lux. 145
Spiritus unus. 138
Stella nova. 157
Stellaris lapis. 12
Stellæ marinæ. 235
Stellio maculatus cur dictus. 193
Stellio quid. ibid.
Stibii ſplendor. 17

Stillare. 194
Stillatio narium quid. ibid.
Sturionis canda. 234
Sulphur interius flammam habet. 18, & 28. igni à Chymicis comparatur. ibid. colorum author. ibid. tinctura ex eo extracta. ib.
Sulphur lucet. 17,18
Sympathiæ & Antipathiæ unde. 28,30

T.

TAurorum lux. 175
Taxus ſuccus contra viperæ morſum. 196
Tenebræ. 46,47
Tenebræ cur terreant. 149
Tenebræ quid. 269
Terra talparum contra morſum viperæ, cur. 196
Theocritus explicatus. 185
Tithymatis. 48
Totus homo cur non lucet. 53
Triclinia non tantum ab occidente feneſtras habebant. 88
Tumor pallidus in oculo ſplendeſcens ſignum luis Venereæ. 120
Tuſſis & vomitus oculis ſcintillas ſiſtunt, & quare. 44

V.

VEgetabilia lucida ad morbos utiliſſima. 49
Vegetabilium lux. 18
Veronica alpeſtris. 19
Vertigo tenebricoſa. 43
Veſpertilio lucet. 216
ex Vipera omen. 196
Viperæ cur plantas inficiunt. 197
Viperarum lux in oculis. 195. uſus earum unde. ibid.
Viſio quomodo fiat. 591
Viſus diſcutiendo & ſeparando cur debilitetur. 99
Vitulus marinus. 232. mammas nullas habuit. ibid.
Vulpes λάμπυρις cur dictus. 186
Vulpes Simſonis. 186. cur caudas incenſas tam patienter toleraverint. ibid.
Vlck. 233
Vngues inaurant Orientales mulieres, & cur. 127
Vnguibus aurum inducebant Aegyptii. ibid.
Vrina ſplendens. 37

CORRIGENDA.

PAg. 16. verſic. 23. lege Gen. 3. ℣ſ. 25. ibid. verſ. 24. lege להט. pag. 142. Cap. XXIII. lege, Cap. XXII. Tu, Candide Lector, reliqua.

FINIS.

BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE · LYON · Cte · 1896 ·

507